Anno 1575. *H. Stephanus* eoſdem oratores emiſit Lutetiae luculentiſſime impreſſos in Fol. Gr. adiecta Latina verſione omnium *Aeſchinis* et quarundam *Lyſiae* Orationum, ſc. *de Eratoſthenis caede* ſeipſo interprete, *in Eratoſthenem 30 virum: in Alcibiadem*, et *Dardanarios*, ex interpretatione *Claudii Groularti*. Ad *Aeſchinem* quidem et aliquot *Lyſiae* orationes vett. Codd. ope ſe fuiſſe adiutum teſtatur. Quinam autem qualeſque fuerint non memorat: in ea porro, quae inſcribitur ἐπιτάφιος λόγος τοῖς Κορινθίων βοηθοῖς „*cuiuſdam exemplaris auxilio* (hominis ipſius verbis vtor) *non ſolum plurimos locos emendauit, ſed aliquot etiam lacunulas, necnon magnam quandam lacunam expleuit.*„ Magna erat in eo homine cura, moderatio non minor. Scriptorum Codd. varietatem diligenter et fideliter ad oram paginae ſuae adnotabat: rariſſime in locum receptae lectionis hariolationes ſuas repoſuit, niſi vbi tam craſſus fuerit prioris Editionis error, „*vt multo etiam craſſior futura eſſet de emendatione dubitatio.*„ Quam, vt ſpero, in hac noſtra edit. operam nauaui, et fidem obſeruaui, hominis iſtius et laudis et diligentiae pro ingenii modulo quam maxime aemulus.

Vertente ſaeculo, anno ſc. 1615. *Iodocus Vander Heidius* Brabantus *Lyſiae* orationes 34. Latine a ſe redditas et politicis notis illuſtratas Hanouiae edidit, typis Wechelianis in 8vo [14]. Graeca recenſuit notaſque

14. Eodem tempore, quo HEIDIVS *Lyſiam*, AL-

de ea re ad calcem libri adiecit, cuius hortatu atque auctoritate suscepta erat haec editio, *Andreas Schottus* Antuerpiensis, S. I. quali fide aut diuinandi peritia (libris enim calamo scriptis destituebatur) praestat tacere, quam ea inclementer dicere, quae etiam cum veritate dici potuissent.

Porro A. 1683. liber ille recusus erat Marburgi Cattorum, in 8. procurante *I. Burchardo Maio* Eloquentiae et Historiae Professore primario. Quae Editio, etsi testimoniis vett. *Dionys.* sc. *Plutarchi etc.* de *Lysia*, quibus prior instructa erat, carebat, notisque ibidem, quibus *Schottus* suarum hariolationum rationem aliquam reddidit, ea tamen diligentia ad imaginem prioris expressa est, vt singula pagina in vtraque ex aequo responderet et pariter procederet.

Singulares Orationes aut Latine expresserunt, aut Notis et Commentariis illustrarunt nonnulli, de quibus mox est dicendum. Sc. Orationes duas priores cum Latina versione a se adornata edidit *Ianus Vitalis* Panormitanus Romae apud Iacobum Mazochium 1515. nonis Aprilis in 4to. *Mario Maffaeo* Volaterrano, honoris causa, inscriptas. Editionem hanc rarissimam et semel tantum a me visam claudit hoc Epigramma.

OCT. SYLVIVS. LAVRELIVS.

Praecipuum decus est iterum natum esse Lyeo,
Quique pater fuerat matrem habuisse Iouem.
Sic LYSIAE scriptis geminum decus additur, et quem
Graecia protulerat, nunc polit Italia.

Anno

PHONSVS MINIATVS Bononiensis *Antiphontem*, *Andocidem*, et *Isaeum:* I. GRVTERVS *Dinarchum*, *Lesbonactem*, *Lycurgum*, *Herodem ac Demadem* Latinitate donauit atque euulgauit typis, eiusdem *Schotti* nutu et auctoritate.

Anno deinde 1522. 4to in inclyta Basilea ex aedibus Io. Frobenii Cal. Maii, vna cum *Libanii* et *Isocratis* orationibus aliquot ab *Erasmo* Latine versis, prodierunt binae eaedem Orationes Gr. Lat. incerto interprete. Ceterum vt comperi ex ea interpretatione eleganter in pergamena exarata in Bibl. Col. Baliol. Oxon. Interpres iste erat *Franciscus Philelphus* Tolentinas, vir elegantioribus literis vindicandis natus [15]. Vtriusque interpretationem *Pallanti Strozae* nuncupauit, quas Epistolas, dignas certe, quae non perirent, ex eodem Cod. descripsi, et primus, quod sciam, hodie publici iuris facio.

FRANCISCVS PHILELPHVS praeclaro Equiti PALLANTI STROZAE sal. pl. d.

Soleo certe nonnunquam, *Pallas* vir clarissime, maiorem in modum queri pernicioſam praeteriti saeculi aduersus nostrae tempestatis doctos homines literarumque cupidos iniuriam: et illos vehementi quodam odio detestari, quorum inerti negligentia factum est, vt in amissis Vett. Scriptorum illustribus ac infinitis prope voluminibus tantam ipsi cladem susciperemus. Quid enim claris ingeniis aut acerbius aut calamitosius accidere potest, quam iis carere, quibus sine omnis suus splendor omnisque magnitudo et manca et muta est? Nemo profecto, mea sententia, etsi ad equitandum aptissimus sit natura, sine equo equestrem teneat, nemo sine armis militiam, neque nauigandi peritiam sine nauigiis, neque architecturam, neque fabrilem, neque aliam quamuis siue artem siue facultatem, vbi eiusce rei defuerint Instrumenta, medullitus sane noscere quisque queat. Cuiusmodi vero quot-

15. Vid. *I. Henr. Foppii* historiam *Philelphi* literariam ex ipsius Epistolis collectam, tomo V. Miscellaneorum Lipsiensium p. 322 — 354. qui adfirmat Latinam versionem harum Orat. prodiisse *Florentiae*.

que bonarum artium instrumenta, ob tantum hunc tamque indignum veterum librorum interitum, amiserimus, ipse optimus testis sis. Nemo enim est vnus omnium inter nostros, qui id te melius scire vel possit vel debeat. Nam et Graece et Latine eam habes eruditionem, qua medius fidius maiorem nemo: et si quid apud nostros exterosue librorum relictum sit, id omne, pro tua eximia diligentia ac laudatissimo doctrinae studio, Tibi vel potius eruditis omnibus iampridem maximis cum laboribus impensisque comparasti. Quid enim Philosophos numerem? qui quo maiore numero exstiterunt, eo magis in iis naufragium factum est. Libros circiter 400 *Aristoteles*, ac prope totidem *Theophrastus* scripsit, quorum mirum est quanta sit nobis relicta paucitas. *Democritus* ille magnus tantusque Vir, cuius magnum de Mundo opus talentis quingentis aestimatum perhibent, vsque adeo multa scripsit, vt Librarius per cauillum sit ab *Epicuro* appellatus. *Epicurus* autem ipse trecenta reliquit volumina: *Chrysippus* vero, quem librorum *Epicuri* huius parasitum *Carneades* nominat, quinque ac septingenta volumina elucubrasse traditur. Permulta *Zenones* et Cutiensis *(sic)* et Eleates scripsere, permulta *Heraclitus*, permulta *Empedocles*, et alii cum Graeci tum Latini philosophi, quos complecti oratione labor sit. Permulta nobis et maxima suae sapientiae et perillustria monimenta reliquerunt. Horum autem omnium nulla prorsus scripta exstant. Quid autem, vt reliquos siue Poetas, siue Historicos, siue alios praestanti aliqua doctrina et ingenio viros omittam, quid, inquam, Oratorum versuras interitusque commemorem? Hosce propemodum omnis ad *Brutum* scribens *Cicero* non Latinos solum ab ipso vsque M. Cornelio Cethego, quem suauiloquenti ore viguisse *Q. Ennius* decantabat, vel ab illo potius Bruto repetens, qui vim ex vrbe regia extruserit, verum et Graecos

cos ab ipsius vsque Solonis Pisistratique memoria et diligenter, vt adsolet, et eleganter adnumerat. In quibus quanta sit strages facta, quanta suscepta calamitas, quis Te nobilissimo equite et homine doctissimo melius omnium vnus norit?

Nonne igitur iure illis succensebimus, detestabimur, exsecrabimur, quorum desidia ignauiaque tantam nobis iacturam factam intuemur? Nam si cum hac veterum librorum paucitate ac penuria, quorum non mediocrem partem, vt scis, tanquam ex Erebo mirus sanctae vetustatis cultor *Nicolaus Nicoli* incredibili sua cum diligentia ac studio nobis in lucem contulit, id dicendo assecutos nonnullos cernimus, vt honori apud omnis admirationique habeantur, ne certe dubitandum existimo, quin multos hodie *Leonardos*, permultos haberemus *Ambrosios*, si priscis Bibliothecis liceret frui. Quod cum in omnem Italiam pateret, tum potissimum in hac vrbe, vbi diuina quaedam ingenia germinant: Nec diffido, quin aliqui ex hac ipsa vrbe breui emersurint, qui sua et cura et industria et ingenio tantae huic iacturae cladique medeantur. Ista cum *Iannotium* manet, tum hunc nostrum et *Carolum Aretinum*, disertos et doctos homines, tum alios plerosque ad eloquentiae eruditionisque decus euasisse tam probe atque indies magis euasuros video. Sed de iis hactenus multa. In eo autem veterum scriptorum naufragio insignis est *Lysiae* Oratoris procella. Is enim Orationes 425. scriptitasse fertur; quarum 230 *Dionysius Caecilius*que indubitatas illius existimant: reliquae vero creduntur adulterinae. Hisce autem in omnibus bis duntaxat, et id ob malignitatem causae eum succubuisse *Plutarchus* refert. Scripsit et *Rhetoricas artis* et *conciones* et *laudationes* et *epistolas: orationes*que tum *amatorias*, tum *funebris*, ac *Socratis defensionem*. Ex hac autem tanta suorum scriptorum multitudine vix 35.

oratio-

orationes exstant: reliqua vero omnia periere. Quanta is vero dicendi luculentia maiestateque floruerit, etsi *Cicero* princeps Eloquentiae et optimae nullius expers disciplinae plurimis in locis differuerit, ac nos fortasse propediem alio quodam in loco commodius exposituri sumus, id tamen abunde dignosci potest ex ea funebri oratione, quae ab hoc ipso *Lysia* pro iis edita erat, qui aduersus Lacedaemonios Corinthiis auxilium ferentes post vrbem 30 Tyrannorum solutam iugo, forti et atroci praelio Athenienses interiere. Hanc si frequentissime antea Graece lectitaueris, nunc Latinam a nobis factam, vt et Latine legas, et ceteris legendam des, te vehementer rogo.

FRANCISCVS PHILELPHVS Clar. Equiti PALLANTI STROZAE. Sal. D. pl.

Fuere nonnulli et prudentes et docti viri, praestantissime *Pallas*, qui inter *Lysiae* Oratoris *Platonis*que Philosophi scripta maxime interesse iudicarent: quod propemodum alii quidem, item et ipsi homines haud vulgares inter *Demosthenem Ciceronem*que voluere. Nam huic nihil adiici: illi detrahi nihil posse, quid aliud esse dixerimus, quam vel id quod *Platonis* esse cernimus, eximiam quandam et exsuperantem dicendi copiam, vel emendatum *Lysiae* atque elimatum grauissimumque Orationis filum? Quod quidem acutissimorum hominum iudicium, quum semper maxime facere consueueram, tum vero posteaquam Graecas Literas degustassem, admiratus sum adeo, vt vix quicquam aut verius aut subtilius iudicatum existimarim. Nam vt reliquos nunc omiserim, quid de *Lysia* ipso dicam? cuius peregregia dicendi quaedam diuinaque elegantia, castigata verbis, sententiis affluens, tantum de se stuporem splendoremque legentibus ingerit, vt hunc profecto eum fateri oporteat, qui vnus imprimis inter Graecos primas eloquentiae partis teneat. Hic est ille

Lysias

Lysias, e cuius disertissimis orationibus, si quod subtraxeris verbum, et id commode feceris, de summa subtraxisse plane appareas. Vsque adeo ab eo sunt omnia mirabili quodam suoque artificio et ordine lucubrata, dicta, posita, colligata. Is praeterea quum ceteris in rebus praestiterit plurimum, tum ea quoque styli perspicuitate ac nitore claruit, quem etsi nobilis Rhetor *Isocrates* imitatus fere sit, neque tamen hunc, neque *Demosthenem* ipsum Eloquentiae principem, neque alium quenquam ex illustribus X Oratoribus assequi potuisse omnis vna voce testatur Graecia. Quantopere vero hisce omnibus subtilitate anteceſſerit, ex graui *Ciceronis* in libris *de Oratore* iudicio intelligi licet. Sed de his alias; nunc autem ad rem, de qua agitur, reuertamur.

Quum igitur hanc *Lysiae* vberem luculentamque breuitatem facultatemque dicendi a Maioribus nostris mirifice probatam laudatamque intuerer, libuit, animi gratia, aliquas si possem ex illius orationibus Latinas efficere, quo non solum alieno testimonio, verum etiam re ipsa quasi Oratoris praesentia ac voce eius vis omnibus diuinumque ingenium innotesceret. Quare quum superiorem conuertissem ἐπιτάφιον λόγον, volui et illam ad nostros orationem traducere, quae *in Eratosthenem adulterum* habita esset. Hoc enim in adulterio deprehenso atque interempto sui pro ea causam necis agunt. Nex autem haud negatur, sed Moechus iure caesus defenditur. Argumentum omne narratione patet. Nunc ne quem tanti facio imitari omnino neger, id est, ne in breui oratione prolixior, sim, hac de re satis superque, iam *Lysias* ipse dicere incipiat. Vale.

Eaedem denique orationes prodiere Colon. Iac. Soteris 1554. 8vo. interprete *Francisco Fabricio* [16] *Marcodura-*

16. *Franciscus Fabricius* obiit A. 1573. *Collegit* hi-

coduranо, vt ex bibliotheca *Thuan.* et *Telleriana* didici.

Orationem primam, quae eſt *de caede Eratoſthenis adulteri*, illuſtrarunt et verterunt plurimi. Prodiit Gr. Lat. in 4to anno 1549 Pariſ. apud Gul. Morelium ex aduerſo Aedis Remenſium: *Renato Guillonio* Vindocinaeo interprete, et in eandem *Antonii Behaudi* Graſſaeni ſcholia. Huius Editionis Exemplar ſeruat Bibliotheca Collegii Merton. Oxon. Eandem Latine reddidit ſuaeque Graecorum Oratorum Editioni ſubiunxit *H. Stephanus* A. 1575. Anno deinde ſequente Gallice tranſtulit *Iacobus Conteſius* Vintemillius et Lugd. edidit in 8vo. Proxime (anno ſc. 1593 Cantab. in 8vo.) Gr. Lat. euulgauit ſuis praelectionibus, quas Cantabrigiae in ſcholis publicis habuit, illuſtratam *Andreas Dunaeus* [17] Hellenismi ſtoriam Ciceronis. *Scripſit* Annotationes in Terentium et in Paulum Orolium. Vid. *Sweert. Biblioth. Belg.* p. 243. *Hanck. de S. R. R.* p. 2. pag. 144.

17. *Andreas Dunaeus* [Downes] ex agro Salopienſi oriundus, literisque inſtitutus vna cum inclyto ROBERTO ESSEXIAE Comite, cui *Lyſiam* inſcripſit, a M. *Aſhton* in regia Grammaticali Schola, quae eſt Salopiae, admiſſus erat Diſcipulus Col. D. Ioan. Cant. pro Domina Fundatrice Nou. 7. 1567. [Regiſtr. Col. Ioan.] A. B. 1570. 1. [Regr. Acad.] Socius Collegii pro M. Bayley Apr. 6. 1571. [Regiſtr. Col.] A. M. 1574. [Regr. Acad.] S. Th. Bac. 1582. [ibid.] anno demum 1586. Graecae linguae Profeſſor. Poſtquam numeroſam iuuentutem literis domi informauerat, *Chryſoſtomi* editioni *Sauilianae* adornandae et Bibliis in linguam Anglicanam regio iuſſu vertendis vtilem manum admouit, vnde Praebendam in Eccleſia Wellenſi meruit. Cotonae demum ad lapidem ſeſquiprimum a Cantabrigia et mortuus et inhumatus eſt A. 1627. vt ex epitaphio, quod deſcripſi, liquet

nisimi Professor Regius et Collegii *D. Ioannis* Euangelistae per pluris annos Socius bene meritus. Multum de iuuentute Academica et renascente Graecismo meruit vir ille laboriosissimus. Verum cum operosum istud praelegendi genus longe absit ab illa disciplina, quam profitemur, vix operae fuisse pretium iudicaui, vt prelo iterum a me committeretur prolixior ista Commentatio.

Orationem *contra Eratosthenem 30-virum* Latinam a se factam cum *Aristidis* orationibus integris euulgauit Vir eruditissimus et longiori vita dignus *Gulielmus Canterus* Basil. 1566. in Fol. et quaedam subinde loca in melius immutauit. Eandem Vir doctissimus *Simo Groulartus*, Praeses Senatus Rothomagensis, item duas alias, sc. *contra Alcibiadem* vnam, alteram *contra Dardanarios*, in linguam Romanam transtulit Stephanicae Graecorum Oratorum Editioni 1575 subiunctas. *De Groularto* nonnulla apud Cl. *P. Dan. Huetium* de claris Interpret. l. II. p. 161. et *Menag.* Dedicat. *Diogenis Laertii.*

Porro in puerorum vsum A. 1696. forma minore prodiere *Platonis Menexenus* et *Lysiae funebris Oratio* cum versione Philelphi et breuibus notis *Mic. Busleed*, Cantabrigiae. In fasciculo Gr. Lat. I. *Iacob Schudt* Francof. 1702. 8vo. *Lysiae* Orationes binae, pro *caede Eratosthenis* vna, *contra Eratosthenem* altera. Et Graece Venet. 1710. 8vo. in Vol. III. *I. Patusae* Encyclopae-

Andreas Downes Salop. Coll. D. Iohann. apud Cant. olim Socius, Graecae linguae professor regius, quam prouinciam summa cum fidelitate et egregia laude per vndequadraginta annos exornauit. Vir morum Candore spectabilis, in rebus diuinis probe exercitus, totius a. humanioris literaturae ad stuporem vsque c. llentissimus. Iam Septuagenarius et quod excurrit rude donatur ab Academia, reseruato tamen ei consueto honorario, anno aetatis 77. secessit huc in agrum suburbanum, vbi ante annum exactum postridie Cal. Feb. 1627. mortalitatem deposuit.

clopaediae 1. *Defensio pro caede Eratosthenis.* 2. *contra Eratosthenem, vnum ex 30-viris*, et 3. *Oratio Επιτάφιος.* In eundem denique vsum, anno vno aut altero elapso, Germanus nescio quis inter alia edidit Orationem, si bene memini, quae inscribitur *contra Familiaris, Obtrectationis*, studio certe parum laudando, cum vel mendis horridiorem, crebriorem lacunulis, argumenti pondere indigniorem aut Orationis denique filo iniucundiorem vix aliam omnino quamuis reperire inuestigando potuit.

Vtinam ea fortuna actum fuisset cum *Themide* Attica, vt mea opera in hoc auctore emaculando minus esset necessaria. Praeiudicassent (et praeiudicassent vtinam) quae aut intercepit fortuna, aut interrupit conditio Mortalitatis. Praeter explicationem Graec. Oratorum, quam meditabatur ὁ δεῖνα a *Cornario* in Dedicatione *Parthenii Ερωτικῶν* laudatus, Annotationes in animo instituit adornare vir maximus *H. Stephanus*, quas Interpretationi Latinae reliquarum Orationum aliquando subiungeret, cum variis, quae in editione sua Graeca praetermissae fuerint, Emendationibus. Peculiarem etiam promisit Commentarium de locis in iisdem reconditioribus, de quibus sibi ipsi in Editione sua non satisfecit et amplius deliberandum censuit.

Idem consilium (Vett. sc. Rhetorum orationes Latine vertendi notisque illustrandi) suscepisse videtur doctissimus *Iac. Phil. Mauffacus*, qui in eruditis notis ad *Harpocrationem* nonnulla scitissime emendauit, et propter felicitatem ingenii cum assiduo horum scriptorum vsu coniunctam, id operis praeclarissime exsequi potuisse videtur.

Idem pene exspectandum erat a *Guilelmo Cantero*, qui (*Vid. VII.* Nou. Lect. 4.) Orationes 10. Oratorum enumerare et fragmenta colligere meditabatur. Id aliquatenus praestitit *Ioannes Meurfius* in Bibliothe-

ca At-

ca Attica: vbi, sed festinanti similis, ex deperditis *Lysiae* orationibus plurimas nominatim recenset, adducta auctorum, e quibus excerpsit, fide: praestare etiam voluit *And. Schottus*, vt liquet ex eius praefatione ad *Lysiam*.

Sed quod plurimorum, vel omnium potius ad instar erat, vir doctissimus vndequaque *H. Valesius* [18], tum vero de hisce literis non vulgariter meritus non solum *Polucis* capita de Rep. Athenienſi illustrare, sed et Oratores quoque Graecos emaculare in animo habuit. Nemo has literas susceptit vindicandas maiori cum acumine aut subactiori iudicio. Omnia erant in eo homine summa, Atticae et linguae et prudentiae peritia maxima, incredibilis animi magnitudo, et diuinandi felicitas plane singularis. Ille est, quem pene audeas perfectum Criticum appellare. Erat enim immensae ac infinitae pene eruditionis: eruditioni autem neque acre ingenium defuit, neque, quam ab hac nostra arte excludere isti velint, maxima et morum et literarum elegantia. Hodie quanta turba sit hominum, qui de *Valesio* ne fando inaudiuerint, et tamen summi viri

18. Videlicet *Valesius* noster, vtpote Foro et Iuris studio destinatus, eique operam daturus, aut ipse videns consilii et prudentiae maturus ephebus sibi hanc legem dixit, aut a doctissimis Magistris accepit, non posse vel principia vel origines publici priuatique Romanorum iuris percipi et intelligi, nisi Graecis notoriam perferentibus, vtpote a quibus id adoptauerunt Romani. Id quum sibi infixisset, in reliquiis, quae supersunt, Oratorum Graeciae — habitare proposuit, *Gronou. Dedicat. Notarum Valesii ad Harpocr.* etc. Vid. et *Vales.* ad pag. 58. Notarum *Maussaci*.

viri haberi velint! Tantum in literas grassata est vnius seculi barbaries.

Quod ad meam curam adtinet, nam id demum scire velle videris, B. L. haec habe. Textum ad Exemplar Stephanicum summa, qua potui, et fide et modestia expressi. Fide dixi, quae Editorem maxime decet. Decurso enim spatio Typographico, atque illius, quam dixi, editionis collatione sedulo instituta, pauciss. quae inuenta erant, operarum menda collegi, eorumque notitiam dispossui, quae in punctis vt plurimum versantia, tam leuia tibi videbuntur, vt vix vllam aliam aliquam Graeci Scriptoris Editionem per hosce annos in hac laudis parte cum nostra conferendam esse iudicem. Vt aliqua saltem spes superesse videatur, vel Chartae nitorem, vel Typorum elegantiam, vel Typothetae denique meamque operosam diligentiam exemplaria nostra vindicaturam a fatali illa obliuione et vilitate pretii, quae nostram familiam tam diu afflixit. Quod ad moderationem spectat, quam Editoris laudem semper esse duxi primae proximam, vetustam et diutius receptam lectionem rarissime sollicitaui, atque ad oram libri relegaui. Neque enim meorum Codd. auctoritatem tanti, aut meam diuinandi solertiam tam magnificam esse iudicaui, vt, vbi momenta saltem viderentur esse aequalia, Textus aliqua diuturnitate comprobatus, (Scriptorum antiquorum Terminus ille sacer) nouarum rerum studio et libidini cedere deberet: Verum reputans vicissim, quod foedissimas hallucinationes et crassissimos librariorum errores retinere, vbi vel dormitauerit bonus homo, aut plus aequo se inuitauerit, esset otio inclementer abuti, aliquando meas coniecturas etiam scriptorum Codd. auctoritate destitutas in textum admisi, nonnullorum reprehensio-

hensionem veritus, qui meticulosam religionem et tenuem illam fidem, aeque ac aliorum effraenatam audaciam merito damnare solent. Ecquis enim hos talisque naeuos impune legi et pro vero scriptoris sensu admitti posse patiatur?

Pag.	Edit. Vulg.	Edit. Nostra.
19. 2.	Ερατοσθένης οἴηθεν (al. οἴκοθεν)	Ερατοσθένης Οἴηθεν.
34. vlt.	διπλᾶν τὴν βλάβην.	διπλην τὴν βλάβην.
153. 4.	ἔ μόνον οἷόν τε ἦν λαβεῖν ἢ νύκτωρ ἢ μεθ' ἡμέραν.	ἔ μόνον οἷόν τε ἦν λαβᾶν ἢ νύκτωρ.
166. 3.	Φανερῶς ἐστι ποιησάμενος.	Φανερος ἐστι ποιησάμενος.
170. vlt. et passim.	ὥστε πῶς ταῦτ' ἐστι προνοια;	ὥστε πῶς ταῦτ' ἐστι προνοια;
219. 1.	ἐξ ἐπιβελῆς εἰσαχθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον.	ἐξ επιβολης εἰσαχθεὶς εἰς τὸ δικαστήριον.
221. 4.	δεσμᾶ τιμήσασθαι, μαρτυρίᾳ.	δεσμᾶ τιμήσασθαι, η αργυριου.
252. vlt.	ἱερεῖα καὶ ἱερεῖς.	ιερειαι καὶ ἱερεῖς.
277. vlt.	ἀναθέμενος δὲ ὁ βελευτὴς.	ἀναθέμενος δὲ ὁ βουλατης.
300. vlt.	ἐκ ἐκεῖνο πῶς ἀπαλλαγῆτέ μοι.	ουκ εχειν οπως ἀπαλλαγῆτέ μοι.
353. 3.	αὐτὸ μὲν Θέων κατηγορίας ἐδικάσω.	αυτος μὲν Θεωνι κακηγορίας ἐδικάσω.
357. 1.	ποδοκάκη αὕτη ἐστὶν, ὃ νῦν καλεῖ ἐν τῷ ξύλῳ δεδέσθαι.	ποδοκακκη αὕτη ἐστὶν ὃ νῦν καλειται ἐν τῷ ξύλῳ δεδέσθαι.
410. pen.	καὶ ὑμῖν ἐδήλωσαν· Οτι —	καὶ ὑμῖν εδηλωσαν οτι —

Pag.	Edit. Vulg.
484. vlt.	ἀπεγράφης καὶ ἀπέκτειναν.
500. pen.	πρὸς τὰς ὁπλίτας διέκειτο.
526. vlt	πρὸς τὰς πολέμιας κίνδυνον.
534. 4.	ποιεῖν τὰ ὑπὸ τῆς πόλεως — ὑπὸ τῶν στρατηγῶν πραττόμενα.
534. 8.	ὡς ἱππεύειν δεδοκιμασμένος.
595. pen.	πρὸς ὃς αἱ δίκαι ἐλέχθησαν.
642. 1.	γῆν καὶ οἰκίαν ἐκτήσατο.
643. vlt.	ἑδοτε αὐτοῖς τὰς δέκα μνᾶς.
682. vlt.	ἀχ οἱ ἅπαντες τέτων αἴτιοι εἰσὶν· ἐπεὶ καὶ τὰς παρόντας —
747. 6.	ἐπ' ἀσφάλης ἂν ᾠχόμην.
747. vlt.	ἠττημένας ἵππες.
756. vlt.	πῶς ἂν ἐκ ἂν δικαιότατος εἴην.
791. 3.	τὴν ἀξιῶσαν ἀρχήν.

atque alios huiuſcemodi quam plurimos, quorum euidentiam cum ſine contextus ope non eadem facilitate perſpicere poſſis, lector, ideo hic omitto. Nonnulli ſunt

Pag.	Edit. Vulg.
206. 1.	πρὶν μᾶλλον ἢ ἧττον ἢ ἐπιδεδημηκέναι δέκα ἡμέρας.
223. 1.	ἐδεῖς — ἐπὶ τοιαύτῃ αἰτίᾳ ἠτιμώθη δικαίως. ἐδὲ γὰρ κ. τ. λ.
229. 1.	ἕτω μὴ ἀδικεῖν πιστεύων.
243. 2.	πάνυ δὴ ἀγαπητὸς ὑφ' ὑμῶν αὐτὸν σωθέντα.
253. 2.	κατὰ τὸ νόμιμον τὸ παλαιὸν καὶ ἀρχαῖον.
291. vlt.	οἱ ἐμὲ ἤδη κακῶς λέγουσα, ἢ σφᾶς αὐτοὺς ἐπαινῶσι.
378. 4.	πῶν ἂν ἐ δεινὸν ἐὰν μή τις γε εἴπῃ τὸς νόμες ἐκλαμβάνειν ἕτως — ἐὰν δὲ αὐτὸς εἴπῃς, ἐκ ἄξιον δοῦναι δίκην.

399.

Edit. Noſtra.

απεγραφες καὶ ἀπέκτεινας.
πρὸς τοὺς πολιτας διέκειτο.
πρὸς τοὺς πολεμιους κίνδυνον.
ποιεῖν τὰ ὑπὸ τῆς πόλεως — ὑπὸ τῶν ςρατηγῶν προσταττομενα.
ὡς ιππευεν δεδοκιμασμένος.
πρὸς οὓς αἱ δίκαι εληχθησαν.
γῆν καὶ οικιαν ἐκτήσατο.
ἔδοτε αὐτοῖς τὰς δέκα ναυς.
οὐχ οἱ αποντες τούτων αἴτιοι εἰσίν· ἐπεὶ καὶ τοὺς παρόντας —
ἐπ' ἀςράβης ἂν ωχουμην.
ητημενους ἵππους.
πῶς οὖν οὐκ ἂν δειλαιοτατος εἴην.
τὴν εξιουσαν ἀρχὴν.

ſunt etiam, quos lex edendi potius, quam vlla dubitatio de emendationis fide, adhuc in textu retinuit. Quis enim non arriperet pro

Edit. Noſtra.

πρὶν ἢ ἐπιδεδημηκέναι δέκα ἡμέρας (μᾶλλον ἢ ἧττον Gloſſ.)
οὐδεὶς ἐπὶ τοιαύτῃ αἰτίᾳ ἠτιμώθη. Δικαίως. οὐδὲ γὰρ κ. τ. λ.
ου τω μη ἀδικεῖν πιςεύων.
πάνυ δὴ αγαπητον ὑφ' ὑμῶν αὐτὸν σωθηναι.
κατὰ τὸ νόμιμον τὸ πατριον καὶ ἀρχαῖον.
οἱ ἐμοὶ ηδιον κακῶς λέγουσιν ἢ σφᾶς αὐτοὺς ἐπαινοῦσι.

πῶς οὖν οὐ δεινὸν ἐὰν μεν τις σε εἴπῃ, τοὺς νόμους ἐκλαμβάνειν οὕτως — ἐὰν δὲ αὐτὸς εἴπῃς, οὐκ αξιουν δοῦναι δίκην.

Pag. Edit. Vulg.

399. 3. ἔπειτα τῷ πίστιν εἰκὸς ἦν προσαχθῆναι, ἢ ὅστις —

400. 11. νῦν δὲ παρ' αὐτοῦ πότε καὶ λήψεσθε δίκην, εἴπερ —;

457. 2. οἱ γὰρ πολλοὶ ἐξ ἐκείνης τῆς βουλῆς τὴν ὑμετέραν βουλὴν ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἐβούλευον.

460. 3. καθίζουσι ἐπὶ τὸν βωμὸν Μενυχιάσιν· ἐπειδὴ δὲ ἐκίνησαν —

473. 8. δεῖ γὰρ αὐτὸν ἀποδεῖξαι ὡς — κἂν δύναιτο ἐδέποτε ἀποδεῖξαι.

486. 4. οἱ δ' αὐτῶν περιγενόμενοι καὶ σωθέντες, ὃς ἔτος μὲν ἀπέκτεινεν ὠμῶς, καὶ θανάτου αὐτῶν κατεγνώσθη, ἡ δὲ τύχη περιεποίησε.

497. 5. ἐπειδὴ δὲ εἶδον αὐτόν, τάχιστα συλλαβόντες.

528. 2. ἔτῳ δῆλος ἦν ὁποῖός τις ἔσαι.

531. pen. οὐκ ἐδύναντο εὑρίσθαι ποιεῖν τὰ ὑπὸ τῆς πόλεως προσαττόμενα.

545. pen. Ἀλκιβιάδης ἐδὲν δεινὸν εἴργασαι.

547. 6. οὐ γὰρ δήπου ὅταν μὲν ἔφευγε διὰ τὴν δύναμιν, κακῶς οἷός τ' ἦν ποιεῖν τὴν πόλιν.

557. vlt. κοινωνὸς εἶναι τῷ τε διώκοντι καὶ τῷ φεύγοντι.

563. 2. ὅτι Φαίνων ἵππον, ἱππέως ἀπεσέρει τὴν πόλιν.

575. vlt. ὡς εἰ μηδὲν διαβάλλομαι, ἡγεῖσθε ταύτην ποιεῖσθαι τὴν ἀπολογίαν, ἢ ὅτι —

618. vlt. ἀλλ' ὅσοι καὶ τὰ πατρῷα καὶ ἄντι ποθὲν μὴ δῶσιν.

625. 4. τεσσαράκοντα μνᾶς εἰπὼν κατεχρήσατο.

633. 8. ἐνίοτε γὰρ οὐκ ἔσιν — τοιαῦτα, κτησαμένῳ — ἡδονὴν ἂν παρέχοι.

660. 2. ὃ νῦν εἰς σαφέσατον ἔλεγχον νομίσατε.

692. 3. μηδαμῶς τοῖς λέγουσι βεβαιώσητε λεγόντων πάντων πονηρότατον· λέγεται γὰρ —

702. 7. παρεσκευασάμην δὲ καὶ τὸ πλήρωμα πρὸς ἐκεῖνον καὶ τὴν ἄλλην ὑπηρεσίαν ἀκόλουθον.

725.

Edit. Noſtra.

επειτοι τω ηττον εικὸς ἦν προσαχθῆναι, ἢ ὅσις —

νῦν δὲ παρα του πότε καὶ λήψεσθε δίκην, εἶπες —;

οἱ γὰρ πολλοὶ ἐξ ἐκείνης τῆς βελῆς τὴν υστεραιαν βουλὴν ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἐβούλευον.

καθίζουσιν ἐπὶ τὸν βωμὸν Μουνυχιάσιν· ἐπειδὴ δὲ ἐκεῖνησαν —

δεῖ γὰρ αὐτὸν ἀποδεῖξαι ὡς — ο ουκ αν δύναιτο ὐδέποτε ἀποδεῖξαι.

εἰ δ' αὐτῶν περιγενόμενοι καὶ σωθέντες οὓς οὗτος μὲν ἀπέκτεινεν ομως, καὶ θάνατος αὐτῶν κατεγνώσθη, ἡ δὲ τύχη περιεποίησε.

ἐπειδὴ δὲ εἶδον αὐτὸν τάχισα, συλλαβόντες.

ουπω δηλον ον ὁποῖός τις ἔσαι.

ὐκ ἐδύναντο τρεπεσθαι ποιεῖν τὰ ὑπὸ τῆς πόλεως προστατττόμενα.

Αλκιβιαδὴ ὐδὲν δεινὸν εἴργασαι.

ὲ γὰρ δήπε ὅταν μὲν ἔφευγε, διὰ τὴν δύναμιν κακῶς οἷός τ' ἦν ποιεῖν τὴν πόλιν.

κοινους εἶναι τῷ τε διώκοντι καὶ τῷ Φεύγοντι.

ὅτι αφαιρων τὸν ἵππον, ἱππέως ἀπεστέρει τὴν πόλιν.

ωστε μηδεν δι ἀλλο με ἡγεῖσθε ταύτην ποιεῖσθαι τὴν ἀπολογίαν, ἢ ὅτι —

ἀλλ' ὅσοι καὶ τὰ πατρῷα καὶ ἄν τι ποθὲν λαβωσιν.

τεσσαράκοντα μνᾶς λαβων κατεχρήσατο.

ἐνίοτε γὰρ ὐκ ἔστιν — τοιαῦτα, α κτησαμένῳ — ἡδονὴν ἂν παρέχοι.

ὃ νυνι σαφέστατον ἔλεγχον νομίσατε.

μηδαμῶς τοῖς λέγουσι βεβαιώσητε λεγειν το πάντων πονηρότατον· λέγεται γὰρ —

παρεσκευασάμην δὲ καὶ τὸ πλήρωμα προσηκον καὶ τὴν ἄλλην ὑπηρεσίαν ἀκόλουθον.

Pag. Edit. Vulg.

725. 10. ὥσε μᾶλλον αἱτεῖνται — περὶ τῆς ψυχῆς κινδυνεύειν, ἢ παύσασθαι — ἀδίκως κερδαίνοντες.

777. 11. τοῖς ὅρκοις καὶ ταῖς συνθήκαις ἐμμένουσι.

779. vlt. διελύσαντο τοῖς ὅρκοις καὶ ταῖς συνθήκαις ἐμμένειν.

838. 2. ἐξ ἑτῆ τὴν ἀρχὴν ἐποιήσατο.

840 8. ἐπειδὴ ἐκείνων δίκην ἃ δέδωκεν ὁποίαν καὶ νῦν τὴν ἀρχὴν κατεσήσατο.

851. 2. τῶν συγκαλεσάντων τὸν δῆμον.

859. 2. εἰ μὴ ταῦτα ὑμῖν ἀρέσκει, ἐξαλείφειν κελεύω.

891. 5. ἔστι γὰρ αὐτῷ τὰ ἐπιτηδεύματα κοινὰ παραδείγματα.

899. vlt ὅτ' ἐκεῖνος ἐξέλιπε.

911. vlt. Φιλοτιμίαν δὲ πλέτῳ.

Nonnunquam etiam verborum apices et punctorum moneata immutaui, in quibus Stephanus obdormiscebat; lectore non admonito, vbi admonere taedio fuisse futurum sensi. Illud interea nescius ne esses velim, quod saepissime, imo infinitis fere in locis, de vulgata parum sollicitus eam lectionem in Interpretatione secutus sim, quae ex sola coniectura nascererur. Nam in Latinis, quae tota nostra sunt, tantam certe auctoritatem habere volui, cum Graeca publici potius iuris quam mei fuisse existimaui. Et ne aliqua frustus lectori subesset, quaecunque ita verti, ea vt literis, quas cursiuas vocant, discernerentur, sedulo curaui. Singulis praeterea Orationibus Argumentum praemisi, vt ad orationem ipsam aditus facilior quodammodo fieret et iucundior: in quibus et Quaestionis statum, et Actionis genus, et solennis agendi ritus praetermisi, tum ne *Meursii*, *Petiti*, ceterorumque scrinia compilarem, tum quia sensi haec plerumque eo gratiora esse, quo breuiora. Postremo vtriusque

Edit. Noſtra.

ὥστε μᾶλλον αἱροῦνται — περὶ τῆς ψυχῆς κινδυνεύειν,
ἢ παύσασθαι — ἀδίκως κερδαίνοντες.
τοῖς ὅρκοις καὶ ταῖς συνθήκαις ἐμμενεῖν κελεύουσι.
διεκελεύσαντο τοῖς ὅρκοις καὶ ταῖς συνθήκαις ἐμμένειν.

ἐξετὴν ἀρχὴν ἐποιήσατο.
ἐπειδὴ ἐκείνων δίκην ἐδέδωκεν ὁποίαν εἶδεν, καινὴν τὴν
ἀρχὴν κατεστήσατο.
τῶν συγκαταλυσάντων τὸν δῆμον.
εἰ μὴ ταῦτα ὑμῖν ἀρκέσει, ἐξαλείφειν κελεύει.
ἔστι γὰρ αὐτῷ τὰ ἐπιτηδεύματα καινὰ παραδείγματα.

ὅτ' ἐκεῖνος ἐξέπλει.
Φιλοτιμίαν δὲ πλούτου.

que Editionis, quae meam praeceſſit, Aldinae puta et Stephanicae, paginas in ora noſtrae deſcribi volui, vt, ſiquando vſus venerit, minimo negotio conferri et adhiberi poſſent.

Graecis ſubiunxi, quia populo aliqua ex parte placere volui, Interpretationem Latinam, et, quia aliorum olera male cocta recoquere operae fuiſſet inficetiſſimae, omni ex parte nouam. Quam prouinciam quali laude geſſerim, id, etiamſi id maxime nollem, aliorum iam futurum eſt iudicium. At priuſquam de me calculum ferat quisquam, experiendo ſciat velim, quam operoſum ſit, quanta ſollicitudine plenum, quae eleganter Graece dicuntur, bene Latina vertere; ea fide verbum verbo adnumerare, vt aliquis ne decedat color; ea venuſtate ora Auctoris effingere, vt Interpres eſſe non deſinas; religionem denique temperare cum elegantia. Id enim volui, et ſi minus aſſecutus fuero, tametſi in ingenii noſtri imbecillitate nonnihil,

imo maximum ineſſe confiterer, aliquid tamen in rei ipſius difficultate conſtare arbitror.

In Notis, quas ad textum recenſendum adhibui atque imae paginae ſubieci, minimae vel operae vel laudis arbitrabar fore, ſi lectiones ſolummodo variantis, ſumma licet cum fide atque ſedulitate deſcripſiſſem. Viciſſim temerarii ingenii ſemper eſſe iudicaui, eas tantum lectionum diſcrepantias excerpere, quae edenti notabiliores eſſe viderentur. Vnde euenire ſolet, vt vel ex hac parte defraudetur aliquando ingenium legentis, qui ex paruulis iſtiusmodi ſcintillulis lucem foenerari potuiſſet; vel ex illa ſumma oriatur ariditas et legendi faſtidium. Porro vbi ſcripti Codd. nihil quidquam ſuppetiarum tulere (quod in plurimis deprauatis locis contigit) et diuinando res erat agenda, eum modum mihi ſeruandum eſſe duxi, quem ab homine nouo, minimae aut celebritatis aut exſpectationis ſeruari fas erat. Deinde autem aliquoties adducuntur ad ſtabiliendam coniecturarum fidem loca ex probatiſſimis ſemper (nam id te ſcire volui) ſcriptoribus deſumpta. Quorum auctoritate dum vtor, ſi quidquam a me vel lucis vel puritatis, foenoris loco, acceperint, nolis id a me factum exiſtimare gloriolae aucupandae cauſa, aut ad oſtentandum, qualis vir ſiem; ſed partim quia vnum ſcriptorem emaculaturus nihil iſtiusmodi a me duxi eſſe alienum; partim quia lector, obſeruaturus ſimilem in pluribus ſcriptoribus erroris occaſionem, emendationibus noſtris aliquam vim et auctoritatem accedere non inuitus confitebitur.

Quicquid igitur in Textus medelam adferre potui, id pene omne Textui, vt par erat, ſubieci. Cetera, quaecunque de *Lyſia* obſeruanda duxi, ea Lectionibus Lyſiacis reſeruaui perpetuo orationis filo commentanda.

Notis inſerui adhuc inedita, quae dudum ad oram exemplarium ſuorum adleuere *Ioſephus Scaliger* et *Claud. Salma-*

Salmaſius. Exemplar, quo vſus eſt *Scaliger*, (cuius rei *Dodwellus* in libro ſuo de *Cyclis Graecorum* fidem facit) ad *Edw. Bernardum* Profeſſorem apud *Oxonienſis Sauilianum* olim pertinuit, hodie in Bibliotheca *Bodleiana* adſeruatum. *Salmaſianae* vero notae, quas merito queraris eſſe pauciſſimas, ex editione *Stephani*, quam ſeruat Bibliotheca Academica *Lugduni Batauorum*, deſumuntur. Rationem denique habui omnium, quae obſeruarunt vel *Gulielmus Canterus*, vel *Iacobus Palmerius*, hic in *Exercitationibus ad optimos fere Auctores Graecos*, *Lugd. Bat.* 1668. 4to. ille in verſione Latina *Rhetorum quorundam*, *Baſ.* 1566. fol. aut *Muretus* denique in libris *Variarum Lectionum*.

Fragmenta deinde ſedulo conquiſiui, primusque, quod ſciam, reliquias huiuſce auctoris collegi. Opus ſane pluris operae, quam aut elegantiae, aut gratiae. Tumultuarium doctrinae genus, vbi ingenii exiguus, laterum infinitus labor. Ad haec promiſſum Indicem adieci, vitam Auctoris, quam ſedulo concinnaui, et teſtimonia, quibus a Vett. ornabatur *Lyſias*, edentium ad normam ſtudioſe vndique collegi.

Accedunt praeterea CONIECTVRAE, quas pro egregia ſua humanitate, qua inſigniter pollet, mecum benigniſſime communicauit ſummus Vir *Ier. Marklandus*, a me ſemper et amicitiae et eruditionis nomine plurimi habendus, et colendus maxime. Quo ſane facto Vir celeberrimus non ſolum Editionis noſtrae nitori, verum etiam aliquantum Editoris famae conſultum iuit: cum deprehendet aequus lector locis aliquammultis a me olim reſtitutis tanti Viri accedere conſilium et auctoritatem.

Praeter lectiones varias, quas ex Cod. MS. (quem idcirco *Stephanicum* appellare ſoleo) *H. Stephanus* deprompſit, Textum *Lyſiae* collatum curaui, gratia atque interuentu praeſtantiſſimi atque humaniſſimi Viri *D. Ber-*

D. Bernardi Montefalconii, quo nemo has literas felicius aut humanius adiuuit, cum Cod. MS. olim *Segueriano*, postea *Coislinano*, hodie vero *Sangermanensi*. Codex est membranaceus in folio, numero 342. quam diu in Bibliotheca *Coislinana* adseruabatur, saeculo XV exaratus. Amanuensis, qui hunc Cod. descripsit, Graecae linguae imperitus, multa in lectione nouauit, et nonnullas voces barbaras admisit. Vocalis ι, υ, η, ει, οι, item ε et αι saepissime immiscuit: Quod fortasse non ex sua insciticia admisit, verum ex suo exemplari, quod descripsit, deriuare potuit. Iampridem enim earum vocalium tam inter scribendum, quam inter legendum promiscuus erat vsus. In eo perpetuo fere exarantur ἐδύνατο, γιγνώσκειν, ἵνεκα, γίγνονται, ἐφθαρμένοι, τειχιζόντων, ὑπερβαλλόντων etc. quae in aliis Codd. leguntur ἠδύνατο γινώσκειν, ἕνεκεν γίνονται, διεφθαρμένοι, διατειχιζόντων, ὑπερβαλόντων etc. Et similiter vbique fere desunt notae illae μαρτυρες. ψηφισμα νομος ceteraque huiusmodi. Verum Codex infra hanc, quam dixi, aetatem positus, et incuriosius aliquando descriptus saepenumero vestigium optimae lectionis expressum reseruauit.

Pag.		Cod. Coisl.
17. 3.	ὑβρίζων εἰς σὲ καὶ τὴν γυναῖκα.	ὑβρίζων εἰς σὲ καὶ τὴν σὴν. Id erat, vti diuinauit Cl. *Marklandus*, καὶ τὴν σὴν γυναῖκα.
26. 2.	Σώσαστρος.	Σώστρατος.
42. 1.	αὕτη γὰρ ἐπὶ πάντων — κυριωτάτη.	αὕτη γὰρ ἐξ πάντων — κυριωτάτη.
43. 3.	ἐπεὶ δὲ.	ἐπειδὴ
44. pen.	καταλείψομαι.	καταλήψομαι.
53. 1.	ἐξῆν.	ἐξεῖναι.
65. 2.	ἀσεβείας.	ἀσεβείας.

μαρ-

Pag.		Cod. Coisl.
145.	3. μαρτυρέμενον.	μαρτυρόμενον.
163.	12. ἐλεκθείην.	ἐλεηθείην.
212.	5. ἐξ Λρείε.	ἐξ Λρείου πάγου.
217.	vlt. τριετήσαντας.	τελευτήσαντας.
235.	2. μετέδωκε.	μετέδομεν.
238.	pen. ἕτερος δὲ ἔξει Κηφισίῳ [καιρὸς]	ἕτερος δὲ ἥξει Κηφισίῳ [καιρὸς]
245.	1. συντριπράρχεν.	συνετριπράρχεν.
249.	1. ἃ νῦν εἰκομπάσει.	ἃ νυνὶ κομπάσει.
263.	vlt. ἦν ἐν αὐτῷ.	ἐνῆν ἐν αὐτῷ.
267.	1. ἐκ ἀξιῶται.	ἐκ ἀξιῶτε.
280.	1. τὲς ἐννέα ἄρχοντας ἀπήγαγες.	τὲς ἐννέα ἄρχοντας ἐπήγαγες.
297.	1. ὃς μὲν γὰρ — τοῖς δὲ.	τὲς μὲν γὰρ — τοῖς δὲ.
298.	3. ὧν ἐγώ τε δυνατὸς ἂν.	ὧν ἐγώ τε δυνατὸς ἦν.
318.	6. εἰ μέντοι ὑμᾶς οἴ ὄντε.	εἰ μέντοι ὑμᾶς οἴονται.
336.	vlt. περὶ τῆς ἀντιγραφῆς.	περὶ τῆς ἀπογραφῆς.
348.	6. ἀπεκτείνασι.	ἀπεκτόνασι.
353.	3. αὐτὸ μὲν Θέων — ἐδικάσω.	αὐτὸς μὲν Θέωνι — ἐδικάσω.
395.	vlt. ἐλυκτῆρας.	ἐλικτῆρας.
400.	3. ἐβελεύοντο.	ἐβέλοντο.
430.	5. ψηφίσαισθε.	ψηφίσισθε.
432.	7. τυγχάνει.	τυγχάνοι.
448.	4. ἀπέκτανε.	ἀπέκτεινε.
455.	9. ἵνα μηδεὶς ἐκείνων.	ἵνα μηδεὶς ἐκεῖ.
456.	7. τὴν βελὴν τὴν πρὸς τῶν λ̄ βελεύσαν.	τὴν βουλὴν τὴν πρὸ τῶν λ̄ βουλεύσαν.
460.	vlt. παρορμήσαντες	παρορμίσαντες.

διότι

Pag.	Cod. Coisl.
478. 2. διότι ἐκ ἂν ἄξιοι ἐδόκειν.	διότι ἐκ ἄξιοι ἐδόκειν.
485. 3. ἀπὸ Λογράτου ἀπεξέρησθε.	ὑπὸ Λογράτου ἀπεξέρησθε.
502. 5. ἀπὸ τούτου — τεθνήκασιν.	ὑπὸ τούτῳ τεθνήκασιν.
521. 11. μόνον αὐτῶν τῶν πολιτῶν ἔνοχον εἶναι.	μόνον αὐτὸν τῶν πολιτῶν ἔνοχον εἶναι.
535. 5. εἴ τις ὑμῶν τὸν Αλκιβιάδην ἀξιώσει	εἴ τις ὑμῶν τὸν Αλκιβιάδην ἀξιώσει
537. 2. ἐκ ἂν δύνασθαι — λαμπρῶς γενέσθαι.	ἐκ ἂν δύνασθαι — λαμπρὸς γενέσθαι.
578 pen. Συλλεγόντων — τῶν δημοτῶν.	Συλλεγόντων — τῶν δημοτῶν.
631. 6. δεόμεθα.	ἐδεόμεθα.
634. 1. ἀλλὰ τότε σκοπεῖτε.	ἀλλὰ τόδε σκοπεῖτε.
679. vlt. ἀλλὰ πάντων μᾶλλον κατηγορεῦσιν, ἢ —	ἀλλὰ πάντα μᾶλλον καλῆγορεῦσιν, ἢ —
720. vlt. ἢν πάντες εἴσεσθαι μέλλουσιν.	ἢν πάντες εἴσεσθαι μέλλουσιν.
722. vlt. ἐπὶ δὲ ταύτῃ μόνῃ — χωρὶς σιτοφύλακος ἀποκληρεῖτε.	ἐπὶ δὲ ταύτῃ μόνῃ — χωρὶς σιτοφύλακας ἀποκληρεῖτε.
769. 8 οἱ μετ' ἐκεῖνον δημαγωγοί.	οἱ μετ' ἐκείνων δημαγωγοί.
778. 4. τὲς δὲ συκοφάντας εὐδοκιμεῖν δέξαιντ' ἂν παρ' ὑμῖν μέγα δύνασθαι ἐν τῇ πόλει.	τὲς δὲ συκοφάντας εὐδοκιμεῖν δέξαιντ' ἂν παρ' ὑμῖν καὶ μέγα δύνασθαι ἐν τῇ πόλει.
823. 7. ἐκ ἄξιον — ἡττῆσθαι, ἀλλὰ παράδειγ-	ἐκ ἄξιον — ἡττῆσθαι, ἀλλὰ παράδειγμα πᾶσιν

Pag.		Cod. Coisl.
	μα πᾶσιν ἀνθρώποις ποιῆτε, καὶ μήτε κέρδος, μήτε ἔλεον, μήτ' ἄλλο μηδὲν περὶ πλείονος ποιήσασθε τῆς τούτων τιμωρίας.	σιν ἀνθρώποις ποιῆσαι, καὶ μ. κ. μ. ε. μ. α. μ. π. π ποιήσασθαι τῆς τούτων τιμωρίας.
851.	5. ἐδὲν εἰκὸς αὐτῷ τοῦτο ὑπὸ λόγον γενέσθαι.	ἐδὲν εἰκὸς αὐτῷ τοῦτο ὑπόλογον γενέσθαι.
860.	7 σκῦλα ποιεμένες.	σῦλα ποιεμένες.
870.	8. ἐκ ἂν δικαίως εἴη ἔτος διὰ τοῦτο ὠφεληθῆναι.	ἐκ ἂν δίκαιος εἴη ἔτος διὰ τοῦτο ὠφεληθῆναι.
873.	6 ἐν ἀγορᾷ.	ἐν ἀγρῷ.
884.	12 ἀκέσατε αὐτοῦ λαβόντος τὸ ἀργύριον.	ἀκέσατε αὐτοῦ τοῦ λαβόντος τὸ ἀργύριον.

Eiusdem praestantissimi Viri adiutu, Orationem secundam, quae *Funebris* est, collatam curaui cum Cod. MS membranaceo in eadem bibliotheca adseruato, num. 249, qui ad decimum saeculum facile adsurgit. Liber ille bonae frugis plenus atque auctoritate summus complectitur praeterea *Aeschinis* Orationes et Epistolas, et *Synesii* nonnulla. Eiusdem Orationis Exemplar MS. adseruat. instructissima Bibliotheca *Barocciana* eadem fere et aetate et fide exaratum: quod cum editis quam adcuratissime contuli. Codex ille *Synesii* quoque nonnulla continet, chartaceus, num. 139. 4to. in principio orationis mutilus. Desunt etenim duo folia integra, atque insuper tertii pars dimidia. Ceteroquin bonae notae, neque ea vasta lacuna laborans, quae in recentioribus Codd. *Aldinis* sc. et *Coisl.* 1. ad eam orationem vitiatur.

Eius-

Eiusdem porro Orationis lectiones varias ex Codd. MSS. desumptas subministrarunt Bibliothecae Cantabrigienses ad oram Editionis *Aldinae* diligenter adnotatas. Exemplar alterum Collegio *D. Ioannis* testamento suo legauit Vir elegantissimi ingenii, nuper Patriae pariter et Collegii deliciae, *Matthaeus Prior:* alterum in Bibliotheca *I. Mori* Episcopi Elienſis adseruatur, quam totam munificentia vere regia et liberalitate nunquam satis praedicanda Academiae Cantabrigienſi donauit Rex Optimus *Georgius I.* Huic insuper debetur, quod *Lysiae* vita a *Dionysio Halic.* descripta atque etiam tres postremae Orationes ibidem seruatae emendatiores aliquanto prodeant.

Exstant praeterea in exterorum bibliothecis Codd. alii *Lysiae* MSS. quorum copiam, tametsi id sedulo operam dedi, multum et prece et gratia enixus, nondum tamen comparare potui. Huiusmodi sunt, praeter *Laurentianos*, quos alibi me enumerasse memini, in Bibliotheca *Ambrosiana* Mediolani Cod. operum *Lysiae*, sed manu recentiori: Caesareus alius in Bibliotheca *Vindobonensi* inter Codd. Philologos num. 59. chartaceus, in fol. antiquus et optimae notae: In bibliotheca *Vaticana* tertius, in *Palatina*, quae itidem Romae est, alius. Erat etiam in bibliotheca *Wittiana*, cuius ante aliquot annos distractio fuit, *Lysias* Gr. MS. Vt orationes singulares praetream, verbi gratia, primam in Bibliotheca *Palatino-Vaticana*, num. 117. 4to. priores duas in Bibliotheca Regia *Parisiensi*; ceterosque praeterea Orationis II. Codd. MSS. quorum alibi mentionem feci. *Lysiae* Orationes 32, Sermonem Epitaphium et Epistolas 6 exstare Graece in quadam Italiae bibliotheca memorat, nescio tamen qua fide, *Gesnerus.* Nam de Auctoris nostri Epistolis integris diu multumque quaerens nihil vnquam certi inuestigare potui. Horum igitur exemplarium vsum, si qua gratia

tia comparari possit, a me summopere, sed frustra, efflagitatum, eis commendari velim, si qui post labores nostros *Lysiam* edendum susceperint: Codicis maxime *Palatini*, quoniam in eo adseruari videtur *Lysiae* Oratio *contra Niciam* nondum edita et fragmentis solummodo aliquibus nota.

Atque haec fere sunt, quae vt scires, tua et mea interesse arbitrabar. Sis interea admonitus, neque enim a loco alienum esse duxi admonere, me in iurisprudentia Attica pene totum et isti quasi glebae adscriptitium, *Demosthenis* totum quod superest, adcurate ad fidem Codd. manuscriptorum recensitum prelo indies parare; eidem aequissimis conditionibus, et, si id velis, Tuis committendum. Cuius editionis rationes, modum et formam mihi ab iis, quorum id intererit, praescribi exoptarem, consilio quasi publico (si tanti esse videbitur, atque ea de re aliquo demum pacto conueniri potest) non meo vsurus. Vt plurimorum igitur votis aliquo modo satisfacere possim, instituí interea in animo meo, tot exemplaribus, quot sc. istud consilium non ingratum fore videbitur lectoribus, *vernacularem*, quam vocant, *interpretationem* subiungere, vel mea vel amicorum quorundam, qui id oneris iam in se susceperint, opera adornandam; ceteris Latinam: siue vulgatam *Wolfii*, siue aliorum, qui in singularibus orationibus vertendis eum aut fide aut elegantia praeiuerint, siue denique, vbi vtrinque res infeliciter cesserit, propriis laboribus de nouo concinnandam. Multorum consilio adiungi velim nonnullorum gratiam et auctoritatem, quibus alius pollere potest in exemplarium Manuscriptorum notitia communicanda, alius in eorum vsu et conferendi facilitate expedienda. Meum erit laborem in edendo proprium, fructum alienum iudicare. Haec tamen omnia ea conditione a me dicta, atque hoc consilii susce-

ptum existimes, si nempe mea opera, fides et diligentia, quam hodie in *Lysia* eris perspecturus, ea tibi videbitur, cui *Demosthenem* committas: aliter dicta pro indictis, consilium susceptum pro depositio, accipias velim. Neque enim legi tam sitienter expeto, vt non Editoris nomen cum aliquo legentis fastidio coniunctum quam citissime respuerem: neque a rebus aliis tantum ocii nactus sim, vt sine Exemplarium collatione domi exercitatus esse non possim. Vale. Dabam e Collegio D. Ioannis Cantab. Nonis August. MDCCXXXVIII.

IEREMIAE MARKLANDI
PRAEFATIO
CONIECTVRIS IPSIVS AD LYSIAM PRAEMISSA.

Rogatu Eruditissimi Editoris, nonnulla, quae inter legendum corruptissimum hunc Auctorem obseruaueram, in has schedas contuli: raptim quidem, vt qui serus huic negotio accesserim. Caeterum breuitati, quantum res sinebat, studui: tum ne forte actum agerem; tum, quia non perpetuum Commentarium scripturus eram, sed *Coniecturas*, res sine MSS. plerumque incertissimas, et quarum probabilitati appositis quidem exemplis multum, verbis vero tuis quantis libet, parum adstruxeris. Haec itaque mea ita accipias peto, vt, si loca suspecta ex MSS. aliter sanari possint, quae dixi omnia indicta sint. Et si quando Dictatoria ista, *Lege*, vel *Scribe*, occurrant, scito me nihil aliud velle, quam *Forte legendum*, vel *scribendum*.

Eo

Eo vero lubentius hoc opus suscepi, quod nonnulla animaduerteram in Lysia, nondum ab aliis, quod sciam, prolata, quae *Noui Foederis* Textui et Phrasibus illustrandis inseruire posse existimaui. Haec igitur, prout suppetebat memoria, protuli: non vt ex Paulo vel Luca Lysiam *Bene* scripsisse, sed vt ex Lysia Paulum vel Lucam *non Male*, probarem. Coniecturas quoque paucas, data (vel, si velis, quaesita) occasione, in loca N. F. quae mihi suspecta sunt, immiscui: quas iudiciis eruditorum, qui in istis Sacris accuratius versati sunt, permitto, ea modestia et ἐποχῇ, quae debetur τοῖς λογίοις τῦ Θεῦ. *Aptior*, forte inquies, *huiusmodi rebus inueniretur locus.* Quae obiectio, vt forte non improbabilis est, ita valeat, quantum valere potest.

Has Orationes Scholiis breuibus, seu coniecturis in loca aliquot, illustrant duo Viri Celeberrimi, *Henr. Stephanus*, et *Andr. Schottus* Antuerpiensis, e Soc. *Iesu:* Ille, ad marginem pulcrae suae Editionis *Oratorum Veterum*, Paris. 1575. quam in his Notis sequor: Hic, ad calcem Editionis, quam cum Versione sua publici iuris fecit *Iodocus Vanderheidius* Brabantus, Hanouiae 1615. Et *Stephanus* quidem in hoc opere feliciter plerumque, vt mea fert opinio, versatus est. De *Schotti* (doctissimi, et, quod multo potius est, humanissimi Viri) siue Festinatione, siue Mentis intentione aliorsum versa, est quod saepius doleas, interdum et queraris. Multa quoque me mouent, vt crederem *Schottum* haec scripsisse Iuuenem, nec adhuc compotem istius vsus et peritiae in Graeca Lingua, quam postea assecutus est: haec, inquam, in Marginem Libri raptim, vt fit, coniecta, atque inde sine accuratiori examine Amico suo submin strata crederem, nisi ipse in praefatione aliud profiteri videretur. Incuriam igitur Optimi Viri animo aliis occupationibus Literariis districto adlegemus, sed non ideo dissimulanda fuit,

ne alios quoque *Schotti* nomen et fama in errorem traheret. De Versione *Vanderheidii* nihil dico. cum enim Contextus adeo esset deprauatus, nil mirum, si vara vibiam sequeretur. Vale. LONDINI, Ian. IV. MDCCXXXVIII.

LYSIAE VITA

A IOANNE TAYLORO CONSCRIPTA.

Natus est *Lysias* eo tempore, quo res Atheniensium domi forisque, siue rerum gestarum gloriam, siue pacis ornamenta spectemus, ad summam quasi maturitatem erant perductae [1]. Barbaris enim nuper terra marique profligatis, et vniuersae Graeciae libertate feliciter vindicata, vt nemo iam hostis superesset, nisi domi fuisset quaerendus, populus Atheniensis, bellicae quasi laudis satur et gloriae armis partae, praestantissima omnis memoriae ingenia in acie fori atque in vmbra Academiae excolere coepit. Tum fuit *Thucydides* et *Xenopho*, a quibus post *Herodotum* Historia commota est, vt auderet vberius, quam superiores, et ornatius dicere: Scenam inlustrarunt *Sophocles* et *Euripides*, et in diuerso genere *Aristophanes* et *Menander*, qui ceteris pene omnibus eiusdem artis auctoribus nomen abstulere: Tum primum Philosophia, in qua de rebus bonis et malis, deque hominum vita, moribus et officiis disputatur, inuenta et exculta esse dicitur: quam idcirco *Socrates* auctor, de caelo, nam illa altera de Natura fuit antiquior, deuocasse fertur. In

1. *Diod. Sic.* ad Olymp. LXXX. 2.

In hac denique vrbe atque his temporibus primum se Eloquentia extulit, eadem pene tempestate et nata et perfecta; cum decem simul Oratores Athenis aetas vna tulerit [2], quorum vt diuersa virtus, nam inter se

 pares

2. Celeberrimi isti X-viri secundum aetatem hoc ordine videntur esse collocandi. I. ANTIPHO antiquissimus, qui floruit κατὰ τὰ Περσικά, Themistoclis, Aristidis etc. aequalis. II. ANDOCIDES natus Olymp. LXXVIII. 1. III. LYSIAS Olymp. LXXX. 2. Vnde corrigendus *Plutarchus* in *vit. Andocidis*. Ἄρχει δὲ αὐτῷ (i. e. Andocidi) τῆς γενέσεως Ὀλυμπιὰς μὲν ἑβδομηκοστὴ ἐγδόη, ἄρχων δὲ Ἀθήνησι Θεαγενίδης. ὥστε εἶναι πρεσβύτερον αὐτὸν Λυσίᾳ ἔτεσί που ἑκατόν, legendo potius ἔτεσί πως ἑκατόν. Quod verum est. IV. ISOCRATES Olymp. LXXXVI. 1. Iterum corrigo eundem *Plutarchum*, γενόμενος δὲ (i. e. *Isocrates*) κατὰ τὴν ἐγδοηκοστὴν ἕκτην Ὀλυμπιάδα Λυσιμάχου Μυρρινουσίου δύο καὶ εἴκοσιν ἔτεσι, πρεσβύτερος δὲ Πλάτωνος ἑπτά. Lysimachus eo anno summum Athenis Magistratum gessit, qui domo Myrrhinusius fortasse fuit, sed non noui eam conditionem aut morem describendi Archontas. Sed ita describantur per me licet. Cui tamen connectuntur ista δύο καὶ εἴκοσιν ἔτεσιν? Nimirum ante vel post Λυσιμάχου excidit vox ἄρχοντος, et pro Μυρρινουσίου legendum est νεωτερος (quae vox in MSS. compendiose describi solet) Λυσίου δύο καὶ εἴκοσιν ἔτεσιν etc. Plane vt *Dionys. Halic.* Ἰσοκράτης ὁ Ἀθηναῖος ἐγεννήθη μὲν ἐπὶ τῆς ἐγδοηκοστῆς καὶ ἕκτης Ὀλυμπιάδος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Λυσιμάχου, πέμπτῳ πρότερον ἔτει τῆ Πελοποννησιακῆ πολέμῳ, δυσι καὶ εικοσιν ετεσι νεωτερος Λυσιου. (V) ISAEVS, qui tempore belli Peloponnesiaci vixit et Demosthenem instituit. (VI) AESCHINES, qui videtur in lucem fuisse susceptus circa Olymp. XCVII. *Demosthene* paucis annis ma-

pares non fuerunt, summam pene laudem est consecuta, ita his extinctis, optimum illud genus eloquentiae studiumque dicendi sensim elanguit. Ad haec Athenae non solum Reip. prudenter institutae, verum etiam cum moderatione administratae gloria floruerunt, atque ad Iurisprudentiam Romanam condendam, quae hisce temporibus XII tabulis describi coepit, consilium suum et auctoritatem largitae, sapientiae existimationem ad omnem memoriam propagarunt. Talem habuit nascendi conditionem Scriptor noster, qua nulla inlustrior aut glorioſior excogitari possit.

Natus

ior. (VII) LYCVRGVS *Platonis* et *Isocratis* auditor, cuius inter Oratores Graecos *H. Stephani* suauissima et lectu dignissima, paucis tamen nota, exstat Oratio vnica. (VIII) DEMOSTHENES natus Olymp. XCIX. 4. (IX) HYPERIDES, ab Antipatro, eodem fere tempore, quo *Demosthenes*, interemptus. (X) Denique DINARCHVS natus Olymp. CIV. 4. Horum omnium Scriptorum, si *Hyperidem* excipiamus, quaedam ad nostram aetatem peruenere: Eorum vitas literis complexi sunt *Plutarchus*, et *Photius in Bibliotheca*. Nonnullorum etiam *Philostratus*. Γένει μὲν καὶ ἀξιώματι, πολὺ πρέχοντες ἁπάντων, παιδείᾳ δὲ καὶ λόγων δυνάμει τῇ Αττικῇ Δεκάδι παραβάλλοις ἄν. Lucian. *in Scytha. Leont. Antholog.* III. 30.

Χειρεδίῃ τόδε σῆμα, τὸν ἔτρεφεν Ατθὶς ἄρουρα
Εἰκονα ῥητήρων τῆς πρωτέρας Δεκάδος.

Erat enim alia et posterior Decas, de qua consulendus *Suid.* in Νικόστρατος, *Philostrat. in Herode*, *Auctor Prolegom. in Aristidem.*

Natus est Athenis [3] Olymp. LXXX. 2. Philocle Archonte [4]. Patrem habuit Cephalum [5] Syracusanum

 Lysa-

3. Athenis certe. Cephalus Pater Athenas commigrat Syracusis XXX. annos ante decessum. *Lysias c. Eratosth.* Lysias quindecennis profectus est Thurios, patre iam emortuo. *Plutarch. in vit.* Atque ita *Suidas*, qui *Lysiam* Syracusanum vocat, (i. e. genere, et maioribus) ait tamen, ἐτέχθη δ' ἐν Αθήναις. *Iustinus* quidem et genere et natalibus Siculum esse velit, Lysias, *Syracusanus Orator, exsul tunc, quingentos milites stipendio suo instructos in auxilium patriae communis eloquentiae misit.* V. 9. et *Timaeus* quoque teste *Cicerone.* Catonis *autem orationes non minus multae fere sunt, quam Attici* Lysiae — *est enim Atticus: quoniam certe Athenis est et natus et mortuus, et functus omni ciuium munere, quanquam* Timaeus *eum quasi Licinia et Mucia lege repetit Syracusas.* De Cl. Oratoribus. Eadem fere, quae *Iustinus*, habet *Orosius* II. 27. Lysias *quoque Syracusanus Orator, quasi in auxilium vrbis, quae esset patria communis eloquentiae, quingentos milites cum stipendiis suis misit.*

4. Male *Plutarchus*, (siue auctor recentior, qui *Plutarchi* nomine abutitur) in *Lysia:* γενόμενος Αθήνησιν ἐπὶ Φιλοκλέους ἄρχοντος τῷ μετὰ Φρασικλῆ κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ὀγδοηκοστῆς καὶ δευτέρας Ολυμπιάδος. Corrige, τῷ μετὰ Φρασικλείδην κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ογδοηκοστης Ολυμπιάδος. Vid. *Palmer. Exercit. Meurs. Attic. lect.* IV, 14. *Ionsius de Script. Hist. Philosoph.*

5. Praeter Cephalum Syracusanum *Lysiae* patrem fuit Rhetor quidam Athenienſis, *Cephalus* nomine, quos inter se commisere imperitiores. Rhetorem hunc et demagogum memorant *Dinarch. c. Demosthenem*, *Andocides* saepius, *Athenaeus*, *Suid.* in V. *Tzetz.* Add.

Lysaniae F. Cephali N. qui Athenas commigrauit siue Periclis, cuius hospitio et familiaritate vtebatur, suasu, vt auctor est *Lysias* in oratione *contra Eratosthenem*, siue ciuium iniuria, cum aduersis Reip. temporibus Gelo Syracusarum imperium capessiuit. Is est Cephalus, apud quem domi habebantur a *Socrate* immortales isti sermones *de Republica*, quos *Plato* literis mandauit: vbi

Aristoph. Eccles. 248. σχ. ad loc. et ad 253. Fragmentum Cephali proferunt *Suid.* et *Etym. M.* in v. Ἐπιτιμία. *Ioannes Tzetzes* homo bonus *Chiliad.* V. 34. confundit Cephalum Syracusanum *Lysiae* patrem, Cephalum Rhetorem, de quo in praesenti agimus, et Cephalum τὸν παλαιὸν (vt eum vocat *Aeschines c. Ctesiph.*) qui Aristophontem aduersarium nactus est περὶ καλῆ βίᾳ, vter sc. melius aetatem egerit, vbi Cephalus laudi duxit se nunquam φυγεῖν, Aristopho se saepe φυγεῖν, ἁλῶναι nunquam. Eam contentionem ita exprimit *Aesch.* l. c. Ετόλμα δ' ἐν ὑμῖν ποτε σεμνύνεσθαι Αριστοφῶν ἐκεῖνος ὁ Αζηνιεὺς, λέγων, ὅτι γραφὰς παρανόμων πέφευγεν ἑβδομήκοντα καὶ πέντε· ἀλλ' ἐχὶ ὁ Κέφαλος ὁ παλαιὸς ἐκεῖνος ὁ δεκῶν δημοτικώτατος γεγονέναι, ἐχ οὕτως, ἀλλ' ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις ἐφιλοτιμεῖτο, λέγων, ὅτι πλείω πάντων γεγραφὼς ψηφίσματα, οὐδεμίαν πώποτε γραφὴν πέφευγε παρανόμων: καλῶς (οἶμαι) σεμνυνόμενος. Ita *Tzetzes*:

Οὗτος [Cephalus] καὶ δικαιότατος ἁπάντων ἦν ῥητόρων,
Παρ' ὅλην τέτε τὴν ζωὴν μὴ σχὼν κατηγορίας.
Αριστοφῶν δὲ τἄμπαλιν ὑπῆρχε τῷ Κεφάλῳ,
Αεὶ κατηγορέμενος, νικῶν δὲ ἀντιδίκους.

Neque solum hunc errorem errauit *Tzetzes*, verum etiam Cephalum *Lysiae* P. Thurium appellat, et Oratoris N. res gestas in debellandis XXX tyrannis Cephalo adsignat.

vbi de hominis aetate, gratia, moribus et opulentia satis multa memorantur. Καὶ ἐγὼ ἀγασθεὶς αὐτῦ εἰπόντος ταῦτα, βουλόμενος ἔτι λέγειν αὐτὸν, ἐκίνουν· καὶ εἶπον, ὦ Κέφαλε. οἶμαί σου τὰς πολλὰς, ὅταν ταῦτα λέγῃς, οὐκ ἀποδέχεσθαι, ἀλλ' ἡγεῖσθαί σε ῥᾳδίως τὸ γῆρας φέρειν, οὐ διὰ τὸν τρόπον, ἀλλὰ διὰ τὸ πολλὴν οὐσίαν κεκτῆσθαι. — μέσος τις (inquit Cephalus) γέγονα χρηματιστὴς τῦ τε πάππυ καὶ τῦ πατρός· ὁ μὲν γὰρ πάππος τε καὶ ὁμώνυμος ἐμοὶ, σχεδόν τι ὅσην ἐγὼ νῦν οὐσίαν κέκτημαι παραλαβὼν, πολλάκις τοσαύτην ἐποίησε· Λυσανίας δὲ ὁ πατὴρ ἔτι ἐλάττω αὐτὴν ἐποίησε τῆς νῦν οὔσης· ἐγὼ δὲ ἀγαπῶ ἐὰν μὴ ἐλάττω καταλίπω τούτοισιν, ἀλλὰ βραχεῖ γέ τινι πλείω ἢ παρέλαβον [6]. Neque bonum senem fefellit fortasse aut cura

G 5 aut

6. *Plat. de Rep.* l. 1. Eadem pene de Cephali diuitiis habet *Tzetzes*, futilis ille auctor et recens, verum mutuatus procul dubio a bonae fidei scriptoribus, πλήτῳ κομῶν καὶ εὐγενής. Chiliad. V. 34. *Cic. 4. ad Attic. 15. Feci idem, quod in* πολιτείᾳ *Deus ille noster* Plato. *Cum in Piraeum* Socrates *venisset ad Cephalum* locupletem *et festiuum senem, quoad primus ille sermo haberetur, adesi in disputando senex: deinde cum ipse quoque commodissime locutus esset, ad rem diuinam dicit se velle discedere, neque postea reuertitur. Credo* Platonem *vix putasse satis consonum fore, si hominem id aetatis in tam longo sermone diutius retinuisset.* Dum haec commentabar, et de Periclis etiam fortunis inaudieram (πλήτει δὲ καὶ γένει προσόντος αὐτῷ λαμπρῷ Plutarch. in *Pericle.* Περικλῆς, ἀνὴρ γένει καὶ πλούτῳ, πρὸς δὲ τούτοις δεινότητι λόγου — προέχων. Diod. Sic.) nescii, quo pacto accipienda erant verba *Pseudo-Plutarchi* de *Lysia*, quae cum solertiore lectore relinquam. Λυσίας υἱὸς ἦν Κεφάλου — μεταναστάντος εἰς Ἀθήνας ἐπιθυμίᾳ τε τῆς πόλεως, καὶ Περικλέους τοῦ Ξανθίπ-

aut augurium. Nam in vexatione Inquilinorum ſub XXX viris, vbi in ditiſſimum quemque ſaeuitum eſt maxime, *Lyſias* cum fratre Polemarcho primus auariſſimae iſtius coniurationis crudelitatem eſt expertus.

Olymp. LXXXIV. 1. cum Athenienſes coloniam Sybarin (i. e. Thurios) deducendam cenſuerunt, *Lyſias* XV. annos natus cum Polemarcho fratre natu maximo, iuxta *Photium* et *Plutarchum*, vel vna cum duobus fratribus iuxta *Dionyſium* (qui erant Polemarchus et Euthydemus 7) colonis ſe adiunxit, hereditatis adeundae gratia. Sybaris, vrbs vbere gleba, et ciuium 8 mollicie ad prouerbii infamiam notiſſima, in ea parte magnae Graeciae 9, ſeu Italiae ad ſinum Tarentinum ſita eſt, quae ad Auſtrum ſpectat et occidentem ſolem. Per

που πείσαντες αὐτὸν φίλον ὄντα καὶ ξένον, πλεῖστα διαφέροντα. Quid? anne dicemus *αὐτὸν διαφέροντα*? an *Περικλέους διαφέροντος*? an denique connectemus cum initio, *Λυσίας υἱὸς Κεφάλου — πλεῖστα διαφέρων*? Ita ſemper fere accidere ſolet, vt iſtiusmodi ſorices non ſolum *ἀνισοχρησίαν*, verum etiam aliquando indiligenti oratione, atque ſermonis *ἀνακολουθίαν* ſeipſos proderent.

7. *Εἰς Θουρίους πλέων σὺν ἀδελφοῖς δυσί*. Dionyſ. Halic. Eorum nomina conſeruauit *Plato* l. c. Polemarchus natu maximus, et Euthydemus alter, non *Εὔδιδος* aut *Εὔδιμος*, vt habent Codd. *Plutarchi*, aut *Εὔδημος*, vt coniecit *Xylander*. Tertium igitur, Brachyllum, ex eod. *Plutarcho*, non habuit, ſi qua fides in *Dionyſii* verbis. Quo tamen errore ductus hunc quoque fratrem adiecit *Plutarchus* fortaſſe in ſequentibus expediemus.

8. Plura *Athenaeus* l. 12. vbi incredibilia narrantur de iſtius populi luxuria.

9 Vocabatur etiam Maior et Exotica Graecia. Vid. *Scalig.* et *Dacier* ad *Feſtum*.

Per ea tempora, quibus Graecorum et Athenienſium maxime Fortuna ſe extulerat, populus ille diutino bello fractus, atque etiam Crotoniatarum vi patriis ſedibus eiectus, legatos in Graeciam ad auxilium implorandum miſit. Oſtentabant agri fertilitatem, commoditatem loci, quem in Siciliam nauigantibus vel portum amiciſſimum, vel, ſi alii occuparent, ſtationem infenſiſſimam paratum eſſe dicebant: ad haec agrorum communionem, ciuitatem ceteraque eiuſmodi praemia pollicebantur. Inflammabant haec maxime animos Athenienſium, qui iam ad [10] prouincias conſtituendas et Siciliam adludere coeperunt. Cum igitur a Spartanis, ad quos primos legati Sybaritarum venerant, nihil impetrari potuit, Athenienſes Periclis ſuaſu et auctoritate decem triremis patrio more auxilio Sybaritis miſere. Ei claſſi praefuere Lampo [11] et Xenocritus.

10. Καὶ Χερρόνησον καὶ Νάξον καὶ τὴν Εὔβοιαν εἴχομεν· πλείσας δ' ἀποικίας ἐν τοῖς χρόνοις τούτοις ἀπεσείλαμεν. *Aeſch. de eimentita legatione.*

11. Περικλῆς Μενίππῳ μὲν ἐχρῆτο πρὸς τὰς στρατηγίας, δι' Ἐφιάλτου δὲ τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἐταπείνωσε, διὰ δὲ Χαρίνου τὸ κατὰ Μεγαρέων ἐκύρωσε ψήφισμα, Λάμπωνα δὲ Θουρίων οἰκιστὴν ἐξέπεμψεν. Plutarch. *Reipublicae gerundae praecepta.* Eosdem coloniae duces memorat *Diod. Sic.* Vnde mirari ſubit, cur idem *Plutarchus* in *Nicia* Hieroni adſignet iſtius expeditionis auctoritatem. Ἱέρων ἦν, ἀνὴρ τεθραμμένος ἐπὶ τῆς οἰκίας τῆ Νικίᾳ — προσποιούμενος δ' υἱὸς εἶναι Διονυσίου τοῦ Χαλκοῦ προσαγορευθέντος, οὗ καὶ ποιήματα σώζεται, καὶ τῆς εἰς Ἰταλίαν ἡγεμὼν γενόμενος, ἔκτισε Θουρίους. Lamponi *δεκάτῳ αὐτῷ* adſignat *σχ. Ariſtoph. Au.* 521. Ὁ δὲ Λάμπων θύτης ἦν καὶ χρησμολόγος, καὶ μάντις, ᾧ καὶ τὴν εἰς Σύβαριν τῶν Ἀθηναίων ἀποικίαν ἔνιοι περιάπτουσιν, αὐτὸν ἡγή-

nocritus. Coloniae deducendae socii fuere tum alii viri et eruditione et rebus gestis inlustres, tum etiam *Herodotus* et *Thucydides*. Ille ob diutinam in istis regionibus mansionem, vbi etiam et historiam condidisse a *Plinio* [12] fertur, *Herodotus* Thurius appellari solebat. Nam et prooemium illud, quod eius historiae prae-

σασθαι λέγοντες Αθηναῖον ὄντα σὺν ἄλλοις δέκα. Ab hoc ergo duce et diuinatore Colonia ista in diuerbium et iocum abiit. *Aristoph. Nub.* 331.

Θουριομάντεις, ἰατροτέχνας, σφραγιδονυχαργοκομήτας.

σχ. ad loc. Θουριομάντεις, οὐ τοὺς ἀπὸ Θουρίου μάντεις, ἀλλὰ τοὺς εἰς Θούριον πεμφθέντας, ἐπὶ τὸ κτίσαι αὐτήν· ἐπέμφθησαν δὲ δέκα ἄνδρες· ὧν καὶ Λάμπων ἦν ὁ μάντις, ὃν ἐξηγητὴν ἐκάλουν, et quae sequuntur. Adiunge *Suidam* in Θουριομάντεις· Ἐξέπεμψαν δὲ εἰς κτίσιν τὴν αὐτοῦ Αθηναῖοι δέκα ἄνδρας, ὧν καὶ Λάμπων ἦν ὁ μάντις, ἐξηγητὴς ἐσόμενος τῆς κτίσεως τῆς πόλεως. Ita omnes libri *Suidae* MSS. X. sc. duces, totidemque nauis, vt mos erat Atheniensibus diuturno vsu consecratus, qui denario numero pro ratione tribuum Rempublicam vniuersam domi forisque administrabant. Inficeti editores *Suidae*, qui pro δέκα, μυρίους excudi curarunt! atque inficetus etiam ille, qui tam violentam mutationem calculo suo comprobare potuit!

12. *Tanta ebori auctoritas erat Vrbis nostrae trecentesimo decimo anno, tunc enim auctor ille* [Herodotus] *historiam eam condidit Thuriis in Italia.* Plin. XII. 4. Cum constituebantur X viri legum ferendarum, annus vrbis agebatur CCC. Euenit autem, vt eod. fere tempore Romanorum legati Athenas proficiscerentur νομοθεσίας χάριν, et Athenienses dictam Coloniam in Italiam deducerent.

praeponitur, a *Plesirrhoo*, vti quibusdam videtur, concinnatum, aliter apud alios legitur. Τὸ δὲ, Ηροδότου Αλικαρνασσέως ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε, πολλοὶ μεταγράφουσιν, Ηροδότου Θουρίου. Plutarch. *de Exsilio.* Ita in suo Cod. repperit *Aristoteles*, cuius, *Rhetor.* III. 9. haec sunt verba: Η μὲν ἓν εἰρημένη λέξις ἡ ἀρχαῖα ἐστίν. Ηροδότου Θουρίου ἥδ' ἱστορίης ἀπόδεξις [13]. His omnibus accedit testimonium Inscriptionis, quam in honorem *Herodoti* elaboratam conseruarunt *Stephanus Byzantinus* et σχ. *Aristoph. Nub.* 331.

Ηρόδοτον Λύξεω κρύπτει κόνις ἥδε θανόντα,
Ἰάδος ἀρχαίης ἱστορικῆς πρύτανιν,
Δωριέων πάτρης βλάστοντ' ἄπο· τὸν γὰρ ἄπλητον
Μῶμον ὑπεκπροφυγὼν Θήριον ἔσχε πάτρην.

Thucydidem vero Sybarin profectum, et quidem cum Xenocrito, qui dux erat Coloniae, declarat *vita Thucydidis* ἀδέσποτος, eius Editt. praefigi solita. Vna quoque cum his profectum fuisse *Empedoclem* philosophum tradit *Laertius* in *vita.* His igitur aliisque colonis in Italiam appulsis, et noua vrbe condita, quae a fonte vicino Thurium vocabatur, primo ciuitas discordiis agitari, mox discessione facta obtruncari veteres Sybaritae, et summa rerum potiri, quos auxilio contra populum finitimum nuper arcessiuerant. Ex eo tempore Vrbs non Αττικίζειν modo coepit, sed Attica tota facta est. Populum in tot Tribus distinxerunt noui hospites, in quot domi se fuisse distinctos meminere: Tum primum galeata Pallade, Athenienſium ritu, signari aes Thuriorum, ceteriſque istius populi institutis et disciplina administrari noua Resp.

Ab

13. Ηρόδοτος ὁ συγγραφεὺς, ὃν ὕστερον Θήριον ἐκάλεσαν διὰ τὸ κοινωνῆσαι τῆς εἰς Θουρίους ἀποικίας. Strab. l. 14. Εἴ τῳ πιστὸς ὁ Θούριος εἶναι λογοποιὸς δοκεῖ. Iulian. in *Epist.*

Ab Olympiadis LXXXIV. 1. qui erat *Lysiae* aetatis XVI., vsque ad XCII. 1. annos omnino XXXII, [14] in Colonia commorabatur *Lysias*, πολιτευόμενος ἐν εὐπορίᾳ πολλῇ (verba sunt Auctorum fere omnium, qui eius vitam literis consignarunt) κτησάμενός τε οἰκίαν καὶ κλήρου λαχών, *(Plutarch.)* quae postrema verba fortasse emendari debent ex *Photio* οἰκίαν τε κατασκευασαμενος καὶ κληρου τυχων. In ea mansione *Tisiam* [15] et

14. Recte *Suidas*, Ἐκπεσὼν ἐκεῖθεν ἐπ' Ἀττικισμῷ ἐπανῆλθεν εἰς Ἀθήνας. ἄγων ἔτος μέ. Vnde mirum, quo computo vius sit *Plutarchus*, κἀκεῖ διέμεινε — ἔτη ἑξήκοντα τρία. Longissime certe a vero. ἑξήκοντα legit *Plutarchi* Cod. Petau. τριάκοντα τρία *Meursius*, et *Palmer.* denique ὥστε τριάκοντα. Fortasse bonus scriptor, qui *Plutarchum* imitauit, dum in Fastis duos Callias habuit descriptos, vnum, qui Praeturam gessit Olymp. XCII. 1. (quo tempore rediit *Lysias*) alterum, qui C. 4. ad hanc vsque supputationem prorogauit, adeoque pluris annos Auctori nostro adsignauit a Thuriis reuertenti, quam viuendo erat adsecutus. Verum et errauit quoque in nomine Archontis: Nam dixisse non debuit ἕως Κλεάρχου τοῦ Ἀθήνησιν ἄρχοντος, sed ἕως Κλεοκρίτου, vt modo dicturus est, ἐπὶ Καλλίου τοῦ μετὰ Κλεόκριτον ἄρχοντος.

15. Priusquam Eloquentiae lacertos suos mouit Athenis, quibus tamen et nata et alta esse creditur, Artis istius siue Rhetoricae proprie dictae, praecepta inuenisse et excoluisse dicuntur Siculi, quorum princeps exstitit *Empedocles*, deinde floruit *Corax* Hieronis T. familiaris, circa Olymp. LXXVI. Cuius discipulus *Tisias* esse fertur. De his atque artis origine plura, sed fabulis similia, habet *Scholiastes Hermogenis* in initio. *Ait* Aristoteles, *cum, sublatis in Sicilia Tyrannis, res priuatas longo interuallo iudiciis repeterentur, tum pri-*

et *Niciam* Rhetoras Syracusanos audiuit. Atheniensium vero rebus in Sicilia fractis, et cum dominorum fortunis commutatis etiam Thuriorum animis, *Lysias* Ἀττικίζειν αἰτιαθεὶς solum vertere cogitur, et domum reuertitur Callia Archonte, Olymp. XCII. 1. [16]

Quo tempore Athenas rediit *Lysias*, magna rerum commutatio atque inclinatio fortunae consecuta est istam Remp. Duodecimo enim anno post coloniam Sybarin deductam, Olymp. sc. LXXXVII. 1. ortum est bellum inter, duos potentissimos populos, qui omnem

mum (quod esset acuta illa gens et controuersa natura) artem et praecepta Siculos, Coracem *et* Tisiam, *conscripsisse. Nam antea neminem solitum via nec arte, sed accurate tamen et de scripto plerosque dicere.* Cic. *Brut.* 46. Add. *Dionys. Halic. in Isoc. Cic. 1. de Orat. 91. 2. de Inuent. 6. Quintil.* II. 16, 17. III. 1. *Marcian. Capell.* l. 5. *Ammian. Marcellin.* XXX. 4. Quis autem fuerit *Nicias* Rhetor, quem audiuit Noster, quaero hodie qui respondeat. Nam de eo apud omnis auctores praeter eos, qui contexuerunt vitam *Lysiae*, altissimum est silentium.

16. Ἐξέπεσε μετ' ἄλλων τριῶν· ait *Plutarch.* atque idem fere *Photius* Ἀττικίζειν αἰτιαθεὶς μετ' ἑτέρων τριῶν ἐξέπεσε τῆς πατρίδος. Rectius *Dionysius*, ςασιάσαντος τῷ δήμῳ ἐκπίπτει σὺν ἄλλοις τριακοσίοις Λιτικισμὸν ἐγκληθεῖσι. Quanquam interea suspicor *Plutarchum*, qui *Lysiae* tres fratres numerat, Polemarchum, Eudidum et Brachyllum (licet non diserte ab eo dicantur vna Italiam nauigasse, immo cum fratre vno Polemarcho, quod tamen verum non est, *Lysias* se ad Thurios contulisse ab hoc scriptore dicitur) scripsisse potius ἐξέπεσε μετ' ἀδελφων τριῶν. Adeo quidam sunt scriptores, quos etiam contra propriam fidem et auctoritatem liquido emendare possis.

omnem Graeciam in suas partis trahebant, Lacedaemonios et Athenienſis; omnium fere, quae in ſuperiorum temporum monumentis produntur memoriae, et diuturnitate temporis grauiſſimum, et fortunae varietate celeberrimum. Bellum illud, quamuis inluſtris vtrinque habuit euentus, maximeque dignos ſtylo illius Scriptoris, qui res in eo geſtas oratione complexus eſt, nihil tamen habuit exitu memorabilius atque inſolita victoriae facie. Lacedaemonii enim acciſis penitus Athenienſium viribus, atque aemula vrbe potiti, moderatius quidem, quam ſolent victores, in debellatam gentem conſuluerunt; atque iram diuturnis inimicitiis et contentionibus accenſam terminabant, non in Vrbe diruta aut ſeruitute Ciuium, ſed in operam dando factioſis quibuſdam Ciuibus, qui Reip. pertaeſi imperium a Populo ad Paucos translatum voluerunt. Ea fuit dominatio XXX. Tyrannorum. In quo gloriae et imperii flexu nihil populo libertatis auidiſſimo calamitoſius accidere potuit, quam videre ſe imperioſius a ſuis ciuibus tractari, quam ceteri ſolent ab hoſte irritato. Sed hanc Reip. commutationem praeceſſerat etiam altera, bello nondum confecto, Olymp. ſc. XCII. 1. vbi Reip. ſumma penes CCCC viros aliquandiu conſtitit. Quoniam autem in altera Reip. inclinatione *Luſias* domum a Colonia rediit, et notior ex illo tempore eſſe coepit, in altera vero a nemine Ciuium calamitate ſuperabatur; et cum plurima in eius orationibus contineantur, quae ad vtramque tempeſtatem Reip. ſpectant, ideo neceſſarium duxi memoriam iſtorum temporum paulo altius repetere.

Belli Peloponneſiaci anno XVII Athenienſes Syracuſanis bellum indixerunt [17]. Factum eſt id potiſſimum

17. Vid. *Thucyd.* l. 6. *Diodor. Iuſtin.* Studium Athenienſium in hoc bello ſuſcipiendo egregie deſcribit

mum consilio atque auctoritate Alcibiadis, ad quod gerendum ipse dux electus est cum duobus collegis, Nicia et Lamacho. Vix in Siciliam peruenit, cum nuncius ei cum naue Salaminia a magistratu missus esset, vt domum ad causam dicendam rediret. Nam priusquam classis exiret, accidit, vt vna nocte omnes Hermae, qui Athenis erant, deiicerentur, quod non ad priuatam rem, sed ad coniurationem pertinere existimabatur, et in Alcibiadem, quia ceteris maior erat et potentior, ideoque suspectior, conuenire. Insimulabatur praeterea Cereris mysteria in domo sua fecisse, quod nefas erat more Athenienſium. Reuocatus igitur a bello ad iudicium, cum in magna spe esset prouinciae bene administrandae, postquam aliquantulum itineris confecisset, clam se a custodibus subduxit, et primum Elidem, deinde Lacedaemonem venit. Magnum ea res Athenienſium fortunis detrimentum attulit, cum intelligerent eundem hominem et prodesse plurimum et obesse Reip. potuisse. Eius enim consilio Lacedaemonii Syracusanis, Gylippo duce, auxilium decernunt; et Athenienſis ibidem bellum per triennium cupidius, quam felicius gerentis, cum Lamacho et Nicia ducibus atque etiam Demosthene, qui ei bello cum imperio successit, ad interitum profligarunt. Eiusdem opera Ioniam et tributarias Athenienſium ciuitates in Asia ad defectionem sollicitarunt, pacem cum Dario rege Persarum fecerunt, et Decelea oppido in Attica capto, praesidioque ibi posito, vrbem in obsidione tenuerunt [18].

Lace-

Plutarch. in *Alcibiade*, quem vide in *Nicia* quoque. Inter hoc bellum et captam Troiam interceſſere anni DCCLX. *Diod. Sic.* l. 13. init.

18. *Lyſ.* p. 287. noſtrae Edit. *Iſocr. de Bigis. Thucyd. Nep.* et *Plutarh. in Alcib.*

Lacedaemonii interea, siue ingenio Alcibiadis versatili diffisi, siue Agidis consilio ducti, apud quem Alcibiadis virtus et res bene gestae plus inuidiae, quam gratiae contraxerant, (accedebat etiam vxoris infamia, quam Alcibiades adulterio cognouerat) tempus hominem interficiendi quaerere instituunt: Ille cognita re ad Tissaphernem praefectum Darii regis clam aufugit: cui cum se celeriter et officii comitate et oris gratia insinuasset, mox commeatus Lacedaemoniis maligne praebere suadet, docens *minime vtile esse Darii rebus, vnius ciuitatis opes nimis crescere, ne confecto bello statim ei cum victoribus esset dimicandum.* Vbi hanc operam ciuibus suis praestitit, mox de reditu in patriam cogitare coepit.

Erat hoc tempore Pisander Praetor Athenienſium apud Samum cum exercitu. Cum eo Alcibiades per internuncios colloquitur. Monet eum „*immoderatae ciuium licentiae crudelitatisque erga eos, qui multum in imperiis magistratibusque versati plurimum gratia et auctoritate ceteros antecellebant:*„ (Erat autem Pisander eodem, quo Alcibiades, animo, populique potentiam imminui cupiebat.) Conqueritur „*per inuidiam multorum se fuisse, indicta causa, absentem capitis damnatum, publicatis bonis, omniumque sacerdotum religionibus deuotum; eiusque deuotionis, quo testatior esset memoria, exemplum in pila lapidea incisum esse positum in publico: regis amicitiam suamque operam polliceatur; negat tamen se id conciliare posse, nisi imperium a Populo, qui eum exagitassent, ad Optimates translatum foret.*„ Alcibiades, quanquam non plurimam spem in Optimatum animis habebat, tamen arbitrabatur fore, id quod postea accidit, vt, discordia inter ordines ciuitatis facta, ab altera parte in auxilium vocaretur. Pisander itaque domum delatus populum aggreditur, cui iam imminentis belli periculi maior erat timor, quam dignitatis cu-

ra.

ra. Cui quum ſuaſiſſet, vt ſua voluntate abrogaretur imperium, domi poſt ſe reliquit ex ſuo numero quosdam [19], qui de Rep. ordinanda interea conſulerent, atque ad Tiſſaphernem, vt de Regis amicitia ageretur, contendit.

Ex hiſce initiis creuit Oligarchia, de qua agimus, ab Impp. [20], qui Aſiae oram maritimam cum claſſe tenebant, primo agitata, atque eodem tempore in ciuitates ceteras, quae imperio P. Athenienſis parebant, inſinuata, quas ad eandem Reip. formam recipiendam ſollicitauerunt. Alcibiades interea, ſiue res parum ei ex conſilio ceſſit (Piſander enim magis id egit, vt imminueretur populi auctoritas, quam vt reuocaretur Alcibiades) ſiue nondum ad mentem ſatis commota eſſet Reſp. ita egit cum praefecto Regis, vt, cum ad eum legati nouae Tyrannidis veniſſent, nihil minus, quam amicitia Regis, videretur fuiſſe exſpectandum.

Nihilo ſecius Piſander id, quod inſtituerat, perfeciſſe decreuit. Domum reuerſus vere nouo paulo ante annum exeuntem id procuratum a ſuis deprehendit, vt non plures, quam quinque hominum millia ad Reip. adminiſtrationem admitterentur [21]. Eius autem interuentu conſtituti ſunt X viri Reip. ordinandae cum ſumma poteſtate, quos vocarent Συγγραφέας [22]. Qui

 ad

19. Hi nominabantur ἑταῖροι. Vid. *Thucyd.* VIII. 48, 65. *Lyſiam*, p. 207. noſtrae editionis.

20. N. p. 206. Eratoſthenes ἐπὶ τῶν τετρακοσίων ἐν τῷ στρατοπέδῳ ὀλιγαρχίαν καθιστάς. Thucyd. VIII. 48. καὶ ἐκινήθη πρότερον ἐν τῷ στρατοπέδῳ τοῦτο καὶ ἐς τὴν πόλιν ἐντεῦθεν ὕστερον.

21. *Lyſ.* p. 362. *Thucyd.* VIII. 65.

22. *Lyſ.* p. 215. *Harpocr.* in V. *et Valeſ.* ad locum *Thucyd.* VIII. 67. Iidem vocantur πρόβουλοι.

23. Ἐλθόντας δὲ αὐτοὺς τετρακοσίους ὄντας ἐς τὸ

ad dictum diem ad populum referrent, qua potissimum ratione Resp. optime administrari posse videretur. Vbi aduenit dies, concione habita, populum rogarunt, vt *cuiuis Athenienſium liceret ſententiam, quamcunque veliet, exponere, atque vt id impune facere liceret.* Eoque aditu ad Tyrannidem patefacto, omni metu vacui ſententiam dixerunt in hunc modum: *Antiquandam eſſe priſtinam Magiſtratuum in vrbe rationem: non eſſe ſtipendia niſi militibus perſoluenda: eligendos eſſe a Concionis Praefidibus* V *viros, a quibus Centum alios eſſe protinus deſignandos, qui ſinguli ternos ſibi cooptantes imperii ſummam adminiſtrarent cum ſumma potestate*[23]. Ita commutata eſt Resp. ſoluta populi auctoritate, et ab his CCCC viris tractari coepit.

Imperium hoc modo conſtitutum adminiſtrarunt homines diuerſiſſimis ſtudiis, et vitae genere et inſtituto longe inter ſe ipſos diſſimili. Ex horum numero erant XXX[24] illi viri, quorum crudelitatem VIII. poſt anno iterum expertae ſunt Athenae. Erant etiam moderati nonnulli, quos non dominandi lubido, ſed patriae communis amor, ne penitus deleretur ciuitas, ſiquid ſuo conſilio efficere poſſent, ad imperii ſocietatem inuitauit. Οὔ μοι δοκεῖ χρῆναι ἐργίζεσθαι ὑμᾶς τῷ ὀνόματι τῷ τῶν τετρακοσίων, ἀλλα τοῖς ἔργοις ἐνίων. οἱ μὲν γὰρ ἐπιβελεύσαντες ἦσαν αὐτῶν, οἱ δ' ἵνα μήτε βελευτήριον ἄρχειν, ἔπη ἂν ἄρισα γιγνώσκωσιν αὐτοκράτορας. Thucyd. VIII. 67.

24. *Lyſ.* p. 260. οἱ τριάκοντα — οἳ αὐτοὶ ἦσαν ἅπαντες τῶν τετρακοσίων τῶν φευγόντων

25. Οὐ Φρύνιχος μὲν καὶ Πείσανδρος καὶ οἱ μετ' ἐκείνων δημαγωγοὶ, ἐπειδὴ πολλὰ εἰς ὑμᾶς ἐξήμαρτον, τὰς περὶ τούτων δείσαντες τιμωρίας, τὴν πρότερον ὀλιγαρχίαν (sc. τῶν ὑ) κατέσησαν; Lyſ. p. 421. *Thucyd.* l. 8.

μήτε τὴν πόλιν μηδὲν κακὸν ἐργάσαιντο, μήθ' ὑμῶν μηδένα, ἀλλ' εὖνοι ὄντες εἰσῆλθον εἰς τὸ βελευτήριον. Lyſias p. 357. Nonnullos excitauit ſuorum ciuium inuidia, qui potentiorem quemque eo in maiori ſuſpicione habere conſueſcebant; nonnullos Alcibiadis gratia et miſericordia; nonnullos eiuſdem odium et inimicitiae.

Fuit in hoc numero Phrynichus [25]. Erant ei cum Alcibiade veteres inimicitiarum cauſſae; quapropter cum ea res olim in claſſe agi coepta eſt, obnixe operam dedit, ne quid in gratiam Alcibiadis meditarentur [26]. A quo conſilio deſtitutus totam rem Aſtyocho, Lacedaemoniorum claſſi Praefecto, per nuncios aperit, ceteraque egit multa, ad conſilia, quae tunc capiebantur, impedienda [27]. Vnde Piſandri opera imperium, quod in claſſe habuit, deponere coactus eſt. Conſtituta autem tyrannide, quae Alcibiadi minus fauere videbatur, nemini aut opera aut conſilio ceſſit in dominatione adiuuanda [28]. Ea cum eſſet apud ſuos gratia et

26. *Plutarch. in Alcib. Thucyd.* VIII. 48.

27. *Thucyd.* VIII. 50. *Suid.* in Φρυνίχε πάλαισμα. *Polyaen.* III. 6. *Plutarch.* in *Alcib.*

28. Παρέσχε δὲ καὶ Φρύνιχος ἑαυτὸν πάντων διαφερόντως προθυμότατον ἐς τὴν ὀλιγαρχίαν, δεδιὼς τὸν Ἀλκιβιάδην, καὶ ἐπισάμενος εἰδότα αὐτὸν, ὅσα ἐν τῇ Σάμῳ πρὸς τὸν Ἀξύοχον ἔπραξε, νομίζων ἂν ἄν ποτε αὐτὸν κατὰ τὸ εἰκὸς ὑπ' ὀλιγαρχίας κατελθεῖν· πολὺ δὲ πρὸς τὰ δεινὰ, ἐπειδήπερ ὑπέστη, φερεγγυώτατος ἐφάνη. Thucyd. VIII. 68.

29. *Lyſ.* p. 258. et 134. De caede Phrynichi conuenit inter omnis De modo diſputatur. Paulo enim aliter atque noſter hiſtoriam exponit *Thucyd.* VIII. 92. et *Plutarch.* in *Alcib.* aliter *Lycurg. c. Leocr.* Edit. S eph. p. 164. qui caedem factam fuiſſe ſcribit νύκτωρ παρὰ

auctoritate, vbi importuna Quadringentorum crudelitas et dominatio taedio ciuibus esse coepit, neque eorundem auctoritas aliunde confirmari posse videbatur, nisi a Lacedaemoniis adiuuaretur; ad Spartam mittitur, cum Antiphonte aliisque pacem quibusuis demum conditionibus cum ea ciuitate facturus. Domum autem re infecta reuersus mane in foro a Thrasybulo Calydonio et Apollodoro Megarensi percutitur, quos ob merita in populum Athenienses ideo recuperata ciuitate decreto publico in Ciuium numerum retulere [29].

Huic

τὴν κρήνην τὴν ἐν τοῖς Οἰτυίοις ὑπὸ Ἀπολλοδώρου καὶ Θρασυβούλου. Thucydides ὑπὸ τινὸς τῶν περιπόλων, qui idcirco erat e Iuuentute Attica, quod verum esse non potuit, cum *Lysias* prouocat ad Acta publica, quae illius facinoris socios ciuitate donauit, Apollodorum et Thrasybulum. *Plutarchus* cum *Thucydide* fere consentit. Ὕστερον μέντοι τὸν Φρύνιχον ἐνός τῶν περιπόλων Ἕρμωνος ἐν ἀγορᾷ παταξαντος ἐγχειριδίῳ καὶ διαφθείραντος, οἱ Ἀθηναῖοι δίκης γενομένης τὸ μὲν Φρυνίχου προδοσίαν κατεψηφίσαντο τεθνηκότος, τὸν δ' Ἕρμωνα καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ συγκάντας ἐστεφάνωσαν.

30. Antiphontes erant plurimi. Antiphontem e Collegio CCCC virorum eundem fuisse ac *Antiphontem* Rhetorem, permanens hodie et recepta est opinio: adeoque in ea sum, licet dubitanti similior, quam veris victo: Illud interea certissimum habeo, eorum, quae de *Antiphonte* Rhetore apud *Plutarchum* tradantur, nonnulla ad Tragicum *Antiphonta* pertinere, nonnulla ad Onirocriticum. Id quod in commodiori loco exponam. Ex hac ὁμωνυμία credo emanare, quod *Plutarchus* dicat Οἱ δὲ ὑπὸ τῶν τριακοντα ἀνῃρῆσθαι αὐτὸν [*Antiphontem*] ἱστοροῦσιν, ὥσπερ Λυσίας. *Photius* vero sic Λυσίας φησὶν αὐτὸν ὑπὸ τῶν τετρακοσιων ἀνῃρεῖσθαι (lege ἀνῃρῆσθαι) *Lysias* quidem neque hoc, neque illud ad-

Huic Antiphonta et Archeptolemum libens adiungo, quia populus, vindicata libertate, in eadem cauſa pariter adiunxerunt. Antipho [30] Sophili F. Rhamnuſius totum illud, quod Piſander manu geſſit, primus conſilio inſtruxit. Cum facundia ceteros anteiret, ideoque populo formidoloſior fuit, nunquam ipſe in concione dixit, aut coram Iudice cauſam alicuius egit, dicturos tamen multum et rerum vſu et conſilio ſuo adiuuit [31]. Erant his cum Theramene, homine lubrici ingenii atque ad omnem Reip. fortunam compoſito, veteris amicitiae rationes: Quorum opera vbi Theramenes Remp. oppreſſerat, rurſus, reſtituta libertate, Reip. auctoritate vſus eſt idem ad eorum internecionem, ſuamque impunitatem [32]. Tum demum Antipho ad

firmat, verum hominem plecti a populo poſt recuperatam libertatem, ideo quod Coniurationis τῶν CCCC particeps fuiſſet, p. 216. Et id confirmat S. C. quod ex *Caecilio* ab eodem *Plutarcho* eſt adductum. Idem etiam *Photius* Παρέτεινε τὸν βίον ἕως τῆς ὑπὸ τῶν ὑγεγενημένης καταλύσεως τῆς δημοκρατίας, ἧς καὶ αὐτὸν αἰτίαν μετεσχηκέναι φασὶ παρασχεῖν· διὸ καὶ μετὰ τὴν κατάλυσιν τῶν τετρακοσίων εἰσαγγελθεὶς ἑάλω, καὶ τοῖς τῶν προδοτῶν ἐπιτιμίοις ὑποβληθεὶς ἄταφος ἐρρίφη, καὶ γέγονεν ἄτιμος, οὐκ αὐτὸς μόνον, ἀλλὰ καὶ οἱ ἐξ αὐτοῦ φύντες. Vid. quoque *Marcellinum de vita Thucydidis.*

31. Thucyd. VIII. 68. Συντάξαι δὲ αὐτὸν καὶ πρῶτόν, φασι, τὰς ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἀγωνιστικὰς λόγας· τῶν γὰρ πρὸ αὐτοῦ οὐδεὶς φαίνεται καθεὶς ἑαυτὸν εἰς τοῦτον τὸν ἀγῶνα· οὐδ' ἔστι λαβεῖν δικανικὸν λόγον τῶν Αντιφῶντι πρότερον γεγραμμένων. Phot. in *Antiph.* Add. *Plutarch.* et *Philoſtrat.*

32. *Lyſ.* pag. 216.

33. *Thucyd.* VIII. 68.

cauſam pro ſe dicendam adactus grauiter et luculentiſſime pro capite perorauit [33]. Sententiam, qua damnatus eſt vterque, conſeruauit *Caecilius* apud *Plutarchum* in *Antiphontis vita*.

Εδοξε [34] τη βουλη μια και εικοστη της πρυτανειας Δημονικος αλωπεκηθεν εγραμματευε Φιλοστρατος πελληνευς επεστατει Ανδρων ειπε. Περι των ανδρων ους αποφαινουσιν οι στρατηγοι πρεσβευομενους εις Λακεδαιμονα επι κακω της πολεως των Αθηναιων και εκ του στρατοπεδου πλειν επι πολεμιας νεως και πεζευσαι δια Δεκελειας Αρχεπτολεμον και Ονομακλεα και Αντιφωντα συλλαβειν και αποδουναι εις το δικαστηριον οπως δωσι δικην παρασχοντων δ' αυτους οι στρατηγοι και εκ βουλης ους τινας αν δοκει τοις στρατηγοις προσελομενους μεχρι δεκα οπως αν περι παροντων γενηται η κρισις προσκαλεσασθωσαν δ' αυτους οι θεσμοθεται εν τη αυριον ημερα και εισαγοντων επειδαν αι κλησεις εξηκωσιν εις το δικαστηριον περι προδοσιας κατηγορειν τους ειρημενους συνηγορους και τους στρατηγους και αλλος αν τις βουληται οτου δ' αν καταψηφισηται το δικαστηριον περι αυτου ποιειν κατα τον νομον ος κειται περι των προδοντων. Καταδικη. Προδοσιας ωφλεν Αρχεπτολεμος Ιπποδαμου Αγρυληθεν παρων Αντιφων Σωφιλου Ραμνουσιος παρων. Τουτων ετιμηθη τοις ια παραδοθηναι και τα χρηματα δημοσια ειναι και της θεου το επιδεκατον και τας οικιας κατασκαψαι αυτων και ερους θεναι των οικο-

34. Elegantiſſima et luculenta Formula Actionis et Solennitatis Legitimae, mendarum tamen non immunis, ſc. l. 3. pro πελληνευς legendum παλληνευς, vt teſtantur Marmora quamplurima, deinde fortaſſe l. 15. τους ηρημενους συνηγορους: poſtea deeſſe videtur poſt εις τον, h. p. τω δε δημαρχω αποφηναι τε οικιαν εις τον * * * και μη εξειναι κ. τ. λ. et in fine corrige και τουτο θεσθαι, ſc. το ψηφισμα.

οικοπεδοιν επιγραψαντας Αρχεπτολεμου και Αντιφωντος τοιν προδοταιν. Τω δε δημαρχω αποφηναι τε οικιαν ες τον και μη εξειναι θαψαι Αρχεπτολεμον και Αντιφωνται Αθηνησι μηδε οσης Αθηναιοι κρατουσι, και ατιμον ειναι Αρχεπτολεμον και Αντιφωντα και γενος το εκ τουτοιν και νοθους και γνησιους και εαν ποιησηται τινα των εξ Αρχεπτολεμου και Αντιφωντος ατιμες εστω ο ποιησαμενος ταυτα δε γραψαι εν στηλη χαλκη ηπερ αν και τα ψηφισματα τα περι Φρυνιχου και τουτου θεσθαι.

In eadem coniuratione erant Ariſtarchus et Alexicles; mortis genere, cum continebat nouum et inſolitum ſiue iuſtitiae ſiue ſeueritatis exemplum, illuſtriſſimi. Interfecto Phrynicho et tumultu de perculſoribus nato, populus ſciuit, vt *de Phrynicho haberetur quaeſtio Proditionis: Qui ſi reus perageretur, illico abſoluerentur, qui eum patriae cauſa interfeciſſent, eiuſque oſſa effoſſa extra Atticam proiicerentur:* Adiecerunt id quoque, vt, *ſi qui ad cauſam hominis dicendam adeſſent, ſi cecidiſſet Phrynichus, eodem iudicio tenerentur.* Aderant Ariſtarchus et Alexicles. Lege agitur de Phrynichi proditione. Damnatum mors Aduocatorum et externa ſepultura ſequebatur [35].

Memorantur praeterea quamplurimi ab iſtius aeui ſcriptoribus; Piſander, Tyrannidis auctor praecipuus, de quo plura in ſuperioribus: Andro [36], Therame-

 nes,

35. *Lycurg. c. Leocrat.* Edit. Steph. p. 164.

36. Ille eſt, qui tulit decretum c. Antiphontem, quod repraeſentauimus modo. Ανδρωνά φησιν εἶναι Κρατερὸς ἐν τῇ ἐνάτῃ τῶν ψηφισμάτων, τὸν γράψαντα τὸ ψήφισμα τὸ περὶ τῦ Αντιφῶντος τοῦ ῥήτορος. Ην δὲ εἷς τῶν τετρακοσίων ὁ Ανδρών. Harpocr.

37. Εν τοῖς ξυγκαταλύσαι τὸν δῆμον πρῶτος. Thucyd. VIII. 68. Τῆς προτέρας ὀλιγαρχίας αἰτιώτατος. *Lyſ.* p. 215. De eo plura in ſequentibus.

nes [37], Aristocrates [38], Agno [39], Callaeschrus [40], Polystratus [41], Aristopho [42], Laespodias [43], Melesias [44], Aristoteles [45], Melanthius [46], Onomacles [47] ceterique. Illi igitur recepta Rep. nihil omnino de Alcibiade referebant, cuius potissimum gratia ea res primo agitari videbatur, verum ad Agidem Lacedaemoniorum regem legatos de pace mittebant, et ad Samum, qui docerent *Remp. non penes* CCCC *viros esse, sed ad imperii summam quinque millia Ciuium admitti*, populumque adeo composita oratione delinirent, veriti, ne, id quod postea accidit, aliquid noui contra suam auctoritatem molirentur classiarii Athenienſium, qui eo tempore circa Samum stationem habebant, nouamque dominationem aegre laturi videbantur.

Comparauerat olim Sami Pisander factiosorum Ciuium turbam ad CCC, quae Remp. ad Oligarchiam deduceret. Verum opera Thrasybuli et Thrasylli Athenienſium, qui apud exercitum erant, profligata erat ea manus coniuratorum, et Samiorum Resp. confirmata, cum legati Quadringentorum Samum essent delati.

Dum haec aguntur, effecit Thrasybulus cum oratione tum auctoritate apud milites, qua plurimum valebat, vt ab exercitu Alcibiades exul reuocaretur; qui protinus Samum deductus, dux inter ceteros classi constituitur.

38. *Lysias*, p. 215. *Thucyd.* VIII. 89.

39. Theramenis Pater, vnus τῶν πρεσβέλων. *Lyſ.* pag. 215.

40. *Lyſ.* ibid. 41. *Lysias pro Polystrato.*

42. *Thucyd.* VIII. 86. 43. 44. *Thucyd.* ibid.

45. *Xenoph. Hellenic.* l. 2. deinde XXX vir.

46. *Xenoph.* ibid. 47. Vid. Decret. c. Antiph.

48. *Plutarch.* in *Lyſandro. Diod. Sic. Xenoph. Hellenic.* l. 2. *Nepos* in *Lyſandro. Iuſtin.* l. 5.

ſtituitur. Ille legatos, qui Athenis venerant, blande et comiter exceptos, hac oratione dimiſit, *Quadringenti confeſtim ſua voluntate iura populo redderent, aliter ſe cum claſſe adfuturum, vt eos auctoritate cogeret.* Quo reſponſo territi, qui nouam Tyrannidem impenſiſſime adiuuiſſent, Piſander, Phrynichus, Antipho, Ariſtarchus aliique, vbi plebem quoque, quae domi erat, cum exercitu ſentire, et quoſdam etiam ex coniuratorum numero de ſua ſalute mature conſulere animaduertiſſent, primo vrbem Lacedaemoniis tradere voluerunt, qua ſpe fruſtrati partim in exſilium profecti ſunt, partim eo quo expoſuimus modo euerſae libertatis poenas dedere. Ita exauctoratis poſt imperium IV menſium Quadringentis, Alcibiades P. A. decreto reſtitutus atque abſens imperio praefectus ſimul cum Thraſybulo ad bellum aduerſus Lacedaemonios gerendum ſumma cura conuertitur.

Quod reliquum erat iſtius belli varia fortuna ab Athenienſibus terra marique geſtum eſt; donec Olymp. XCIII. 4. poſt XXVII. aeſtates in ea contentione abſumptas totum illud virtute ſua et conſilio deleuit Lyſander [48]. Pugnatum erat ad Aegos flumen tanta ſtrage atque internecione Athenienſium, vt cum claſſe nomen etiam imperii pene exciſum eſſe videretur [49].

Quibus

49. Ab eo interitu Claſſis in Helleſponto Oratores exordium ſumunt dicendi de Republica translata ad XXX viros. Ἐπειδὴ γὰρ τὰς ναῦς τὰς περὶ τὸν Ἑλλήσποντον ἀπωλέσαμεν, καὶ ταῖς ἀτυχίαις ἐκείναις ἡ πόλις περιέπεσε, τίς ἐκ οἴδε κ. τ. λ. Ilocr. *Areopag.* Ita *Liſ.* p. 207. 233, et 475. eodem aditu orationis vtitur ad publicas calamitates enarrandas.

50. *Namque vndique, qui Athenienſium rebus ſtuduiſſent, electis,* decem *delegerat* [Lyſander] *in vnaquaque ciuitate, quibus ſummum imperium poteſtatemque omnium re-*

Quibus rebus gestis Lysander tributarias vndique Atheniensium ciuitates voluntarias recepit, electis iis, quos in praesidio reperiret, vel Atheniensium rebus studere suspicaretur, quibus vnicam salutis conditionem indulsit, vt nullibi, nisi Athenis, eis saluis esse liceret; ratus, quanto plures in vrbem confluxerint, tanto aegrius obsidionem, quam parabat, propter plurimorum inediam, sustineri posse. Sciebat enim neque ex aduecto frumento multum superesse, eosque mari intercluſos nouum aduehere non posse reputabat. In omnibus itaque vrbibus constituta 50 decemuirali potestate, rem committeret. Nepos in *Lysandro*. Hunc Decemuiratum Lacedaemoniis familiarem constituit idem Sami, Ephesi, in Piraeo denique eodem tempore, quo in vrbe XXX. Ἔτι δὲ τὸ πάντων ἐναντιώτατον αὐτονομίᾳ καθιστᾶτε, ἔνθα μὲν δεκαρχίας, ἔνθα δὲ τριακονταρχίας. Καὶ τούτων τῶν ἀρχόντων ἐπιμελεῖσθε οὐχ ὅπως νομίμως ἄρχωσιν, ἀλλ' ὅπως δύνωνται βίᾳ κατέχειν τὰς πόλεις. ὥστ' ἐοίκατε τυραννίσι μᾶλλον ἢ πολιτείαις ἡδόμενοι. Xenoph. *Hellenic.* l. 6. *Plutarch. in Lysandro. Suid. in* Δεκαρχίαι.

51. Historiam sequor *Xenophontis*, quam *Lysias* semper confirmat. Aliter tamen de hac re *Aeschines π. παραπρεσβ.* cuius verba infra adducturus sum. Ait enim quorundam ciuium peruicacia, Cleophontis maxime, (memoratur ille *Lysia* p. 234. praeconio satis honesto, quod ingloriosis pacis conditionibus etiam capitis periculo restitit) rem eo perductam fore, vt, cum possent Athenienses sibi ipsis et glorioſe satis et vtiliter consulere, hortantibus Lacedaemoniis, odium tamen et inimicitias exercere mallent, licet cum interitu ciuitatis coniunctas. Τὴν τελευταίαν αἰβουλίαν φυλάξασθαι, ὅθ' ἡττημένοι τῷ πολέμῳ, προκαλεμένων αὐτοὺς Λακεδαιμονίων εἰρήνην ἄγειν, ἔχοντας

ſtate, ipſe cum nauibus ducentis vrbem obſidet, atque vt idem terreſtribus copiis ab Academiae parte faceret Pauſanias Lacedaemoniorum Rex, literis iubet. Athenienſes itaque terra marique obſeſſi et inedia vexati primo pacem per legatos petiuere [51]. Quam cum fieri Lace-

πρὸς τῇ Αττικῇ Λῆμνον καὶ Ἰμβρον καὶ Σκύρον, καὶ δημοκρατεμένους κατὰ τὰς νόμας, τέτων μὲν ὐδὲν ἤθελον ποιεῖν, πολεμεῖν δὲ προῃρῶντο, οὐ δυνάμενοι. Κλεοφῶν δὲ ὁ λυροποιὸς (τυροποιὸς male, vt videtur, σχ. *Ariſtoph. Ran.* 693. nam a ceteris conſtanter λυροποιὸς, vid. *Andoc.* p. 19. Edit. Steph.) ὃν πολλοὶ δεδεμένον ἐν πέδαις ἐμνημόνευον, παρεγγραφεὶς αἰσχρῶς πολίτης, καὶ διεφθαρκὼς νομῇ χρημάτων τὸν δῆμον, ἀποκόψειν ἠπείλει μαχαίρᾳ τὸν τράχηλον, εἴ τις εἰρήνης μνησθήσεται. τελευτῶντες δὲ εἰς τᾶτο τὴν πόλιν προήγαγον, ὥϛε ἀγαπητῶς τὴν εἰρήνην ποιήσασθαι, ἀποϛάντας πάντων, καὶ τὰ τείχη καθελόντας, καὶ παραδεξαμένους φρεραὰν, καὶ Λακεδαιμονίων ἀρμοϛὴν, καὶ τῆς δημοκρατίας τοῖς τριάκοντα ἀφεμένους, οἳ χιλίους καὶ πενταϰοσίους τῶν πολιτῶν ἀκρίτως ἀπέκτειναν.

52. Haec omnia confirmantur a *Lyſia* pag. 234. et alibi, cum quo conſentit *Xenopho*, qui per totum *Hellenic.* l. 2. hanc Reipublicae conuerſionem perſequitur. *Diodorus* quidem *Siculus* longe aliter de Theramene verba facit, eumque ait populi ſtudioſiſſimum ideo XXXvirum ab illo eſſe factum, quo poſſet auctoritate ſua cauere, ne quid detrimenti Reſp. caperet. Neque ab ea opinione abludit multum genus mortis, quam factionis iſtius crudelitate oppetere coactus eſt, aut quod de eo memoriae prodidit Cicero. *Sed quid ego Socratem aut Theramenem, praeſtantis viros virtutis et ſapientiae gloria commemoro?* 1. Tuſc. 42. *Quam me delectat Theramenes! quam elato animo eſt! etſi enim flemus, cum legimus, tamen non miſerabiliter vir clarus emo-*

Lacedaemonii negarent, ni demissi ab vrbe Piraeum versus

ritur, *qui cum coniectus in carcerem XXX iussu Tyrannorum, venenum vt sitiens obduxisset, reliquum sic e poculo eiecit, vt id resonaret: quo sonitu reddito, arridens, Propino, inquit, hoc pulchro Critiae, qui in eum fuerat teterrimus. — Lusit vir egregius extremo spiritu, cum iam praecordiis conceptam mortem contineret, vereque ei, qui venenum praebuerat, mortem ysi eam auguratus, quae breui consecuta est.* 1. Tusc. 40. Prope est *Plutarchus* in *Nicia*, iuxta principium. Ἐνεστι περὶ Νικίᾳ πρῶτον εἰπεῖν, ὃ γέγραφεν Ἀριστοτέλης, ὅτι τρεῖς ἐγένοντο βέλτιστοι τῶν πολιτῶν, καὶ πατρικὴν ἔχοντες εὔνοιαν καὶ φιλίαν πρὸς τὸν δῆμον, Νικίας ὁ Νικηράτου, καὶ Θουκυδίδης ὁ Μιλησίου, καὶ Θηραμένης ὁ Ἀγνωνος. ἦττον δὲ οὗτος ἢ ἐκεῖνοι, καὶ γαρ εἰς δυσγενειαν ὡς ξένος ἐν Κέῳ λελοιδόρηται, καὶ διὰ τὸ μὴ μόνιμον, ἀλλὰ καὶ ἐπαμφοτερίζον ἀεὶ τῇ προαιρέσει τῆς πολιτείας, ἐπεκλήθη Κόθορνος. Ab Agnone etiam Atheniensi (male in *Lysandro* ab eod. *Plutarcho* vocatur Θηραμένης Ἀγκωνος) adoptatum fuisse memorat σχ. *Aristophanis*. De eius Rhetorica, nam Rhetor erat, i. e. eleganter et grauiter dixit, vid. *Plat. Apolog. Cic. 1. Tusc. 41.* et *3. de Orat. 16. Prolegom. Rhetor. apud Montefalc. Biblioth. Coisl. Plutarch. in Cicer.* De eo plura *Lysiae* p. 214. seqq. eiusque consilio in XXXvirali potestate constituenda. Adde *Iustin.* V. 9. *Harpocr.* in *v. Suid.* in *v.* et in Ἀργέᾳ υἱός. Εὐμεταβολώτερος. Κόθορνος. Δέξιος ὁ εὐπαιδ. et Ἀγχίσεοφοι. *Dionys. Halic.* in *Isocr.* in *Nicia*. Idem in *Lysandro*, in *Consolat. ad Apollonium* et *Praecept. Reip. bene gerend. Val. Maxim.* III. 2. σχ. *Aristoph. Lysistr.* 658. *Apostol.* IX. 29. et X. 30. Hominis versatile ingenium depinxit Poeta *in Ran.* 999.

versus muri brachia ad X stadiorum vtrinque interuallum deiicerent, ibi Theramenes, animo Reip. penitus euertendae, legationem in se recepit, populi animos honestiorum conditionum spe deliniens [52]. Quadrimestri igitur mora in eo munere posita, quo posset Athenienſium animos et fame et obsidione diutina fractos ad quaſcunque vellet conditiones deducere, cum inter Spartanos ſocioſque diu multumque [53] delitera-

tum

Θηραμένης; σοφός γ' ἀνὴρ καὶ δεινὸς εἰς τὰ πάντα,
Ος ἢν κακοῖς πε περιπέσῃ καὶ πλησίον παρασῇ,
Πέπτωκεν ἔξω τῶν κακῶν, ὁ Χῖος, ἀλλὰ Κῖος.

et alibi ſc. §44.

τὸ δὲ μεταστρέφεσθαι
Πρὸς τὸ μαλθακώτερον
Δεξιὸς πρὸς ἀνδρός ἐστι καὶ φύσει Θηραμένους.

Cuius loci Graecus enarrator fortaſſe etiam expediet ea, quae habet *Heſychius* in Τρία Θηραμένους. Hunc Theramenem ideo Cothurnum dictum fuiſſe ex eo, quod alterutri parti in Rep. vt ille pedi, conuenirent, norunt et pueri et puerorum didaſcali. Fabulam *Cratini* vocatam Θηραμένης memorat *Athen.* IV. 89.

53. Narrat *Plutarchus* in eo concilio (verum poſt captam vrbem celebratum fuiſſe ſcribit, contra fidem ceterorum Auctorum) Erianthum Thebanum immitiſſimam dixiſſe ſententiam, ſc. τὸ μὲν ἄστυ κατασκάψαι, τὴν δὲ χώραν ἀνεῖναι μηλόβοτον: verum poſtea inter vinum, cum forte quidam luctuoſiſſima nonnulla ex *Euripidis Electra* recitaret, conuerſis ſtudiis frangi omnium animos, remque videri indigniſſimam, *eam ciuitatem, quae talis Viros, produxerit, ſolo aequare.* Ita ciuitati ſuae vnius Poetae nomen et claritudo ſaluti fuit. Alii contendunt negaſſe Spartanos ſe ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos.

54. XII, *Plutarch. in Lyſandro.*

tum est, an deleri Atheniensium nomen vrbemque incendio consumi oporteret, redit tandem istiusmodi conditionibus impetratis, vt, *muri brachia deiicerentur vniuersa; naues omnes*, X 54 *exceptis*, *Lacedaemoniis traderentur; dirueretur murus, qui Piraeum cingeret; et Resp. denique ad Lysandri arbitrium componeretur* 55. Ita Lysan-

55. Capta vrbe ad suos rescripsit Laconice Lysander αλωκαντι ται Αθαναι, (*Plutarch. in Lysandro* et *Lacon. Apophthegm.*) cui pari breuitate responsum est αρκει το γε εαλωκειν (lege cum Cod. MS. ἑαλωκέναι) Conditiones Pacis Laconica dialecto exaratas idem *Plutarch.* in *Lysandro* refert, sed mendose. Rescribo, ταδε τα τελη των Λακεδαιμονιων εγνω καταβαλοντες τον Πειραια και τα μακρα σκελη και εκριβαντες εκ πασων των πολεων ταν αυτων γαν εχοντες ταυτα και δρωντες ταν ειραναν εχοιτε αχρη δοιτε και τους φυγαδας ανεντες περι ταν ναων τω πληθεος οκοιοντι κατηνι δοκεοι ταυτα ποιεετε. Male hodie οἰκεῖόν τι. Hi muri rursus longo post interuallo a Sylla diruti sunt. Vid. *Plutarch. in Sylla.* A Piraeo portu ad astu pertingebant V millia passuum. Vid. *Spon. Description des Antiquitez de la Ville d' Athenes.* tom. II. p. 234.

56. *Plutarch. in Lysandro.* Ex eo decemuiratu Piraeensi erant GLAVCO (Πύθερμος δὲ ἐν τοῖς Πειραιῶς τυραννήσασι καταγράφει και Γλαύκωνα ὑδροπότην. Athen. l. 2. Quinam erant isti Piraei tyranni prorsus se nescire fatetur *Casaubonus*) CHARMIDES eiusdem fortasse Glauconis filius (Χαρμίδης ὁ Γλαύκωνος τῶν ἐν Πειραιεῖ δέκα ἀρχόντων. Xenoph. *Hellenic.* l. 2. Genere is erat Critiae Tyrannorum XXX crudelissimo, adeoque *Platoni* et *Soloni* coniunctus, vt ex hoc stemmate patebit.

Lysandro cum classe Piraeum ingresso, murisque ad tibiarum sonitum dirutis, exactus est Olymp. XCIII. annus 4tus, Athenarum expugnatione insignissimus.

Proximus annus titulum sortitus est non a Pythodoro, qui tunc temporis summum magistratum Athenis erat obiturus, cuius idcirco nomen in Fastis omittebatur, sed ἀναρχίαν πρὸ Εὐκλείδου (is recuperata libertate anno sequenti magistratum gessit) ab antiquis scriptoribus vocabatur. Lysander enim receptis Athenis X viralem in Piraeo [56], in vrbe XXX viralem potestatem constituit. Collegium illud XXX virorum legibus scribundis institutum, quibus Resp. in posterum vteretur, summam auctoritatem paulatim ad se conuertit. Eorum nomina a *Xenophonte Hellenic.* l. 2. accepimus. sc. Polyarchus, Critias [57], Melobius [58], Hippolo-

Execestides

Solo. Dropidas

Critias

Glauco Callaeschrus

Critias XXXvir.

Potone Charmides

Plato

Vid. *Plat. in Charmide* 154. A.) MOLPIS. Vid. *Harpocr.* in v. Nos in *Fragm. de Diogenis hereditate.*

57. *Lys. c. Eratosth. Iustin. Diod. Lactantius* l. 3. *Val. Maxim.* III. 2. *Aristid. adu. Platon. de Rhetorica. Nepos in Alcibiade* et *Thrasybulo.* Aliique. Ἐπειδ' ὑμεῖς, ὦ Ἀθηναῖοι, Σωκράτην μὲν τὸν σοφιστὴν ἀπεκτείνατε, ὅτι Κριτίαν ἐφάνη πεπαιδευκὼς ἕνα τῶν τριάκοντα τῶν τὸν δῆμον καταλυσάντων. *Aesch. c. Timarch.* p. 24. Edit. Steph.

58. *Lys.* ibid. *Harpocr.*

polochus, Euclides, Hiero, Mneſilochus, Chremo [59], Theramenes [60], Areſias, Diocles, Phaedrias, Chaerelaus, Anaetius, Piſo [61], Sophocles, Eratoſthenes [62], Charicles [63], Onomacles, Theognis [64], Aeſchines, Theogenes, Cleomedes, Eraſiſtratus [65], Phido [66], Dracontides [67], Eumathes, Ariſtoteles [68], Hippomachus et Mneſithides [69]. Hi, vbi pauliſper Remp. iuſtitiae et

59. *Lyſ. c. Nicomach.*

60. *Lyſ.* paſſim.

61. *Lyſ. c. Eratoſth.* paſſim. 62. *Lyſ.* paſſim.

63. *Lyſ. c. Eratoſth. Xenoph. Memorab. Harpocr. Andoc. de Myſteriis.*

64. *Lyſ. c. Eratoſth. Harpocr.*

65. Κριτίας καὶ Ερασίστρατος ὁ Φαίακος τῶ Ερασιστράτω ἀδελφιδῆς. Plat. Eryx.

66. *Lyſ. c. Eratoſth.* 67. Ibid.

68. *Plat. in Parmenide.*

69. Huic numero addi poſſe videtur CALLAESCHRVS ſecundum verba *Dionyſ. Halic. Rhetor.* c 6. Ἀνθρώπῳ γὰρ γενομένῳ κατὰ τὸν τῦ Καλλαίσχρυ τῶν τριάκοντα, βέβαιον μὲν ἐδὲν, μὴ ὅτι καὶ τὸ θανεῖν γενομένῳ, καὶ ζῶντι, εἰ μὴ οἷόν τε ἐκτὸς αὐτῆς βάνειν. Laudat vir doctiſſimus Critiam Callaeſchri. Atqui ex Collegio iſto non erat Callaeſchrus, ſed Critias filius, vt plane legendum ſit κατὰ τὸν τῦ Καλλαίσχρυ τὸν τῶν τριάκοντα. Addi quoque poſſe videntur SATYRVS et CLEOPHO ex *Lyſia* p. 476. ni legas, quae ibi adnotaui. PHAEDIMVS ex *Demoſthen. de ementita legatione*, f. idem atque Phaedrias. De iſta Tyrannide, *Caeſar.* apud *Salluſt. Laert. in Zenone. Alexand. ab Alexandro* III. 16. *Iuſtin.* l. 6. *Oroſius* II. 15. *Diod. Sic.* l. 14. *Xenoph. in lib. 2. Hellen. Nepos in Lyſandro* et *Thraſybulo. Aelian. V. H.* III. 17. *Senec. de Tranquill.* c. 3. *Iſocr. in Paneg.* et c. *Callimach. Gell.*

et moderationis aliqua laude geſſiſſent, mox tria millia ciuium adſciſcunt, quibus imperii ſummam ſpecie communicarent, reuera autem ſatellitum loco haberent ſummaeque crudelitatis adminiſtros. Deinde armis a ceteris praeter iſtos MMM per vim ademptis, quaſi aditus ad Tyrannidem nondum ſatis munitus eſſe videretur, aut ad continendam ciuitatem parum eſſet in ſuo ſatellitio praeſidii, DCC milites, excubiarum nomine, cum Callibio praefecto (ἁρμοστὴν vocant Lacedaemonii) a victoribus impetrant. Omni igitur metu liberati tyranni miſeras vrbis reliquias caedibus et rapinis, Graecas ciuitates Athenienſium exſulibus vndique complent[70].

Iam ſtipendiariis militibus, quos a Lacedaemoniis acceperant, mercedes erant ſoluendae, cum Piſo et Theognis iniquiſſimam in Senatu ſententiam dixerunt, vt μετοίκων, qui fide publica Athenis commorati ſunt mercaturae exercendae gratia, adeoque re lautiori vtebantur, denos, vel, ſecundum alios, ſingulus ex XXX virali numero ſingulum comprehenderet, quos morte plecterent, atque in eorum bona inuolarent[71]. *Lyſias*

XVII. 21. *Heraclid. de Politiis. Plutarch. de Solertia Animalium.*

70. Οὕτω καὶ οἱ τυραννεύντες ἄρχουσι μιαιφονίας, ὥσπερ ἀπὸ τῶν πρώτων ἀπέκτειναν Αθήνησι τὸν κάκιστον τῶν συκοφαντῶν, ὃς Επιτήδειος προσηγορεύθη, καὶ δεύτερον ὁμοίως καὶ τρίτον, εἶτα ἐκ τούτου συνήθεις γενόμενοι Νικήρατον ἑώρων ἀπολλύμενον τὸν Νικίου, καὶ Θηραμένη τὸν στρατηγὸν, καὶ Πολέμαρχον τὸν Φιλόσοφον. Plutarch. *de eſu Carnium.* Eandem moderationem in initio tyrannidis memorant alii auctores omnes. *Lyſias* p. 192. *Xenoph. Diodor.*

71. Auaritiam et crudelitatem τῶν λ in expilandis

fias noſter cum Polemarcho fratre in clypeis fabricandis operam exercebat, mancipiis ad eum quaeſtum vſus ad numerum CXX. Eorum igitur aedibus et officinis exinanitis, direpto cum operis ingenti pondere auri atque argenti, relicto neque vaſe neque veſtimento, Polemarchum [72] indicta cauſa, more patrio cicuta interimunt. *Lyſias*, qui ex eorum manibus fuga ſe eripuit, vbi fratris indigna nece domum ſuam funeſtari vidit, nec quidquam ſpei ſibi reliquum fore, extra Atticam ſe ſubduxit, in libertate Athenarum inſtauranda magno ciuibus auxilio proxime futurus [73].

Periere vtique in iſto incendio Reip. ſummi viri, quos aut Tyrannorum crudelis ſuſpicio, aut vitae ſune ſplendor, et meritorum in Remp. magnitudo ad caedem deſtinare videbatur. In primis Niceratus [74] Niciae iſtius filius, qui in Sicilia olim bellum geſſit, domo nobilis, fortunarum amplitudine nemini Ciuium cedens, moribus denique et fama illuſtris. Eucrates [75] eiusdem Niciae frater, a XXX viris ad tyrannidis ſocietatem

diuitioribus legas apud *Iſocrat.* in orat. quae inſcribitur ἀμάρτυρος.

72. Polemarchus Philoſophus, qui memoratur a *Plutarcho de eſu carnium* a XXXviris fuiſſe interfectus, non alius eſſe videtur.

73. *Lyſ. c. Eratoſth. Plutarch.* et *Photius.*

74. *Lyſ. c. Poliuch. Xenoph. Hellenic. 2.* Nicias quidam, in Orat. *Iſocr.* quae inſcribitur ἀμάρτυρος, ἐπειδὴ οἱ λ κατέσησαν, καὶ αὐτὸν οἱ ἐχθροὶ ἐκ μὲντῶν μετεχόντων τῆς πολιτείας ἐξήλειφον, εἰς δὲ τὸν μετὰ Πεισάνδρε κατάλογον ἀνέγραφεν, δεδιὼς τὰ παρόντα πράγματα, τὴν μὲν ὐσίαν ὑπέθηκεν — αὐτὸς δ' εἰς ἄγρον ἐλθὼν διητᾶτο.

75. *Lyſ.* ibid. *Suid.* in Απεσε.

tatem inuitatus, Leo Salaminius [76], Autolycus [77], Strombichides [78], Dionysodorus [79], Aristophanes [80] Chollides, Xenopho Icarius [81], Hippias Thasius [82], Cleopho [83], Calliades [84], Lycophro [85] Lycurgi F. Lycurgi praestantissimi Oratoris pater, Antipho [86], Theramenes XXX vir [87], ceterique quam plurimi [88].

Erat inter Exsules Thrasybulus Lyci f. [89], rebus gestis, quam domo [90], inlustrior. Hic vbi primum

76. *Xenoph. Hellenic. Laert. in Socrate. Andoc. de myster.*

77. *Plutarch. in Lysand. Diod. Sic.*

78. *Lys. c. Agorat.* 79. *Lys.* ibid.

80. *Lys.* ibid. 81. *Lys.* ibid. 82. *Lys.* ibid.

83. *Lys. c. Agorat.* et *c. Nicomach.*

84. *Lys. c. Nicomach.*

85. *Plutarch. in v. Lycurgi.*

86. *Plutarch. in. v. Antiph.* alius ab *Antiphonte* Oratore, qui a populo plectebatur propter coniurationem τῶν CD. Vnde error Scriptorum, qui ea, quae ad duos pertinent, ad vnum referunt.

87. Circumuentus ille a Critia Collega, et morti datus. Totam rem fuse narrat *Xenoph. Hellenic. 2.*

88. Τοῖς ἀνοσιωτάτοις τριάκοντα, οἳ ἰδίων κερδέων ἕνεκα ὀλίγῳ δεῖν πλείους ἀπεκτόνασιν Ἀθηναίων ἐν ὀκτὼ μησὶν, ἢ πάντες Πελοποννήσιοι δέκα ἔτη πολεμοῦντες. Xenoph. Hellenic. l. 2. Οἱ δὲ ἐν Ἀθήναις δυναστεύοντες τριάκοντα Τύραννοι καθ' ἡμέραν ἐκ ἐπαύσαντο τοὺς μὲν φυγαδεύοντες, τοὺς δὲ ἀναιροῦντες. Diod. Sic. l. 14. Interfecerunt MD iuxta *Aeschinem* in superioribus laudatum, eundem *c. Ctesiph.* et *Isocrat. Areopag.* vbi de hac re plura et distincta.

89. Thrasybulus Lyci fil. τὸν δῆμον Στειριεύς. (Male a nonnullis ὁ Τυριεὺς ὀνομαζόμενος) De eo *Nepos* in vita, *Xenoph. Thucyd. Diodor.* alique quamplurimi.

90. Ita *Nepos.* Aliter *Iustin.* et *Orosius.* Hic II. 17.

Thebis mouiſſet ad patriam liberandam, non plus fere habuit ſecum, quam XXX [91] de ſuis. Ad Phylen igitur pagum (quod erat caſtellum in Attica munitiſſimum, et ab vrbe diſtabat ſtadia circiter centum) ſe recipiens copias celeriter auxit, breuibuſque excurſionibus aciem Tyrannorum in fugam vertit. Vtilem in ea re operam nauauit Auctor noſter, *in auxilium vrbis, quae eſſet patria communis eloquentiae*, ID *milites cum ſtipendiis ſuis* [92], mittens. Thraſybulus paucos dies in

Phyle

Erat inter exſules Thraſybulus, vir ſtrenuus et generis nobilitate *inter ſuos clarus, qui auctor audendi pro patria fuit. Itaque caſtellum Phylen Atticorum finium colligi Exſules capiunt, multarumque ciuitatum opibus adiuti vires capeſſunt: quibus Lyſias quoque Syracuſanus Orator, quaſi in auxilium vrbis, quae eſſet patria communis Eloquentiae,* D *milites cum ſtipendiis ſuis miſit.*

91. *Nep. in Thraſybulo.* Alii LXX. Ὁρμηθεὶς ἐκ Θηβῶν ὡς σὺν ἑβδομήκοντα. Xenoph. l. 2. *Hellenic.* cui concordat *Plutarch. de gloria Athenienſium*, init. Τὸς ἀπὸ Φυλῆς ἑβδομήκοντα κατὰ τῆς Σπαρτιατῶν ἡγεμονίας ἀνιςαμένους.

92. Ita *Iuſtin.* et *Oroſius.* ſupra p. 31. Conſultiſſimus interea Auctor, qui *Plutarchi* nomine emendicato, ex *Photii* penu *Lyſiae* vitam conſcribillauit, rem magis ſignanter narrat: Ait enim pecuniam ad duo millia drachmarum contuliſſe, clypeos vero CC, et Hermamanis cuiusdam (Hermonem vocat *Photius*) opera adiutum milites conduxiſſe auxiliaris non numero, rotundo (vt huiusmodi res deſcribi ſolent) CCC, verum CCCII, ἀκριβείᾳ nunquam ſatis praedicanda; ab hoſpite denique Thraſylaeo talenta impetraſſe: quot vero impetrauit, non memorat. Mala certe fide exemplar deſcripſit, quo legebatur, ἐπικέρως τε ἐμισθώσατο τριακοσίους, καὶ Θρασύλλειον τὸν Ἠλεῖον ἔπαστε,

Phyle moratus, sumptis secum, quos ibi collegerat, erant autem ad millia hominum, noctu Piraeum occupat, Munichiaque munita, postero die aciem cum Tyrannis confert, et vincit. In eo praelio Critias et Hippomachus [93] XXX virorum saeuissimi cadunt, et Charmides Glauconis F. Xvir Piraeensis.

Reuerso in vrbem exercitu, Tyrannorum animos summa desperatio, ceterorum exsulis populi misericordia tum primum cepit. Tyrannis igitur abrogatur imperium, quod tanta crudelitate gesserant; quibus Eleusinem emigrantibus, locum, quem sibi olim perfugium pararunt, suffecti sunt X, qui Remp. moderarentur, ex singula tribu P. A. vnus. Erant in eo numero Hippocles et Epichares [94], atque etiam ex Collegio XXX virali Phido et Eratosthenes, quos ideo retinebant, quod exsulum reditioni bene velle videbantur. Illi tamen imperio potiti nihil exemplo prioris dominationis perterriti idem cum exsulibus bellum continuabant [95], et ad dominatum confirmandum Lysandrum accersebant.

Vna cum Lysandro exiit Pausanias Rex Lacedaemoniorum, qui partim Lysandri inuidia, partim populi misericordia ductus, vbi bellum paulisper specie tenus gessisset, clam ad exsules nuncium mittit, qui

dice-

ξένον ὄντα, αὐτῷ δυο τάλαντα παραστχεῖν. Non igitur apud *Plutarchum* legendum, milites CCCII, sed milites CCC et II talenta. Et haec est vera Crisis.

93. Hippolochus. *Iustin.*

94. His adiungatur Rhino. *Isocr. c. Callimach. Heraclid. de Politiis.* Hic, Τέτων (i. e. τῶν λ) δὲ καταλυθέντων Θρασύβουλος καὶ Ῥίνων προεστήκεσαν, ὃς ἦν ἀνὴρ καλὸς κἀγαθός.

95. *Lys.* p. 211. seqq. *Iustin.* V. 10. *Xenoph. Isocr. c. Callimach.*

diceret, *malle se, vt, pace vtrinque facta, amicitiam cum Lacedaemoniis colerent, quam ciues cum ciuibus bellum nefarium et vtrisque exitiosum gererent.* Idem consilium mittit eis, qui vrbem tenuerunt. Quae res cum Lacedaemoniorum Senatui comprobaretur, pax sancita est hisce conditionibus: *sc. vt domum reuerterentur exsules cum Thrasybulo Imp., vt ad publicam concordiam colendam inuitarentur omnes vndique ciues, exceptis* XXX, *qui in vrbe, et* X, *qui in Piraeo dominationem exercuissent*, (his autem et qui his vna se adiungere vellent, Eleusis monstrabatur locus, vbi sine timore esse possint) *vt denique, ne qua ex ante actis simultas subesse posset, iureiurando obstringerentur omnes, sanctam et perpetuam discordiarum ἀμνησίαν fore*[96]. Interiectis diebus, vbi compertum est Eleusinios Tyrannidem recuperare velle, atque ad eam rem conficiendam externum militem praemiis et pollicitationibus sollicitare, indignantis se iam in exilium quasi agi, repente in eos vndique fit concursus, ducibusque ad colloquium progressis et per insidias comprehensis, ibi de iis consulitur. Quo tempore *Lysias* et domesticis inimicitiis et communi indignatione accensus luculentissimam illam orationem *contra Eratosthenem* XXX virum (*pag. nostr. Edit.* 189.) habuit, quam *Plutarchus* in *libro de gloria Atheniensium, κατὰ τῶν τριάκοντα* inscribere videtur. Interfecti sunt Tyranni publico consilio, ceterosque, missis amicis ac necessariis, vt in gratiam redire vellent, perduxerunt.

Eum exitum habuit seditio Atheniensium, intra biennium et incoepta et composita[97]. Plurimis id facinus

96. *Ne qui praeter* XXX *Tyrannos, et* X, *qui postea Praetores creati superioris more crudelitatis erant vsi, adficerentur exsilio, neue bona publicarentur, reique pub. procuratio Populo redderetur.* Nepos in *Thrasybulo*.

facinus Thrasybuli saluti fuit, quibus importunissimi tyranni, publicatis bonis, etiam in alienis ciuitatibus exsilium inuidere videbantur. Lacedaemoniorum enim edicto, qui tunc in Graecia summa rerum potirentur, ciuitates omnes exsules recipere prohibebantur, qui

I 5 tamen

Οἱ δὲ διήλλαξαν, ἐφ' ᾧ τε εἰρήνην μὲν ἔχειν ὡς πρὸς ἀλλήλους, ἀπιέναι δὲ ἐπὶ τὰ ἑαυτῶν ἑκάστους, πλὴν τῶν Τριάκοντα, καὶ τῶν ἕνδεκα (XIviros sc. Lictores publicos, Tyrannidis administros) καὶ τῶν ἐν τῷ Πειραιεῖ ἀρξάντων δέκα. Xenoph. *Hellenic.* l. 2. ad fin. Errat *Nepos*, neque enim Xviros *in vrbe*, verum Xviros in *Piraeo* pacis beneficio excluserunt. Duplex iste Xviratus Auctoribus et antiquis et hodiernis plurimis fraudem fecit. *Plat. Epist.* 7. memorat LI qui per ea tempora Rempublicam tractabant, sc. XIviros in vrbe, X in Piraeo, et XXX denique, penes post quos summa erat auctoritas. καὶ τῆς μεταβολῆς εἰς καὶ πεντήκοντα τινὲς ἄνδρες προέστησαν ἄρχοντες· ἕνδεκα μὲν ἐν ἄστει, δέκα δ' ἐν Πειραιεῖ — τριάκοντα δὲ πάντων ἄρχοντες κατέστησαν αὐτοκράτορες. Ille autem XIviratus non erat nouum imperium, sed collegium Lictorum, qui vel XXX vel Xvirorum iussa capessebant: Id quod ex *Xenoph. Hellenic.* ceterisque liquet. Ad hos igitur pertinebat iusiurandum, Οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν ἑδενὶ, πλὴν τῶν τριάκοντα, καὶ των ενδεκα. Praeter hos LI a *Platone* memoratos constituebatur, vt vidimus, Xviratus Reipublicae ordinandae, post inclinatos animos Athenienſium, remque a Thrasybulo fortiter gestam, quos male *Nepos* intellexit esse Xviros a foedere exclusos. ideoque X in vrbe et X in Piraeo, vt dixi, nullo consilio immiscuit. Haec vidi esse fusius exponenda, cum eorum temporum historiam male excipi in monumentis, praesertim tam claris, magnopere erat dolendum.

tamen Argis et Thebis nacti sunt perfugium. Redierunt itaque, praeter multos, quorum nomina historia istius temporis non retulit, Auctor noster, Archinus vir grauissimus, de quo plura in sequentibus, Atrometus [98] Aeschinis Oratoris pater, Chaerepho Socraticus,

97. Si fidem habeamus *Diodoro* et *Eusebio*, per totum Quadriennium permansit nouum hoc imperium, sc. Olymp. XCIV. 1. exortum, XCIV. 4. depositum: verum istius Olymp. anno 2. Praeturam gerebat Euclides, sub quo res in solidum restituebantur, vt omnes fere vno ore testantur ex Antiquis. Hinc dicitur Ἀναρχία πρὸ Εὐκλείδε, Νόμοις χρῆσθαι ἀπ' Εὐκλείδε ἄρχοντος, etc. etc. Si quaeratur, quamdiu durauit dominatio XXXviralis, tali fortasse computo elicietur responsum. Cum Pythodorus praeturam erat initurus, Olymp. XCIV. 1. circa solstitium aestiuum, (quo tempore annus Atticus incoeptabat) rerum potiti sunt XXXviri, ideoque annus iste indigitabatur ἀναρχία, vt olim vidimus. Nam Lysander, qui istum XXXviratum imperauit, vrbem cepit anno superiore exeunte, circiter initium Aprilis: *Plutarch.* in *Lysandro* Ἑλαβε τάς τε ναῦς — καὶ τὰ τείχη τῶν Ἀθηναίων ἕκτῃ ἐπὶ δεκάτῃ (corrige ἕκτῃ ἐπὶ δεκα τε) Μουνιχιῶνος μηνός. Insequente hyeme Thrasybulus Phylen castellum recepit et cum Tyrannis Munychiae conflixit. Eius rei fidem facit *Xenopho Hellen.* l. 2. Vix enim ad Phylen considerant exsules, cum impetus in eos fit ex parte XXXvirorum, quo tempore vna nocte nix de caelo cecidit plurima. Βελομένων δὲ τῶν Λ ἀποτειχίζειν — ἐπιγίγνεται τῆς νυκτὸς χιὼν παμπληθης. Xenoph. *Hellenic.* Porro hanc fuisse hyemem, quae proxime sequuta est Tyrannidem, discimus ex eod. Cleocritus enim post pugnam feliciter a Thrasybulo commissam, vbi adhortaretur oppidanos ad concordiam, de XXXvi-

rali dominatu quasi nouo et non vltra VIII mensium aetatem verba facit. οἱ ἰδίων κερδέων ἕνεκα ὀλίγου δεῖν πλείους ἀπεκτόνασιν Ἀθηναίων ἐν ὀκτὼ μησιν ἢ πάντες Πελοποννήσιοι δέκα ἔτη πολεμῆντες. Ita computo a mense Munychione facto VIII. mensium terminus in mediam fere hyemem incidet. Perierunt igitur in Tyrannide Menses circiter XIII. in pace concilianda totidem. nam in Boedromione mense, qui nobis est Augustus, in vrbem cum suis rediit Thrasybulus. *Plutarch. de gloria Athenienſium.* Ἕκτῃ μὲν ἱσαμένῃ (lege ἱσαμένῃ) Βοηδρομιῶνος εἰσέτι νῦν τὴν ἐν Μαραθῶνι νίκην ἡ πόλις ἑορτάζει, ἕκτῃ δὲ μηνὸς (lege μεσῆντος, ita bene respondebit τῷ ἱσαμένῃ. ἕκτῃ μὲν ἱσαμένῃ — ἕκτῃ δὲ μεσῆντος, et praeterea circa Pleniluniun rem esse a Chabria gestam scribitur in *Camillo:* norunt autem omnes Athenienſis mensis suos cum luna auspicari) οἰνοχοεῖται τῆς Χαβρίᾳ περὶ Νάξον ἐπινίκια ναυμαχίας. τῇ δὲ δωδεκάτῃ χαριστήρια ἔθυον ἐλευθερίας· ἐν ἐκείνῃ γὰρ οἱ ἀπὸ Φυλῆς (corrige Φυλῆς) κατῆλθον. Porro autem locus praefractus valde et lacer *Plutarch. Symposi.* IX. 6. de Thrasybuli reditu et decore inde Boedromioni mensi addito, de ara item *Obliuionis* procul dubio eo tempore consecrata, quo Lex ἀμνηστίας (siue, vt *Corn. Nepos* vocat, Lex Obliuionis) lata fuit, nonnulla habet, sed propter loci impuritatem impedita nimium et intellectu difficillima. Constabunt tamen vtique ea, quae dixi.

Ex hisce igitur inter se comparatis huiusmodi eruetur Epocha.

Archon.	Olymp.	
Alexias	xciii. 4.	exeunte, Lysander XXX viros imperat.
Pythodorus	xciv. 1.	— Ἀναρχία, vt vocatur.
Euclides	xciv. 2.	— ineunte, Thrasybuli reditus cum suis.

Ex

cus [99], Anytus [100], Phormisius [1], Andocides [2] e Collegio X Oratorum, Aristocrates [3] Scellii F., Aesimus [4], Ergocles [5], Epicrates [6], Cleocritus [7] ὁ τῶν Μυστῶν κήρυξ, Thrasybulus [8] Colyttensis, aliique.

Fuit aliquanto inlustrior recuperatae Ciuitatis Atheniensium aera, quod Resp. bello cum finitimis diuturno, et mox intestino functa, ad ciuilem disciplinam, qua maxime semper inclaruit, nouis institutis siue refingendam siue confirmandam sese accingeret. In tanto strepitu armorum, et praeterea in discordiis atque internecionibus domesticis, necesse fuit multa laxari, quae ciuitas bene constituta et in solidum vindicata colligari vellet; multa innouari, quae eadem tollenda esse decerneret; nonnulla etiam praeuideri, quae posterorum vsui et saluti esse potuerunt. Neque fortasse alienum erit hoc loco exponere, quanta sapientia et moderatione illa Exsulum manus Remp. tractauit, quam nuper tanta virtute vindicauerat.

Anno post reditum Archon erat Euclides, qui idcirco in Fastis atque in institutis Atheniensium nouam

quasi

Ex errore *Diodori*, qui in ea re fuit minus curiosus, natus est error Chronographorum, *Eusebii* sc. *Pamphili*, *Chronici Paschalis*, etc.

98. *Apollonii* Vita *Aeschinis*. Idem *Aeschin. de mentita legat.* p. 38. Edit. Steph.

99. *Plat. Apolog.*

100. *Lys. c. Agorat. Isocr. c. Callimach. Xenoph.*

1. *Dionys. Halic.* in *Lysia.* V. *Aristoph. Ran.* et *Dinarch. c. Demosth.*

2. *Plutarch.* in *Andocide.*

3. *Demosth. c. Theocrin.*

4. *Lys. c. Agorat.* 5. *Lys. c. Ergocl.*

6. *Demosth. de mentita legatione.*

7. *Xenoph. Hellenic.* 8. *Demosth. c. Timocrat.*

22

quasi aeram signabat. Multa me mouent, quare credam sub eo Praetore repertum esse consilium alphabetum Graecum recensendi, introductamque literarum XXIV, pro XVI, quibus prius vtebantur, rationem 9. Praeturam Euclides alius gessit Olymp. LXXXVIII. 2. ad cuius aetatem referri a nonnullis video Atticarum literarum conuersionem. Quod si consideremus *Theopompum* (qui de ea re, sc. quo pacto id consilium atque ea literas exarandi ratio ab Athenienſibus recepta fuerit, olim scripsit) ab Olymp. XCII. 2. historiam suam esse exorsum, continuaturum sc. illam alteram *Thucydidis*, quae in ea aetate desinit, vsque ad pugnam nauale prope Cnidum, Olymp. XCVI. 3. credibile est sub eo Euclide rem contigisse, qui praeturam gessit Olymp. XCIV. 2. intra aetatem *Theopompi* historiae, non sub Euclide, qui 24to ante anno eo magistratu functus est. Si cui leuius hoc videbitur, meminerit institutam fuisse nouam hanc Grammaticam, Archini [10] potissimum consilio et auctoritate, cuius

9. Vid. *Plutarch. in Aristide* iuxta initium. *σχ. Eurípid. Phoeniss.* 688. *Harpocr. in* Αττικ. γραμ. *Salmas. ad Inscript. Herodis et Regillae. Voss. de Grammatic. Petit. Comment. ad LL. Attic.* p. 118. *Scalig. ad Euseb. Vales. ad Harpocrat. Montefalcon. in Palaeograph. Graec. Spanheim de vsu et praestantia Numismatum.* Literae illae sedecim erant

Α. Β. Γ. Δ. Ε. Ι. Κ. Λ. Μ. Ν. Ο. Π. Ρ. Σ. Τ. Υ.

10. Thrasybulo, qui populum virtute sua reducem fecit, Archinum τὸν ἐκ Κοίλης (pagus is est Atticae, quem primus vindicauit optimus *Sponius*) semper fere coniungunt Antiquiores Scriptores, virum et consilio et auctoritate grauissimum.

Ἀλλ' ὁ μὲν ἄρ μύθοισι, ὁ δ' ἔγχεϊ πολλὸν ἐνίκα. *Aesch. de mentita legat.* p. 51. Ed. Steph. Τοῦ δήμου,

cuius opera populus in vindicanda et in reformanda Rep. plurimum vsus est, vt mox videbimus. Η, ὅτι παρὰ Σαμίοις εὑρέθη πρώτοις τὰ κ᾽ γράμματα ὑπὸ Καλλιστράτε· ὡς Ἀνδρων ἐν Τριποδι. τὸς δὲ Ἀθηναίους ἔπεισε χρῆσθαι τῶν Ἰώνων γράμμασιν Ἀρχινους (l. Ἀρχῖνος) κατελθόντος ἀπὸ Φυλῆς (male in editis Φυλῆς litera minuscula) Ἀρχίνε καὶ Θρασυβέλε προσάντων τῷ δήμῳ. Demosth. *c. Timocrat.* Μυρωνίδης ὁ Ἀρχίνε υἱὸς τῷ καταλαβόντος Φυλήν, καὶ μετά γε τὸς θεὸς αἰτιωτάτε ὄντος τῆς καθόδε τῷ δήμῳ, καὶ ἅπαντα πολλὰ καὶ καλὰ πεπολιτευμένε καὶ ἐστρατηγηκότος πολλάκις. Dinarch. *adu. Demosth.* Ὁ δὲ καταλυθεὶς ὑπ᾽ ἐκείναν δῆμος διὰ τὸς τότε γενομένες παρ᾽ ὑμῖν συμβέλες, πάλιν ἠγεμὼν ἦν τῶν Ἑλλήνων. δικαίως οἶμαι· στρατηγῶν μὲν τοιούτων τετυχηκὼς, οἵων εἶπον ἀρτίως, συμβέλους δ᾽ ἔχων Ἀρχῖνον καὶ Κέφαλον τὸν Κολυττέα. μία γὰρ αὕτη σωτηρία καὶ πόλεως καὶ ἔθνες ἐστὶ, τὸ προσατῶν ἀνδρῶν ἀγαθῶν καὶ συμβέλων σπουδαίων τυχεῖν. Quem locum lego emendatius, quam est in impressis. Ἀγνοεῖς. ὦ Κηφισία, τὸς ἄνδρας. ἦ μὴν ἄξιον εἰδέναι πατέρων ὄντων ἀγαθῶν, καὶ πρὸς ὑμᾶς οἰκείως ἐχόντων. ὁ δὲ μέν ἐστιν ἀδελφιδᾶς Θρασυβέλε Λυσιθείδης· ὁ δὲ Τιμόθεος Κόνωνος υἱὸς, οὗτος δὲ Ἀρχίνε παῖδες. Plutarch. *de genio Socratis.* Eius igitur nomen restitue, i. apud *Plutarchum de glor. Athen.* iuxta init. Ἀνελε τὰ περὶ Ἐλπίσποντον Ἀλκιβιάδου νεανιεύματα, καὶ τὰ πρὸς Λέσβον Θρασύλε, καὶ τὴν ὑπὸ Θηραμένες τῆς ὀλιγαρχίας κατάλυσιν, καὶ Θρασύβουλον καὶ Ἀρχινον, καὶ τὸς ἀπὸ Φυλῆς. Male hodie Ἀρχιππον. 2. in eod. tractatu *Plutarchi* iuxta finem. Τὸν τῷ Λυσίε λέγον κατὰ τῶν τριάκοντα τῆς Θρασυβέλε καὶ Ἀρχινου τυραννοκτονίας. Male hodie exaratur Ἀρχίου, quod Xylandrum male habuit. Vt omittam *Suidam* in Σαμίων ὁ δῆμος, de quo proxime.

χῖνος) ὁ Αθηναίου (vel Αθηναῖος) ἐπι αρχοντος Ευκλειδου. — — περὶ δὲ τȣ̃ πείσαντος ἱςορεῖ Θεόπομπος. Suid. in Σαμίων ὁ δῆμος. Quibus adde *Eusebium*, Οἱ ἐν Αθήναις Τ̲ύραννοι κατελύθησαν. Αθηναῖοι ἤρξαντο ςοιχείοις κ δ χρῆσθαι, πρότερον ις̄ χρώμενοι.

P. A. vt dixi, reconciliata pace, de abolendo dolore et priorum temporum necessitatibus legem tulere, quam idcirco OBLIVIONIS appellarunt; eamque ἀμνηςίαν iureiurando confirmarunt [11]. Quod humanis-

11. Ad istas Συνθήκας et Ορκȣς saepe prouocant Oratores, Noster, *Isocrates c. Callimach.* ceterique. Iurisiurandi quidem formulam ipsis conceptis verbis seruauit *Andocides de Mysteriis* p. 12. edit. Steph.

Ορκος κοινὸς τῇ πόλει ἁπάσῃ

Ου μνησικακησω των πολιτων ȣδενι πλὴν των τριακοντα και των ενδεκα ȣδε τȣτων ος αν εθελοι ευθυνας διδοναι της αρχης ης ηρξεν.

Ορκος τῆς βȣλῆς.

Ου δεξομαι ενδειξιν ȣδε απαγωγην ενεκα των προτερον γεγενημενων πλην των φευγοντων.

Ορκος τῶν δικαςῶν.

Ου μνησικακησω ȣδε αλλο πεισομαι ψηφιȣμαι δε κατα τȣς κειμενȣς νομους.

Hoc obliuionis decretum memorant *Plutarch.* πολιτικ. παραγγελμ. *Demosth. adu. Boeotum*, *Aeschines*, *Andocides*, *Xenoph. Paterc.* II. 58. *Cic. Philipp.* 1. *Valer. Maxim.* IV. 1. *Oros.* II. 17. VII. 6. *Lys. c. Agorat.* fin. *Nep. in Thrasybulo*, ceterique. Verum legibus et sacramentis longe antecellebat simultatum et iniuriarum memoria. Hinc enim deriuatur omne istud Atheniensium odium, quod in Socratem haud diu post erupit. Υμεῖς, ὦ Αθηναῖοι, Σωκράτην μὲν τὸν σοφιςὴν ἀπεκτείνατε, ὅτι Κριτίαν ἐφάνη πεπαιδευκὼς ἕνα τῶν λ̄,

manissimum populi victoris decretum, vt praeter eam, quam ex religionibus diuinis nanciscebatur, auctoritatem, aliquid etiam in iure humano reperiret praesidii, legem suasit Archinus, vt contra eum, qui de rebus praeteritis litem intenderet, exceptionis iure (παραγραφὴν vocant Graeci) vti liceret: sc. vt Reus priori loco diceret, eius ἀμνηστίας beneficium imploraturus. Legis disertissima verba producam: Επειδὴ γὰρ ἐκ Πειραιῶς κατελθόντες ἐνίους ἑωρᾶτε τῶν πολιτῶν συκοφαντεῖν ὠρμημένους, καὶ τὰς συνθήκας λύειν ἐπιχειροῦντας, βουλόμενοι τούτους τε παῦσαι, καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπιδεῖξαι, ὅτι οὐκ ἀναγκασθέντες ἐποιήσασθε αὐτὰς, ἀλλ' ἡγούμενοι τῇ πόλει συμφέρειν, εἰπόντος Αρχίνου, νόμον ἔθεσθε, αν τις δικαζηται παρα τους ορκους εξειναι τω φευγοντι παραγραψασθαι τους δε αρχοντας περι τουτου πρωτον εισαγειν λεγειν δε προτερον τον παραγραψαμενον οποτερος δ' αν ηττηθη την επωβελιαν οφειλειν. Isocrates ἐν τῷ παραγραφικῷ λόγῳ πρὸς Καλλίμαχον Vt vno verbo complectar, omnis vndique ordines ciuitatis ad concordiam publicam inuitarunt illustrissimo, quod vbiuis legitur, exemplo clementiae ciuilis, veterumque simultatum memoriae obliuione sempiterna deletae. Nam cum ad obsidionem Piraei, quem occuparant Exsules Thrasybulo duce, C talenta a Lacedaemoniis mutuo sumpserunt, qui in vrbe cum XXX viris steterunt: et concordia facta, Lacedaemonii aes repeterent; nonnullis aequum esse videbatur, vt debitum dissoluerent iidem, qui contraxerant, non ii, quorum in perniciem contractum fuerat; Placuit tamen atque auctoritate publica sancitum est, quo posset omnis omnino simultatum memoria obliterari, vt communiter ab omnibus solutio fieret.

τῶν τὸν δῆμον καταλυσάντων. Aesch. c. *Timarch.* Add. *Plat. Epist.* 7.

fieret [12]. Clarissimum moderationis exemplum animique ad inimicitias deponendas paratissimi.

Verum vt manum illam Phylensem, quae tanta virtute Remp. vindicauerat, P. A. quasi beneficiorum immemor non plane negligere videretur, decreuit, eod. Archino ferente, αὐτοῖς εἰς θυσίαν καὶ ἀναθήματα (verbis vtor *Aesch. c. Ctesiph.* qui huius rei memoriam conseruauit) δῶναι χιλίας δραχμὰς, ἔπειτα στεφανῶσθαι θαλλῷ στεφάνῳ [13] αὐτῶν ἕκαστον, καὶ οὐδὲ τοῦτο εἰκῇ πρᾶξαι, ἀλλ' ἀκριβῶς τὴν βουλὴν σκεψαμένην, ὅσοι αὐτῶν ἐπὶ Φυλῆς ἐπολιορκήθησαν, ὅτε Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ τριάκοντα προσέβαλον τοῖς καταλαβοῦσι Φυλήν. Eius autem rei, quo testatior esset memoria, Actis publicis de hac donatione in Metroo iuxta Curiam talem Inscriptionem adfigi curauerunt:

Τόσδ' ἀρετῆς ἕνεκα στεφάνοις ἐγέραιρε παλαίχθων
Δῆμος Ἀθηναίων, οἵ ποτε τοὺς ἀδίκοις
Θεσμοῖς ἄρξαντας πρῶτοι πόλεως καταπαύειν
Ἦρξαν, κίνδυνον σώμασιν ἀράμενοι.

Hoc plebiscitum publice in honorem ciuium et facinoris sociorum rogauit Archinus: aliud priuatim in gratiam *Lysiae* pro tantis eius in Remp. meritis Thrasybulus: cuius historiola est huiusmodi. Reuerso populo (indistincte *Plutarchus* in *Lysia*, qui hanc rem narrat, μετὰ τὴν κάθοδον, ἐπὶ ἀναρχίας τῆς πρὸ Εὐκλείδου) Thrasybulus rogationem defert, vt, *Lysias* ciuitate donaretur, idque impetrat. Istud plebiscitum (magis

12. *Demosth. c. Leptin.* init. et *Isocr.* in *Areopagitico.*

13. Tangit *Nepos* in *Thrasybulo.* *Huic* [Thrasybulo] *pro tantis meritis, honoris corona a populo data est, facta duabus virgulis oleaginis: quae, quod amor ciuium, non vis, expresserat, nullam habuit inuidiam, magnaque fuit gloria.*

(magis, vti videtur, quo conseruaretur mos ciuitatis, quam *Lysiae*, vel odio, vel inuidia ductus) παρανόμων ἐγράψατο Archinus [14], quod non ad Senatum prius de ea re referretur. Eaque ratione hac spe pulsus Orator noster reliquum vitae egit in eo gradu, qui proxime infra Ciuem censetur [15]. Credibile est *Lysiam* pro hac rogatione Thrasybuli, i. e. *pro Ciuitate* orationem habuisse: idque colligo ex *Plutarchi* verbis in *v.* quae tamen hodie propter mendorum impuritatem nihil omnino istiusmodi prae se ferre videntur. Εἰ δ' αὐτῷ [λόγος] καὶ ὃν ὑπὲρ τῶ ψηφίσματος ἐγράψατο Ἀρχῖνος τὴν πολιτείαν αὐτῷ περιέχων, καὶ κατὰ τῶν Τριάκοντα ἕτερος. Legendum est procul dubio, Εἰ δ αὐτῷ [λόγος] ὑπὲρ τῶ ψηφίσματος, ὁ ἐγράψατο Ἀρχῖνος [παρανόμων &c.] τὴν πολιτείαν αὐτῷ περιελών. Plane vt *Aeschines de mentita legatione* p. 34. edit. Steph. Εἴ τις αὐτῷ τὴν τύχην περιελὼν ἑτέρῳ περιθείη.

Denique, vt orationis telam perficere possim, aetas illa populi restituti, tum nouis legibus condendis, tum autem plurimis, quibus prius vtebantur, antiquandis, illustrissima fuit. Recensebantur publico decreto

14. Similem Archini constantiam retulit *Aesch. c. Ctesiph.* p. 82. Edit. Steph. Ἀρχῖνος γὰρ ὁ ἐκ Κοίλης ἐγράψατο παρανόμων Θρασύβυλον τὸν Στειριέα, γράψαντά τι παρὰ τοὺς νόμους, σεφανῶν ἕνα τῶν συγκατελθόντων αὐτῷ ἀπὸ Φυλῆς. Nisi ad hanc ipsissimam historiam de *Lysia* adludat Orator, quod non prorsus absimile est.

15. Τὸν λοιπὸν ὤκησε χρόνον ἰσοτελὴς ὤν. *Plutarch.* in *vita.* Μηδένα τῶν πολιτῶν μήτε τῶν ἰσοτελῶν, μήτε τῶν ξένων. Demosth. *c. Leptin.* Ἰσοτελεῖς Inquilini sunt μέτοικοι, quibus μετοίκιον remittebatur, adeoque in tributis pendendis, eadem aestimatione, qua Ciues ipsi, censi.

creto Legg. tabulae, et reiectis iis, quae concordiam modo institutam impedire posse videbantur, nouisque latis, quibus opus erat Reip. [16] noua deinceps ratione ex ea tempestate ciuitas tractari atque administrari coepit. Hinc eae locutiones apud Auctores vetustos, ἄκυρα ὡς τὰ πρὸ Εὐκλείδου [17], et νόμοις χρῆσθαι ἀπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος etc. Vna cum πολιτεία immutari quoque literaturam, vt vidimus, nouaque tabulas nouis literis exarari credibile est. Nam tametsi Ionica scriptura, quae elementis constabat XXIV, domi ante Euclidem Athienensium quisque vti poterat, eius tamen in Actis publicis vsus non inualuit ante hunc populi reditum, et conuersionem Reip. Eas omnis leges [18] recensere, quae per illa tempora sancitae sunt,

16. *Andocyd. de mysteriis* p. 11. Edit. Steph. aliique.

17. Ἐγω ταῦτα ἄκυρα, ὥσπερ τὰ ἐπὶ τῶν τριάκοντα, ἢ τὰ πρὸ Εὐκλείδου, ἢ εἴ τις ἄλλη πώποτε τοιαύτη ἐγένετο προθεσμία. Aesch. *c. Timarch.* Καταλυθέντων τῶν τυράννων [λ̄ sc.] καὶ γινομένης μετ' αὐτὸς Εὐκλείδου Ἀρχοντος, ἵνα μὴ μνησικακήσωσιν ἀλλήλοις οἱ πολῖται, συνθήκας ἐποίησαν, ὥστε τὰ πρὸ Εὐκλείδου ἄκυρα εἶναι. Schol. ad *Luciani Tyrannum.*

18. Legum haec recensio iuxta σχ. ineditum *Aesch. c. Timarch.* instituta fuit propter labem, quam in imperio XXX virorum acceperunt Solonis instituta. Cuius verba adducam ad historiam horum temporum elucidandam commodissima, quanquam vetustis nonnullis auctoribus de occasione legum reformandarum aduersentur. Οἱ λ̄ Τύραννοι διὰ Λακεδαιμονίων καταταθέντες καὶ τὴν πάτριον πολιτείαν καταλύσαντες ἐλυμήναντο τὰς Δράκοντος καὶ Σόλωνος νόμους. ἀπολαβὼν οὖν ὁ δῆμος τὴν ἐλευθερίαν εἵλοντο πολίτας ὁσουσδήποτε τὰς ζητήσαντας καὶ ἀναγράψαντας τοὺς διεφθαρμένους τῶν νόμων. Τότε ἐψηφίσαντο καὶ νόμους

vix esse videtur loci huiusce. Vnam tamen aut alteram in medium producam, vt moneam, non omnis, quae leguntur, Solonis aut Draconis esse leges, aut vno tempore latas.

Praeclarum semper facinus apud Athenienses habebatur τυραννοκτονία: Vnde scitissimum erat effatum Antiphontis apud *Plutarch.* (non tamen Rhetoris, sed alterius cuiusdam) Cum enim in conuiuio quaereretur apud Dionysium Siciliae tyrannum, quodnam aes praestantissimum esset, atque alii aliud dicerent, respondit, istud ἐξ ὧν Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων πεποίηνται. Verum ex hoc tempore primum legibus erat cautum, teste *Lycurgo c. Leocratem*,

Εαν τις τυραννιδι επιθηται η την πολιν προδιδω η τον δημον καταλυη τον αισθανομενον καθαρον εναι αποκτειναντα.

Non Tyrannum, sed qui Tyrannidem affectabat. Εἰκότως, vt ibid. differit Orator: Τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἀδικημάτων ὑστεραι δεῖ τετάχθαι τὰς τιμωρίας· προδοσίας δὲ καὶ δήμου καταλύσεως, πρωτεραι. Εἰ γὰρ ποιήσεσθε (male ita exaratur, lege προησεσθε) τοῦτον τὸν καιρὸν, ἐν ᾧ μέλλουσιν ἐκεῖνοι κατὰ τῆς πατρίδος φαῦλόν τι πράττειν, οὐκ ἔστιν ὑμῖν μετὰ ταῦτα δίκην παρ' αὐτῶν (leg. παρα των) ἀδικεῖσθαι λαβεῖν: κρείττους γὰρ ἤδη γίνονται τῆς παρὰ τῶν ἀδικουμένων τιμωρίας. Eo consilio omnis ad Tyrannidem aditus occluserunt, animumque ciuilem vltra Solonis scita confir-

σισφέρειν ἀντὶ τῶν ἀπολωλότων ἐπ' Ἄρχοντος Εὐκλείδου, ὃς πρῶτος ἦρξε μετὰ τὸς Λ. ἐκεῖνοι γὰρ τὸν τε δῆμον ἐξέβαλον, καὶ τῶν δημοτικῶν τὸς ἐπιφανεῖς τὸς μὲν ἐβασάνισαν, τὸς δὲ ἐφυγάδευσαν ἀφελόμενοι τὴν οὐσίαν αὐτῶ, τὸς δὲ ἀπέκτειναν ἀκρίτως. ἐπειδὴ δὲ αὐτοὶ καθηρέθησαν, ψήφισμα ἐτέθη περὶ τῆ ἀμνησικακεῖν.

confirmarunt Athenienſes μόλις εἰς τὴν ἑαυτῶν κατελθόντες, πεπειραμένοι καὶ εἰδότες τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐφόδους τῶν τὸν δῆμον προδιδόντων. Verba ſunt eiuſdem Scriptoris [19].

Hinc porro lux affundetur *Demoſtheni adu. Eubulid.* Τοῖς χρόνοις τοίνυν ἔτω φαίνεται γεγονώς, ὥστε, εἰ καὶ κατὰ θάτερα ἀσὸς ἦν, εἶναι πολίτην προσήκειν αὐτόν. γέγονε γὰρ πρὸ Εὐκλείδου. Hinc quoque *Iſaeo de Cironis hereditate* fin. Ἐὰν γὰρ ἐξαπατηθῆτε ὑμεῖς, πεισθέντες, ὡς ἡ μήτηρ ἡμῶν ἐκ ἦν πολῖτις, ἀδ' ἡμεῖς ἐσμέν· μετ' Εὐκλείδη γὰρ ἄρχοντα γεγόναμεν. Nam eo Praetore legem tulit Ariſtopho,

CIVEM NON CENSERI NISI QVI MATRE LIBERA NATVS FVERIT.

Ἀριστοφῶν ὁ ῥήτωρ ὁ τὸν νόμον εἰσενεγκὼν ἐπ' Εὐκλείδ8 Ἄρχοντος.

Ος αν μη εξ αστης γενηται νοθον ειναι.

αὐτὸς ἀπεδείχθη ὑπὸ Καλλιάδου τῷ Κωμικῷ ἐκ Χωρίδος (f. Χλωρίδος) τῆς ἑταίρας παιδοποιησάμενος, ὡς ἱστορεῖ Καρύστιος ἐν τρίτῳ ὑπομνημάτων. Athen. l. 13. p. m. 285. Ergo in aetate ante Thraſybuli reditum, viſum eſt ex alterutro parente ingenuo ingenuum naſci, deinde non ita. Vide plura apud *Demoſth. c. Timocratem*, et *Vlpian.* ad loc. *Andoc. de Myſteriis* ceteroſque. *Meurſius de Archontibus Atticis* male refert Ariſtophontis legislationem ad praeturam prioris Euclidis. Et credibile eſt tunc temporis a quibusdam fuiſſe actum, vt fauciam Remp. non modo nouis legibus ſanarent, verum nouam etiam faciem inducerent. Phormiſius enim rogationem tulit περὶ τῦ καταλῦσαι τὴν πάτριον πολιτείαν, cui oratione ſcripta reſtitit Auctor noſter, vt liquet ex *Dionyſio Halic.* in vita, atque ex iſtius orationis reliquiis.

19. Plura vide apud *Andocid. de Myſteriis.*

In publica istorum temporum memoria ideo diutius haesi, quoniam res complectitur exitu grauis, vtraque fortuna notabilis, et varietate, praesertim in tam breui temporis curriculo, pene incredibilis. Adhaec malui ea, quae historiam istius aetatis illustrare posse videntur, hic concludi, quam commentatorem agere, et paginam vtramque *Lysiae* Adnotationum mole obruere. Quae superstint ad scriptorem nostrum spectantia vbi expediuero, finem faciam.

Obiit Athenis Olymp. C. 2. (vel 3.) annos natus LXXX (vel LXXXI.) biennio post *Demosthenem* natum [20]. Vnde miror, cum haec adeo liquido a vetustioribus tradantur, egregiam istam inconstantiam in *Plutarcho*. Ετελεύτησεν ογδοηκοντα τρια ἔτη βιὺς· ἢ, ὥς τινες, ἐξ και ἑβδομηκοντα, ἢ, ὡς τινες, υπερ ογδοηκοντα· ἰδὼν Δημοσθένην μειράκιον ὄντα.

Orationes videtur exaratae in extrema senectute. Quarum enim aetatem eruere possumus, eae omnes post XXX viratum conficiebantur. Paucissimas ipse in concione aut in curia dixit, τοῖς ἰδιώταις τοῖς πολλοῖς ἐκδὺς. Plutarch. in vita, vbi legendum, vt *Photius* habet τους πλειους. Memorabile de ea re retulit idem *Plutarchus de Garrulitate*, (si idem sit). Λυσίας τινὶ δίκην ἔχοντι λόγον συγγράψας ἔδωκεν· ὁ δὲ πολλάκις ἀναγνὺς ἦκε πρὸς τὸν Λυσίαν ἀθυμῶν καὶ λέγων, τὸ μὲν πρῶτον αὐτῷ διεξιόντι θαυμαστὸν φανῆναι τὸν λόγον, αὖθις δὲ καὶ τρίτον ἀναλαμβάνοντι παντελῶς ἀμβλὺν καὶ ἄπρακτον. Ο δὲ Λυσίας γελάσας, Τί ἂν, εἶπεν, ἐχ ἅπαξ μέλλεις λέγειν αὐτὸν ἐπὶ τῶν δικαστῶν;

Scholam quoque aperuit et Rhetoricam docuit, si *Plutarcho* et *Ciceroni* fides [21]. Neque docuit solummodo,

20. *Dionys. Halic.* in vita.

21. Παραγενόμενος εἰς Αθήνας [Isaeus] καὶ σχολάσας Λυσίᾳ. Plutarch. in *Isaeo*. Lysiam *primo profi-*

modo, verum et eius rei disciplinam literis mandauit, quoniam τέχνας eius ῥητορικὰς laudari ab Antiquioribus video, *Plutarcho*, *Suida*, etc.

Imaginem eius apud *Fulvium Vrsinum* in marmore si consideremus, videtur fuisse senex, oris maiestate simul, vt virili quadam pulchritudine, venerandus. Dimanauit quoque ad posteros nonnulla istius rei memoria, cum venustatem vultus, aut saltem fidem vulgo de ea receptam haud obscure innuat *Aristides Serm. Sacr.* 4. his verbis; Σχεδὸν δὲ καὶ τῶν ἄλλων παλαιῶν τὰς ἐνδοξοτάτας ἐπὶ λόγοις ὑπῆρξέ μοι θεάσασθαι, ὁμοίως λογοποιάς τε καὶ ποιητάς. Τὸ δὲ τῇ Λυσίᾳ καὶ δεινότητος ἄξιον. ἐκάμνον γὰρ τριταίῳ οὔῳ βαρυτάτῳ, καὶ ὁρῶ Λυσίαν τὸν ῥήτορα, νεανίσκον ἔτι ἄχαριν. ἐπῆσε δὲ ἡ τῆς καταβολῆς ἡμέρα, καὶ ὁ πυρετὸς ἐκ ἐπεγένετο, ἀλλ' ἐλύθη τὸ νόσημα ἐν τούτῳ.

Memorant *Athenaeus* [22] et *Plutarchus* [23], ad eamque rem confirmandam testimonio *Demosthenis c. Neaeram* vtuntur, Auctorem nostrum cum Metanira consuesse, postea autem, relicta vxore illa vsuraria, domum duxisse Brachylli fratris filiam. Neque Metaniram solum habuit, verum et Lagidem quoque, si fides habenda sit eidem *Athenaeo*, *ibid.* Ητητο δὲ καὶ ὁ Λυσίας Λαγίδος τῆς ἑταίρας, ἧς ἔγραψεν ἐγκώμιον Κέφαλος ὁ ῥήτωρ. Quod ad Metaniram adtinet, fratrisque filiam domum pro vxore ductam, ita accipe ex dicta oratione *Demosthenis*, vbi inter cetera eluceſcet mala fide descriptam fuisse a *Plutarcho*. Verum hoc

leuiusteri *solitum artem esse dicendi: deinde quod* Theodorus *esset in arte subtilior, in orationibus autem ieiunior, orationes eum scribere aliis coepisse, artem remouisse.* Cic. *Brut.* 48.

22. l. 13. 23. In *vita Lysiae.*

leuiuſculum. „Nicareta Chariſii [24] Elei liberta VII domi puellas habuit, meretriculas, et proſtibulas, vnde victum quaeritabat: Antiam, Stratolam, Ariſtocleam, Metaniram, Philam, Iſthmiadá et Neaeram. *Lyſias*, qui Metaniram deperibat, ratus, beneficiorum, quae in amicam conferre ſolebat, plurima a domina eſſe intercepta, adeoque gratum illi aliquid facere cupiens, et quod vetula interuertere nequibat, initiare voluit. Nicaretam igitur orauit, vt Metaniram ſecum Athenas ad Myſteria duceret. Eae tum Corinthi habitabant. Verum vbi domum ad ſe recipere noluit, reueritus ſe. vxorem Brachylli fratris filiam, atque etiam matrem ſuam natu grandem, quae in iiſdem aedibus habitabat, mulierculas ad Philoſtratum Colonenſem, amicum ſuum et familiarem, deduxit. Vna cum his ſequebatur Neaera, *ἐργαζομένη μὲν ἤδη τῷ σώματι, νεωτέρα δὲ οὖσα.*» Haec *Demoſthenes*. Habita eſt ea Oratio *contra Stephanum* quendam, qui, vt Metaniram Lyſias, Neaeram amauit, et praeter leges Atticas, mulierem peregrinam in loco vxoris habuit. Emendo hac occaſione *Athen.* l. toties citato, *Νικαρέτη δὲ ἡ ἑταίρα* (lege *Νέαιρα*, nam Nicareta erat lena, quae ex Neaera quaeſtum fecit) *ἐρωμένη ἦν Στεφάνου τοῦ ῥήτορος, Λυσίου δὲ τοῦ σοφιστοῦ Μετάνειρα.* Sed hoc obiter. Contendo, quod longe grauius eſt, ex hiſtoria ipſa apparere, haec ad noſtrum pertingere non poſſe, adeoque duos fuiſſe *Lyſias* aetate non longe diſſitos, quorum res geſtae et fortaſſe ingenii monumenta incaute ab aliis, etiam vetuſtis ſcriptoribus, miſceri et confundi ſolebant. Oratori noſtro Brachyllus frater non erat, verum Polemarchus et Euthydemus. Res ipſa conſtat ex *Dionyſio Halic.* [25] nomina ex *Platone* [26]. Qui Brachyllum memo-

24. Χαρισίου Demoſth. Κασίου Athen.

25. In *Lyſia*, iuxta init. *εἰς Θουρίους ᾤχετο πλέων*

memorat primus, *Plutarchus* est, vel potius *Plutarchi* simius, qui ex hoc *Demosthenis* loco tertium fratrem, Brachyllum nomine, eruit. Accedit, quod qui Metaniram habuit, non *Rhetor* aut *Orator* dicitur, sed *Sophista* [27], disciplinae longe diuersae, studii et ingenii genere plane alienus. *Λυσίας γὰρ ὁ σοφιστὴς, Μετανείρας ὢν ἐρασὴς*, et quae sequuntur. *Demosth.* l. c. Et, quod est adhuc expressius, non solum *Sophista* vocatur ab *Athenaeo* in eadem historia, sed quodammodo *Rhetori* ex aduerso opponi videtur. *Νέαιρα δὲ ἡ ἑταῖρα ἐρωμένη ἦν Στεφάνου τοῦ ῥητορος, Λυσίου δὲ τοῦ σοφιστου Μετάνειρα.*

Subductis temporum rationibus, clarius ea, quae dico, euincentur. Neaera, contra quam scripsit orationem istam *Demosthenes*, adeoque *Demostheni σύγχρονος*, minima erat aetate, cum *Lysias* Orator in extrema senectute diem supremum obiit. Cum igitur Corintho

σὺν ἀδελφοις δυσι. Si tertius fuisset frater, qui domi mansit, annon scripsisset *σὺν ἀδελφῶν δυσί*; Eod. modo *Suid. σὺν ἀδελφοις δυο.*

26. *De Republica.*

27. *Aristidis* locus, quem adducturus sum, tum id ostendit, *Lysiam* vix Sophistam vocari potuisse, tum id quoque, quinam apud antiquos et qua de ratione, Sophistae vocabantur. *Οὐ Λυσίας Πλάτωνα σοφιστὴν καλεῖ, καὶ πάλιν Αἰσχίνην*; (i. e. Socraticum) *κατηγορῶν ἔτός γε φαίη τις ἂν, ἀλλ' ἐχ οἵγε ἄλλοι κατηγορῶντες ἐκείνων τῶν ἄλλων* (f. *καὶ τῶν ἄλλων*) *ὅμως αὐτὸν τέτω προσειρήκασιν κύτές. Ετι δὲ εἰ καὶ Πλάτωνος ἐξῆν κατηγορῆντα σοφιστὴν προσειπεῖν, τί τέτες γ' ἂν εἴποι τις; ἀλλ', οἶμαι, καὶ Σοφιστὴς ἐπιεικῶς κοινὸν ἦν ὄνομα, καὶ ἡ Φιλοσοφία τῆτ' ἐδύνατο, Φιλοκαλία τις εἶναι καὶ διατριβὴ περὶ λόγες, καὶ ἐχ ὁ νῦν τρόπος ἔτος, ἀλλὰ παιδεία κοινῶς.* Aristid. *c. Plat.* 2.

rintho Athenas, vna cum Metanira profecta est, iam grandiuscula, vtpote quae occoeperat quaestum, accersente porro homine, qui domi matrem habuit superstitem, qui accersiuit, noster non potuit esse. Porro habita est ea causa *c. Neaeram* longe post res Olynthiacas; quarum meminit Orator, inimicitiarumque cum Philippo susceptarum, eo modo, quo quis rerum in superiori aetate gestarum meminisse solet: In Olymp. CVII. 4. incidunt Olynthiaca XXX. post *Lysiae* decessum anno. Attamen in hac ipsa causa producitur testis Philostratus, cuius familiaritate vtebatur *Lysias* ille, (quicunque fuerit) qui Metaniram initiauit. Φιλόστρατος Διονυσίου Κολωνῆθεν μαρτυρεῖ — καταστῆσαι ὡς αὐτὸν Λυσίαν τὸν Κεφάλου, φίλον ὄντα αὐτῷ καὶ ἐπιτήδειον. An haec conuenire satis videantur?

Ad Sophistam igitur *Lysiam* (si quis in ea aetate fuerit, fuisse autem alium *Lysiam* ex ratione temporum patebit) credo ea omnia pertinere, quae sub *Lysiae* Ερωτικῶν nomine laudantur a vetustis scriptoribus; cuiusmodi sunt *Epistolae*, quae olim circumferebantur, *Amatoriae*, maxime autem Oratio illa (siue potius *Sermo*) ἐρωτικὸς, quae integra conseruatur in *Platonis Phaedro* [28]. Eam si quis arbitretur proficisci posse

28. Βουληθεὶς ὁ ἀνὴρ [Plato] ἐπιδείξασθαι τὴν αὐτοῦ δύναμιν, ἣν εἶχεν ἐν τοῖς πολιτικοῖς λόγοις, οὐκ ἠρκέσθη ταῖς ἄλλαις γραφαῖς, ἀλλὰ καὶ κράτιστον (f. ἀλλὰ καὶ εις vel προς κράτιστον) τῶν τότε ῥητόρων ἕτερον αὐτὸς ἐν τῷ Φαίδρῳ συνετάξατο λόγον, ἐρωτικὸν εἰς τὴν ὑπόθεσιν, καὶ οὐδὲ ἄχρι τούτου προελθὼν ἐπαύσατο καταλιπὼν ἐν τοῖς ἀναγνωσομένοις τὴν διάγνωσιν, ὁπότερός ἐστι κρείττων λόγος, ἀλλὰ καὶ τῶν ἁμαρτημάτων ἥψατο τῶν Λυσίου, τὰς μὲν λεκτικὰς μαρτυρῶν τῷ ἀνδρὶ ἀρετὰς, τῶν δὲ πραγματικῶν ἐπιλαμβανόμενος. Dionys. Halic. *Epist. ad Pomp.* Καὶ γὰρ

posse ex eadem manu, qua profectae sunt Orationes, quas hodie publici iuris facimus, eum non κρίσει aut acumine, sed omnibus potius sensibus orbum esse iudico. Talem aemulum, Sophistam sc. nancisci potuit *Isocrates*, qui saepius Sophistae, quam Oratoris personam sustinuit; vnde ducor, vt ea quoque, quae de eorum inimicitiis vel aemulatione dicuntur, Rhetori nostro abiudicem [29].

Quae fortasse Crisis (seu commentum fortasse mauis dicere) expediet quodammodo inextricabile istud portentum, quod sub nomine Epigrammatis in *Lysiam* conseruauit *Plutarchus*. Nam si reputemus, quam dubia fide monumenta Vett. descripsit neotericus ille magni nominis adumbrator, (qui etiam potuit, neque inclementer ago, vel plura Epigrammata conflare, vel vnum discerpere) et praeterea si aduertamus, haec, quae sequuntur, de eo dici potuisse, cuius leuissima notitia ad nos deuenit, Sophistam intelligo, tolerabiliora

ὁ Πλάτων τὸν Λυσίου λόγον ἅτε κατὰ τὴν εὕρεσιν ἐπαινῶν καὶ τῆς ἀταξίας αἰτιώμενος ὅμως αὐτῷ τὴν ἐπαγγελίαν (l. ἀπαγγελίαν) ἐπαινεῖ, καὶ ὅτι τῶν ὀνομάτων σαφῶς καὶ εὐσυγγύλως ἕκαστον ἀποτετόρευται. Plutarch. *de Auditione*. *Alius ait, hoc me primum docet: item alius, hoc volo, inquit, discere, istud nolo. Hic a Symposio* Platonis *incipere gestit propter Alcibiadis comissationem, ille a Phaedro propter* Lysiae *orationem*. Gellius l. 9. Vid. *Maxim. Tyr. Dissertat.* VIII. *Hermogenes de Ideis Orationis* et σχ. ad locum. *Aristid. c. Plat.* I. et *de paraphthegm. Theo* c. 2.

29. Ἰσοκράτης ἀντισοφιζεύει Λυσίᾳ, καὶ Γοργιάζει. Schol. *Hermog.* p. 401. Ἀλλὰ μὴν καὶ Ἰσοκράτης ὁ τῶν ῥητόρων αὐθημονεστερος Μετάνειραν εἶχεν ἐρωμένην καὶ Καλλὴν, ὡς Λυσίας ἱστορεῖ ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς. Athen. l. 13.

liora fortasse videbuntur, quae in hunc diem praestantissimorum hominum acumen elusere. Μνημονεύει δὲ αὐτοῦ καὶ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδρῳ, ὡς δεινοτάτου εἰπεῖν, καὶ Ἰσοκράτους πρεσβυτέρου. Ἐποίησε δὲ καὶ εἰς αὐτὸν ἐπίγραμμα Φίλισκος, ὁ Ἰσοκράτους μὲν γνώριμος, ἑταῖρος δὲ Λυσίου, δι' ὃ φανερὸν, ὡς προείλαβε τοῖς ἔτεσιν, καὶ ἐκ τῶν ὑπὸ Πλάτωνος εἰρημένων ἀποδείκνυται. ἔχει δὲ ἔτως,

Καλλίππης θύγατερ, πολυηγόρε, Φρεντίδι δείξεις
Εἰ τι φρενεῖς * * καί τι περισσὸν ἔχεις.
Τὸν γὰρ ἐς ἄλλο σχῆμα μεθαρμοσθέντα, καὶ ἄλλοις
Ἐν κόσμοισι βίου σῶμα λαβόνθ' ἕτερον,
Δεῖ σ' ἀρετῆς κήρυκα τεκεῖν τινα Λυσιδάμαντον,
Δόντα καταφθίμενον καὶ σοφῷ ἀθάνατον·
Ὅς τοτ' ἐμῆς ψυχῆς δεῖξαι φιλέταιρον ἅπασι
Καὶ τὴν τῷ φθιμένῳ πᾶσι βροτοῖς ἀρετήν.

Quae ne plane intentata relinquamus, habe B. L. ad vexatissimum ἀποσπασμάτιον Cl. *Marklandi* coniecturas. En tibi Ipsius Verba. „Corruptissimi huius Epigrammatis hoc propositum esse videtur: Compellat Musam suam Philiscus, et dicit, Ipsam debere carmen componere in defuncti Amici sui Lysiae *Statuam* quandam, quae, vt videtur, sub *Iuuenis* specie effingebatur. ideo autem Ipsam accurate hoc facere debere, vt et Diis probet sincerum animi sui affectum erga mortuum Sodalem; et simul, vt Hominibus ostendat, quanta Lysiae Virtus fuerit. Haec Philiscus, pulchro et laudabili argumento Epigrammatis; cuius verba ita lego:

Καλλίπ-

Καλλίππης θύγατερ πολυηγόρε, φροντίδι δείξεις
Εἴ τι φρονεῖς πινυτὸν, καί τι περισσὸν ἔχεις.
Τῷ γὰρ ἐς ἄλλο σχῆμα μεθαρμοσθέντι, καὶ ἄλλοις
Σὺν κόσμοισι νέῳ σῶμα λαβόνθ' ἕτερον,
Δεῖ σ' ἀρετῆς κήρυκα τεκεῖν τινα Λυσίᾳ ὕμνον
Δύντι καταφθιμένων, καὶ ζόφον· Ἀθανάτοις
Ὡς τό τ' ἐμῆς ψυχῆς δεῖξαι φιλέταιρον ἅπασι,
Καὶ τὴν τῶ φθιμένῳ πᾶσι βροτοῖς ἀρετήν.

Calliopes filia multiloqua, curâ tuâ ostendes
Si quid sapiens cogitas, et quid eximium habes:
In aliam enim speciem qui transmutatus fuit, et, aliis
Cum ornatibus iuuenis, corpus qui accepit diuersum,
Oportet te, quae praeco es virtutis, parere aliquod
*carmen Lysiae, **
Qui subiit regionem *defunctorum, et tenebras: Diis*
Vt et animi mei studium erga sodalem ostendas omnibus,
Et defuncti omnibus mortalibus virtutem.

„In tertio versu et sequentibus Ordo Verborum hic est: Δεῖ γάρ σε, κήρυκα ἀρετῆς, τεκεῖν τινα ὕμνον τῷ Λυσίᾳ μεθαρμοσθέντι ἐς ἄλλο σχῆμα, καὶ λαβόντι ἕτερον σῶμα, σὺν ἄλλοις κόσμοισι νέῳ· Λυσίᾳ, inquam, δύντι καταφθιμένων, καὶ ζόφον. *Statuas* vero Lysiae sub *Iuuenis* (νέῳ) specie formari solitas fuisse (quod et in aliis Viris Illustribus saepe factum) innuere videtur locus *Aristidis Serm. Sacr.* IV. p. 335. Ed. Iebb. vbi *in somnis se vidisse* ait Λυσίαν τὸν ῥήτορα, νεανισκον ἐκ ἄχαριν. Lysias vero *senex* mortuus est: adeo vt non conci-

* Rectius forte vertatur: *Oportet te virtutis praeconem parere — carmen:* ὕμνον κήρυκα, non σε κήρυκα. [Ita Markland ipse in Addendis.]

concipi possit, quid velit *Aristides* per istud νεανίσκον, nisi adludat ad Lysiae *Statuas* huiuscemodi, quas saepe vidisse, et visas in somnis agnouisse, contigerat. Δύντι καταφθιμένων, sc. χώραν· quae locutio et Ellipsis frequens est. sic δήεις ἐν Διὸς ἢ μακάρων· *inuenies* eum *in Iouis vel beatorum* habitatione: ex Antholog. III, 6. p. 308. edit. Brodaei ζόφος pro *Infernis tenebris*, apud *Lucianum* in *Dial. Mort.* et alios saepe occurrit. In versu secundo suppleui πινυτὸν ex mera coniectura. alius forte aliter, et melius: in ceteris nihil difficultatis. Coniectura vero ista, νέϐ pro βίϐ, probe scio, quam infirmo talo stet. sed in huiusmodi locis obscuris et desperatis maior datur licentia; et, si fallaris, venia paratior. Suspicatus sum aliquando ista, ἄλλο σχῆμα, et ἕτερον σωμα, non ad Lysiae *statuam* aliquam referri, sed ex *Metempsychosi* Pythagorica explicari debere: ita vt ἄλλοις ἐν κόσμοισι, esset, *aliis in mundis*. Sed et sic, de voce βίϐ adhuc quaerendum. an βιϐῦν scribendum? *vt viuat aliis in mundis*.

Nonnulla alia leuiora omitto, praesertim in Spiritibus et Accentibus. Sed inter grauissima numerari, et mutatum vellem, si quid inclementius dictum videatur in Cl. *Andr. Schottum*, Virum de Re Literaria optime meritum. MARKLAND.

ΛΥΣΙΟΥ

ΛΥΣΙΟΥ ΒΙΟΣ,

ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΧΑΡΑΚΤΗΡΟΣ ΤΩΝ ΑΥΤΟΥ ΛΟΓΩΝ.

ΕΚ ΤΩΝ ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΤΟΥ ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΣΕΩΣ [1].

Λυσίας ὁ Κεφάλε Συρακουσίων μὲν ἦν γονέων, ἐγεννήθη δὲ Ἀθήνησι μετοικοῦντι τῷ πατρὶ, καὶ συνεπαιδεύθη τοῖς ἐπιφανεστάτοις Ἀθηναίων· ἔτη δὲ πεντεκαίδεκα γεγονὼς, εἰς Θουρίους [2] ᾤχετο πλέων σὺν ἀδελφοῖς

1. Praeter *Hudsonianos* nonnulli alii Codd. MSS. in quibus exaratur luculentissimum hoc de *Lysia* testimonium, puta in *Laurentiana* bibliotheca vnus (LXX. 19.) in *Palatino-Vaticana* alter (CXXXIV. 4.) *Plutarcho* id. per errorem adsignant. Nescio, vnde desumptae sunt variae lectiones, quas in Editione Rhetorum *Aldina* suppeditauit Bibliotheca Regia Cantabrigiensis. TAYL.

2. *Θουρίους*] Haec vrbs olim fuerat appellata Sybaris. de qua v. Dionys. Alex. p. 61. ed. Rob. Steph. Eam funditus euersam a Crotoniatis docet ad h. l. Eustathius, qui de colonia Graeciae haec habet. ὕστερον δὲ τῆς πόλεως συνοικισθείσης ὑπὸ Ἀθηναίων καὶ ἄλλων Ἑλλήνων, Θούριοι προσηγορεύθησαν ἀπὸ κρήνης τινὸς ὁμωνύμου. et paulo post ὑστέρῳ μέντοι χρόνῳ οἱ Ἀθηναῖοι καὶ Θούριον, ὡς εἴρηται, μετωνόμασαν. καί ἐστιν ἡ εἰς Θούριον ἀποικία πολλὴ ἐν ταῖς ἱστορίαις. Vide etiam de hac Colonia Meursium de fortuna Athen. p. 44. 45.

φοῖς δυσὶ, κοινωνήσων τῆς ἀποικίας, ἣν ἔστελλον Ἀθηναῖοί τε καὶ ἡ ἄλλη Ἑλλὰς, δωδεκάτῳ πρότερον ἔτει τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου· καὶ διετέλεσεν αὐτόθι πολιτευόμενος ἐν εὐπορίᾳ πολλῇ μέχρι τῆς συμφορᾶς τῆς κατασχούσης Ἀθηναίους ἐν Σικελίᾳ. μετ' ἐκεῖνο δὲ τὸ πάθος στασιάσαντος τοῦ δήμου, ἐκπίπτει σὺν ἄλλοις τριακοσίοις Ἀττικισμὸν ἐγκληθεῖσι· καὶ παραγενόμενος αὖθις εἰς Ἀθήνας κατὰ ἄρχοντα Καλλίαν, ἕβδομον καὶ τεσσαρακοστὸν ἔτος ἔχων, ὡς ἄν τις εἰκάσειεν, ἐξ ἐκείνου τοῦ χρόνου διετέλεσε τὰς διατριβὰς ποιούμενος Ἀθήνησι. πλείστους δὲ γράψας λόγους εἰς δικαστήριά τε καὶ βουλὰς καὶ πρὸς ἐκκλησίας εὐθέτους, πρὸς δὲ τούτοις πανηγυρικοὺς, ἐρωτικοὺς, ἐπιστολικοὺς, τῶν μὲν ἔμπροσθεν γεγενημένων ῥητόρων, ἢ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἀκμασάντων ἠφάνισε τὰς δόξας· τῶν δὲ ἐπιγενομένων οὐ πολλοῖς τισι κατέλιπεν ὑπερβολὴν, ἅτ' ἐν ἁπάσαις ταῖς ἰδέαις τῶν λόγων, καὶ μὰ Δί' οὔτοιγε ταῖς φαυλοτάταις εὐδοκιμῶν. τίνι δὲ κέχρηται χαρακτῆρι λόγων, καὶ τίνας ἀρετὰς εἰσενήνεκται, τίνι τε κρείττων ἐστὶ τῶν μετ' αὐτὸν ἀκμασάντων, καὶ πῇ καταδεέστερος, καὶ τί δεῖ λαμβάνειν παρ' αὐτοῦ, νῦν ἤδη πειράσομαι λέγειν.

Καθαρός ἐστι τὴν ἑρμηνείαν πάνυ, καὶ τῆς Ἀττικῆς γλώττης ἄριστος κανὼν, οὐ τῆς ἀρχαίας, ᾗ κέχρηται Πλάτων καὶ Θουκυδίδης, ἀλλὰ τῆς κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐπιχωριαζούσης, ὡς ἔστι τεκμήρασθαι [3] τοῖς τε Ἀνδοκί-

Postea multi in illam vrbem contulerunt se securitatis causa. quod de Alcibiade Nepos VII. 4. 4. dicit, et de aliis Andocides contra Alcibiadem p. 28. fin. ed. Ald. τοιγάρτοι διὰ ταῦτα (propter tributum imperatum ab Alcibiade,) πολλοὶ τὴν πατρίδα τὴν αὐτῶν ἀπολιπόντες, φυγάδες γίγνονται καὶ ὡς Θουρίους οἰκήσοντες ἔρχονται. ΜΑΤΤΗΑΕΙ.

3. τεκμήριον.] τεκμήρασθαι recipiendum videtur. nam τεκμήριον aliam constructionem postulat. ΜΑΤΤΗ.

δοκίδι λόγοις καὶ τοῖς Κριτίᾳ, καὶ ἄλλοις συχνοῖς. κατὰ τοῦτο μὲν δὴ τὸ μέρος, ὅπερ ἐξὶ πρῶτον καὶ [4] κυριώτερον ἐν λόγοις, λέγω δὲ, τὸ καθαρεύειν τὴν διάλεκτον, ἀθεὶς τῶν μεταγενεστέρων αὐτὸν ὑπερεβάλετο· ἀλλ' ἀδὲ μιμήσασθαι πολλοὶ δύναμιν ἔσχον, ὅτι μὴ μόνος Ισοκράτης. καθαρώτατος δὴ τῶν ἄλλων, μετά γε Λυσίαν, ἐν τοῖς ὀνόμασιν ἔτος ἔμοιγε δοκεῖ γενέσθαι ὁ ἀνήρ. μίαν [5] μὲν δὴ ταύτην ἀρετὴν ἀξίαν ζήλε καὶ μιμήσεως

4. κυριώτερον.] Lege κυριώτατον. et ita *Sylburg.* MARKLAND.

Non eſt repudianda lectio vulgata, quam et hic, et alibi tuentur omnes codices et editiones principes. Saepe enim diuerſa εἴδη (gradus) iunguntur. Sic Dionyſius ed. Sylburg. p. 94. 15. τὰ πρῶτα καὶ κυριώτερα. vbi male Sylburg. contra auctoritatem editionis Mediolanenſis, Hag. Alđ. 1. 2. Steph. 1. 2. Baſil. 1. 2. 3. et Wolf. ſcripſit κυριώτατα. p. 94. 42. καταστκελὴς καὶ βραδυτέρα. p. 94. 37. τὴν κοινὴν καὶ συνηθεστάτην. MATTHAEI.

Non obloquar viro literatiſſimo. Verum tamen tenendum hoc eſt, facillime potuiſſe in huiusmodi cauſis errores ſubrepere ex eo, quod librarii graeci conſuerunt terminationes comparatiuorum et ſuperlatiuorum eadem ſigla exprimere. vt ſaepiſſime cauſae dubitandi incidant grauiſſimae, et teſtimonia quamuis multarum editionum, quarum omnes poſteriores ex vna principe deriuatae ſunt, quocirca conſenſus earum omnium non poteſt niſi pro vnico ſuffragio haberi, contra neceſſitatem e natura rei et modo loquendi exiſtentem nil valeant.

5. μίαν.] id eſt πρώτην, quo pacto loqui amant Hebraei et N. F. Scriptores. Sequitur enim, ταύτην δευτέραν τὴν ἀρετὴν, et τρίτην ἀρετὴν ἀποφαίνομαι. TAYLOR.

σεως [6] εὑρίσκω παρὰ τῷ ῥήτορι· καὶ παρακελευσαίμην ἂν τοῖς βελομένοις καθαρῶς γράφειν, ἢ καὶ λέγειν, ἐκεῖνον τὸν ἄνδρα ποιεῖσθαι παράδειγμα ταύτης τῆς ἀρετῆς.

Ετέραν [7] δὲ, ἐὰν ἐλάττω ταύτης, ἣν πολλοὶ μὲν ἐζήλωσαν τῶν κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἀκμασάντων, οὐδεὶς δὲ βεβαιότερον ἐπεδείξατο. τίς δ' ἔστιν αὕτη; ἡ διὰ τῶν κυρίων τε καὶ κοινῶν καὶ ἐν μέσῳ κειμένων ὀνομάτων ἐκφέρουσα τὰ νοήματα. ἥκιστα [8] γὰρ ἄν τις εὕροι

Lysiam

6. ζήλε.] Lego ζήλε καὶ μιμήσεως, vel, ζήλε τε καὶ μιμήσεως, vt in Lib. de *Thucyd. Idiom.* ταῦτα ἄξια ζήλε τε καὶ μιμήσεως ἐφάνη. Sic *De Struct. Orat.* segm. XXVi. ζήλε καὶ σπουδῆς ἐπιτήδειον τυγχάνειν οἴομαι. MARKLAND.

7. ἑτέραν.] Scil. ἀρετὴν εὑρίσκω, quod praecessit, et repeti debet. Sine causa igitur *Sylburgius* inferere vult verbum ἀποφαίνομαι. MARKLAND.

De hiſce Curiis plurima plurimi: optime omnium *Demoſth. c. Ariſtocr.* et *Poll.* VIII. 10. Adiungant, quibus ea non ſatisfaciant *Pauſan. Attic.* c. 28. *Sigon. de Republica Athen.* III. 2. et *Meurſ. Areop.* cap. extr. vt de Lexicis taceam. Neque fuiſſem hic in propatulo moratus, ni magnis hominibus dubitationem vidiſſem iniectam de loco, vbi agebatur cauſa. Neque denuo aſſeram has Curias ita fuiſſe prouinciis diſtinctas, vt vel rerum neceſſitati vel diuturnitati temporis earum vſus non aliquando cederet. Lege *Demoſth. c. Boeot. Iſocr. Except. c. Callimach.* et *Valer. Max.* VIII. 1. Sed quis ille Apollo Delphinius, cedo, et vnde dictus? qui non ſolum Athenis huiusmodi aedis nactus eſt, de quibus vide *Plutarch.* in *Theſeo* et *Pauſan. in Attic.* verum etiam, vt conſtat ex σχ. in *Pind.* in honore fuit Aeginenſibus, et Menſi, Sacris et Ludis nomen dedit, atque apud Chalcedenſis itidem nactus eſt fanum ſui cognominis; cuius poſtea in communionem adſcitus T. Flaminius, vt liquet ex *Plutarch.* in vita.

Ο. δημος. Τιτῳ. καμ. Ηρακλει. το. γυμνασιον
Ο. δημος. Τιτῳ. καμ. Απολλωνι. το. δελφινιον.

Plane aliena ſunt et fabulam redolent, quae de eo Etymo habet idem *Plutarch.* in libro *de ſolertia Animalium:* quam licet hiſtoriam tangit *Homerus*, ſiue quis alius, in hymnis, atque aere adhuc ſeruant nummi Tarentinorum: Aliena item, quae σχ. *Lycophronis* 208. Apollo, credo, et Diana δελφικοὶ vel δελφίνιοι ideo dicti, quod erant *vterini*. Nam et Diana Δελφινία dicta. Τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ ἱδρύθη μὲν ὑπὸ τοῦ Αἰγέως, λέγεται δὲ Απόλλωνι Δελφινίῳ καὶ Αρτέμιδι Δελφινίᾳ. Poll. VIII. 10. Eamque coniecturam adiuuat locus *Laertii*

in

in *Thalete*. §. 29. Phiala enim a Collegio Sapientum renunciata et ad Thaletem reuersa, Ὁ δὲ τῷ διδυμαιῳ Ἀπόλλωνι ἀπέστειλεν, εἰπὼν ὅτω κατὰ τὸν Καλλίμαχον.

Θαλῆς με τῷ μεδεύοντι Νειλέω δήμε
Δίδωσι, τοῦτο δὶς λαβὼν ἀριστεῖον.

Τὸ δὲ πεζον οὕτως ἔχει. Θαλῆς Ἐξαμίου Μιλήσιος Ἀπόλλωνι Δελφινιῳ Ἑλλήνων ἀριστεῖον δὶς λαβών. Sed me nimium tenuit πολυώνυμος ille Deus, cuius Epitheta fortasse aeque ac Oracula tenebris delectantur suis. Iam meminisse oportet me in Auctore purissimo versari, dissimillimoque istius Dei antistiti, quae

ἄσπετον χέασα παμμιγῆ βοὴν
Δαφνηφάγων Φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὅπα
Σφιγγος κελαινῆς γῆρυν ἐκμιμουμένη.

Simplex, inquam, noster, et purissimus, nullibi tamen simplicior, quam vbi rem gestam narret. Cuiusmodi hic habes de vxore domum ducta, ad funus prodeunte, ab adultero denique in stupri consuetudinem inlecta. Ἐπ' ἐκφορὰν αὐτῆ ἀκολουθήσασα ἡ ἐμὴ γυνὴ ὑπὸ τούτῳ τοῦ ἀνθρώπε ἐφθεῖσα χρέων διαφθείρεται. p. 11. *Effertur. Imus. Funus procedit. Sequimur.* Terentius verbis quasi ritualibus. Sed neque *Plautus*, neque *Terentius* in palliatis suis tam seuere mores Graecorum seruant, quin aliquando immisceant domesticos. Nam Simo ille apud *Terentium*, vtut Romae *funus sequi* liceret, id tamen Athenis Atticis non potuit. Ita enim instituit Solo, vt videbis apud *Demosth. adu. Macart.* Τὸν ἀποθανόντα προτίθεσθαι εἴδον ὅπως ἂν βέλητα· ἐκφέρειν δὲ τὸν ἀποθανόντα τῇ ὑστεραίᾳ, ἢ ἂν προθῶνται, πρὶν ἥλιον ἐξέχειν, βαδίζειν δὲ τοὺς ἀνδρας προσθεν ὅταν ἐκφέρωνται, τας δε γυναικας οπισθεν. Quae verba leuiter sunt corrupta, cum legi debeat, τῇ ὑστεραίᾳ ἢ ᾗ ἂν προθῶνται, vt loqui semper obseruantur scriptores grauissimi atque Ἀττικώτατοι. e. g. *Plato* in *Sympos.* init. Τῇ ὑστεραίᾳ ἢ ᾗ τὰ ἐπινίκια ἔθυεν

ἕνεν αὐτός τε καὶ οἱ χορευταί. *Idem* in *Apolog. Socrat.* Τῇ γάρ πε ὑστεραίᾳ δεῖ με ἀποθνήσκειν ἢ ἧ ἂν ἔλθοι τὸ πλοῖον. Sed prius quam manum de tabula, occasione hinc quoque arrepta, more eorum, qui vna fidelia duos parietes dealbant, emendamus etiam *Varronem* de *vit. P. R.* l. 3. apud *Nonium Marcellum. Propinquae adolescentulae etiam Anthracinis: Proximae amiculo nigello, capillo demisso sequerentur* luctum. Ain' vero, luctum? Immo *lectum*, si quidquam sit, quod credam aut certo sciam: lectum sc. in quo efferretur. Ego interea ad cetera pergam, vbi lectorem semel admonuero plurima ex hac oratione erui posse, quae ad domesticas Athenienſium rationes expediendas, atque ad communia vitae officia elucidanda pertinere possunt: Cuiusmodi sunt p. 20. sqq. de habitandi ratione, de cerussa feminarum, de obsonatorum ministeriis, de pistrini denique poena apud Antiquos, quam seruis nequam minitari solent in Comoedia: Ancillis maxime. *Ter. Adelph.* v. 3. 60.

Atque ibi faullae plena fumi ac pollinis
Coquendo fit faxo et molendo.

Namque vbi dicitur, *Exod.* XI. 5. *Morietur omne primogenitum in terra Aegypti, a primogenito Pharaonis, qui sedet in solio suo, ad primogenitum Ancillae, quae est in Carcere*, Hebraei habent אחר הרחים post molam. Eadem poena hodie quoque mulctari infrugi mulieres apud Francofurtenſis narrat *Burnettus* in Itinerario.

CAP. II.

Plures Lysiae Codd. MSS. Plagiarii antiqui. Emendatus Theo *et* Athenaeus.

Inter nitidissimi Scriptoris orationes ea maxime placuisse iudicatur, quae in nostra Editione, vti et in *Aldina* pariter, legitur secunda: a p. 49. ad 130. Si-

quidem eam vnice descriptam, quasi ceteris omnibus praelatam et lectitatam frequentius hodie seruant Bibliothecae quam plurimae. Ex MS. Cod. *Vaticano*, itidemque alio *S. Marci Venetiis* nonnulla huius orationis in melius restituit *Muretus Var. Lect.* XVII. 11. Praeter compluſculos *Lyſiae* Codd. MSS. quibus instructa est Bibliotheca *Laurentiana*, quae est Florentiae, Plutei IV. Cod. XXIV. hanc orationem continet, vti ex literis humaniſſimi *Bern. Montefalconii* V. C. ad me datis atque ex *Langii* Dani catalogo impresso intellexi. Habetur quoque in Biblioth. *Coislin.* Cod. CCXLVI. aetate et auctoritate venerabili: itemque in Cod. alio *D. de Mesmes* in Senatus Parisiensis Curia Principis: in Cod. *Barocc.* Oxoniis: *Perizonii*, *Lugd. Batauorum*, in bibliotheca denique *Augustana*, praeter eos Codices, quos nacti sunt illius Orationis *H. Stephanus*, *Fr. Philelphus*, aliique, atque demum exemplaria, quibuscum conferuntur libri duo in bibliothecis nostris Cantabrigiensibus. *Venustissima* certe oratio, et *pulcherrima*, siquid habeant Recentiorum testimonia, *Victorii* sc. et *Mureti*, auctoritatis. Grauissimum certe Scriptoris studiis et aetate pene aemuli iudicium, *Isocratis*, qui ex hoc fonte in Panegyricam suam copiosissimos riuulos deduxit. Εὕρεις δ' ἂν καὶ παρὰ Ισοκράτει ἐν τῷ Πανηγυρικῷ τὰ ἐν τῷ Λυσίου Επιταφίῳ καὶ τῷ Ολυμπικῷ (vel melius fortasse Ολυμπιακῷ) Theo, c. 1. Add. *Plutarch.* in *Isocrate*, *Philostratum* et *Photium*, et quae de ea re acutissime notauit ad auctorem nostrum eruditissimus *Markландus*, praerepta mihi omni occasione dicendi. Veterum certe minor fuit in hac parte religio; nam eadem animi constantia, qua ex Nostro *Isocrates*, ex *Isocratis* vicissim oratione *Panathenaica* plurima in sua oratione ὁμωνύμῳ expressit *Aristides*. Vitas X Oratorum ita *descripsere* vterque et *Photius*, et *Plutarchus*, vt alterum ab altero *exscripsisse* fatearis.

Vnus

Vnus eſt liber eiusdem *Plutarchi de placitis Philoſophorum* et *Galeni*, qui inſcribitur *Hiſtoria Philoſophica.* Ita *Philiſtus* (ſi *Theoni* fides l. c. nam intercidit auctor) τὸν Ἀττικὸν ὅλον πόλεμον ἐν τοῖς Σικελικοῖς ἐκ τῶν Θȣκυδίδȣ μετενήνοχε. *Menander*, teſte *Caecilio* apud *Porphyr. de erudito auditu*, ὅλον δρᾶμα ἐξ ἀρχῆς εἰς τέλος, (quod ſane mireris) Ἀντιφάνους τὸν Οἰωνιςὴν μετέγραψεν εἰς τὸν Δεισιδαίμονα. Et ſi quis *Plutarchum* in *Craſſo* cum *Appiani Parthicis* (qui hodie exſtant vterque) conferre velit, totum locum de *Ariſtidis* Mileſiacis, ſpurciſſimi ſcriptoris opere improbando, hunc ab illo vix literula vna immutata inueniet mutuo ſumpſiſſe. In forenſibus ſane Auctoribus nonnullae erant quaſi *voces legitimae* et dicendi formulae ſolenniores, in quibus a ſe inuicem diſcrepare vix poterant, etiamſi id operam dediſſent ſedulam: Δέομαι — μετ' εὐνοίας ἀκοῦσαι — ποιήσομαι ὡς ἂν δύνωμαι διὰ βραχυτάτων τȣ̀ς λόγȣς. ὅθεν ῥᾷςα μαθήσεσθε — πειράσομαι διδάσκειν. Demoſth. *c. Aphob.* 1. Ita Noſter *pro Mantitheo.* p. 576. 9. Δέομαι οὖν ὑμῶν, μετ' εὐνοίας ἀκροάσασθαί μου. ποιήσομαι δὲ τὴν ἀπολογίαν, ὡς ἂν δύνωμαι διὰ βραχυτάτων; et *c. Eratoſthenem.* p. 384. 7. ὅμως δὲ πειράσομαι ὑμᾶς ἐξ ἀρχῆς, ὡς ἂν δύνωμαι δι' ἐλαχίςων διδάξαι. Et ſimiliter, ineunte oratione *c. Agoratum.* p. 449. 7. Ὅθεν ȣ̃ν ἡμεῖς τε ῥᾷςα διδάξομεν, καὶ ὑμεῖς μαθήσεσθε, ἐντεῦθεν ὑμῖν ἄρξομαι διηγεῖσθαι. Vix tamen arbitror ita excuſanda eſſe, quae habet *Lyſias de Ariſtophanis bonis*, init. paria, immo omnino eadem, quae ante eum ſcripſit *Andocides de Myſteriis.* Vtrumque locum exſcribam, cum res ſit inluſtrior. Neſcio tamen, vtrum actum agam necne: neque enim *Thomaſium de plagio literario* mihi ſerio id expetenti adhuc oculis vſurpare contigit, qui mihi fortaſſe tota hac diſſertatione ſuperſedere potuiſſet. Αἰτȣ̃μαι οὖν ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες, εὔνοιαν πλείω παρασχέ-

ρασχέσθαι ἐμοὶ τῷ ἀπολογουμένῳ ἢ τοῖς κατηγόροις· εἰδότας, ὅτι κἂν ἐξίσω ἀκροᾶσθε, ἀνάγκη τὸν ἀπολογούμενον ἔλαττον ἔχειν. οἱ μὲν γὰρ ἐκ πολλοῦ χρόνου ἐπιβουλεύσαντες καὶ συνθέντες, αὐτοὶ ἄνευ κινδύνων ὄντες τὴν κατηγορίαν ἐποιήσαντο· ἐγὼ δὲ μετὰ δέους καὶ κινδύνου καὶ διαβολῆς τῆς μεγίστης τὴν ἀπολογίαν ποιοῦμαι. εἰκὸς ἂν ὑμᾶς ἔχειν εὔνοιαν πλείω παρασχέσθαι ἐμοὶ ἢ τοῖς κατηγόροις. ἔτι δὲ καὶ δεινὰ κατηγορήσαντες παραχρῆμα ἐξηλέγχθησαν ψευδόμενοι ὥστε ὑμᾶς πολὺ ἂν ἥδιον δίκην λαβεῖν παρὰ τῶν κατηγόρων, ἢ παρὰ τῶν κατηγορουμένων. οἱ δὲ αὖ μαρτυρήσαντες τὰ ψευδῆ, ἀδίκως ἀνθρώπους ἀπολέσαντες, ἐάλωσαν παρ' ὑμῖν ψευδομαρτυριῶντες, ἡνίκ' ἤδη ἦν πλέον τοῖς πεπονθόσιν. ὁπότ' ἂν ἤδη πολλὰ τοιαῦτα γεγένηται, εἰκὸς ὑμᾶς ἔτι μήπω τὰς τῶν κατηγόρων λόγους πιστοὺς ἡγεῖσθαι. Andocides. Λιτήσομαι ἂν ὑμᾶς δίκαια καὶ ῥᾴδια χαρίσασθαι, ἄνευ ὀργῆς καὶ ἡμῶν ἀκοῦσαι, ὥσπερ τῶν κατηγόρων. ἀνάγκη γὰρ τὸν ἀπολογούμενον, κἂν ἐξίσω ἀκροᾶσθε, ἔλαττον ἔχειν. οἱ μὲν γὰρ ἐκ πολλοῦ χρόνου ἐπιβουλεύοντες, αὐτοὶ ἄνευ κινδύνων ὄντες, τὴν κατηγορίαν ἐποιήσαντο· ἡμεῖς δὲ ἀγωνιζόμεθα μετὰ δέους καὶ διαβολῆς καὶ κινδύνου μεγίστου. εἰκὸς ἔν ὑμᾶς εὔνοιαν πλείω ἔχειν τοῖς ἀπολογουμένοις. οἶμαι γὰρ πάντας ὑμᾶς εἰδέναι, ὅτι πολλοὶ ἤδη πολλὰ καὶ δεινὰ κατηγορήσαντες παραχρῆμα ἐξηλέγχθησαν ψευδόμενοι ὥστε ὑπὲρ πάντων τῶν πεπραγμένων, μισηθέντες ἀπελθεῖν· οἱ δ' αὖ μαρτυρήσαντες τὰ ψευδῆ, καὶ ἀδίκως ἀπολέσαντες ἀνθρώπους ἑάλωσαν, ἡνίκα ἐδὲν ἦν πλέον τοῖς πεπονθόσιν. ὅτ' ἔν τοιαῦτα πολλὰ γεγένηται, ὡς ἐγὼ ἀκούω, εἰκὸς ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες δικασταί, μήπω τὰς τῶν κατηγόρων λόγους ἡγεῖσθαι πιστούς, πρὶν ἂν καὶ ἡμεῖς εἴπωμεν. Lysias. p. 614. 10. Si ex Foro in Scenam transeas, eadem pene rerum facies, et egregia ingeniorum paritas. *Athen.* l. 1. p. m. 13. Παλαιὸν μὲν

μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων Πίνδαρος ἐπαινεῖ. Εὔβυλος δὲ φησὶ

Ἄτοπόν γε τὸν μὲν οἶνον εὐδοκιμεῖν ἀεὶ
Παρὰ ταῖς ἑταίραις τὸν παλαιὸν, ἄνδρα δὲ
Μὴ τὸν παλαιὸν, ἀλλὰ τὸν νεώτερον.

τὸ αὐτὸ δὲ καὶ Αλεξις σχεδὸν ἀπαραλλάκτως, τῇ σφόδρα μόνῃ κειμένῃ ἀντὶ τῇ αει. Idem l. 3. p. m. 42. Ἀντιφάνης μὲν ἐν Βοιωτίᾳ

Α. Καὶ περὶ μὲν ὄψῳ γ' ἠλίθιον τὸ καὶ λέγειν
Ὥσπερ πρὸς ἁπλήστους· ἀλλὰ ταὐτὶ λάμβανε
Πάρθενε τὰ μῆλα. Β. Καλά γε. Α. Καλὰ δῆτ' ὦ θεοί.
Νεωστὶ γὰρ τὸ σπέρμα τοῦτ' ἀφιγμένον
Εἰς τὰς Ἀθήνας ἐστὶ παρὰ τοῦ βασιλέως.
Β. Παρ' Ἑσπερίδων ὦμην γε νὴ τὸν ΦωσΦόρον.
Φασὶν τὰ χρυσᾶ μῆλα ταῦτ' εἶναι τρία
Μόν'. Α. Ἐστιν ὀλίγον τὸ καλὸν, ἔστι πανταχῇ
Καὶ τίμιον.

Ἐριφος δ' ἐν Μελιβοίᾳ αὐτὰ ταῦτα τὰ ἰαμβεῖα προσθεὶς ὡς ἴδια, τὰ τῇ Ἀντιφάνει ἐπιφέρει

Παρ' Ἑσπερίδων ὦμην γε νὴ τὴν Ἀρτεμιν
Φασὶν τὰ χρυσᾶ μῆλα ταῦτ' εἶναι τρία
Μόν'. Β. Ἐστιν ὀλίγον τὸ καλὸν, ἔστι πανταχῇ
Καὶ τίμιον· τούτων μὲν ὀβολὸν ἐ πολὺ
Τίθημι, λογιοῦμαι γὰρ — et quae ſequuntur.

Vbi nimirum voces τὰ τῇ Ἀντιφάνει credo olim margini a lectore quodam fuiſſe adlitas e regione *Antiphanis* lamborum, quos *Eriphus* ſuae fabulae inſeruit. Quid enim in textu *Athenaei* potuere, nondum video. Pari paſſu ambulant *Aeſchylus* apud *Athen.* l. 1. p. m. 9.

Οὗ ἐστὶν ὅς ποτ' ἀμφ' ἐμοὶ βέλος
Γελωτοποιὸν, τὴν κάκοσμον ἐράνην
Ἐρρίψεν ἐδ' ἥμαρτε· περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ
Πληγεῖσ' ἐναυάγησεν ὀστρακουμένη
Χωρὶς μυρηρῶν τευχέων πνέουσ' ἐμοί.

et *Sophocles* ibid.

Ἀλλ' ἀμφὶ θυμῷ τὴν κάκοσμον οὐράνην
Ἔῤῥιψεν οὐδ' ἥμαρτε· περὶ δ' ἐμῷ κάρα
Κατάγνυται τὸ τεῦχος οὐ μύρου πνέον.

Eadem porro ratione *Theophilus* in *Neoptolemo:*

Οὐ συμφέρον νέα ἐςὶ πρεσβύτῃ γυνή.
Ὥσπερ γὰρ ἄκατος οὐδὲ μικρὸν πείθεται
Ἐνὶ πηδαλίῳ, τὸ πεῖσμ' ἀποῤῥήξασα δὲ
Ἐκ νυκτὸς ἕτερον λιμέν' ἔχουσ' ἐξευρέθη.

quae iisdem pene verbis ante cum *Theognis.*

Οὔτοι συμφέρον ἐςὶ γυνὴ νέα ἀνδρὶ γέροντι·
Οὐ γὰρ πηδαλίῳ πείθεται ὡς ἄκατος,
Οὐδ' ἄγκυραν ἔχουσιν· ἀποῤῥήξασα δὲ δεσμὰ
Πολλάκις ἐκ νυκτῶν ἄλλον ἔχει λιμένα.

Pro συμφέρον legit χρήσιμον *Clemens Alexandrinus* Strom. l. 6. quem librum, vti et *Euseb. Praeparat. Euang.*. l. 10. adeat, qui τὸ εὐεπίφορον εἰς κλοπὴν τῶν Ἑλλήνων penitius inspicere velit. Plena est eorum messis: ego spicas tantum colligo. Ex Antiquis etiam olim de furto literario scripsere ALCAEVS de *Ephori* furtis; non quidem ad normam historiae conscribendae, sed per paroediam. ARETADES, cuius opus laudatur a *Porphyr.* apud *Eusebium Praep. Euangel.* l. 10. περὶ συνεμπτώσεως siue de fortuita Auctorum conuenienta. ARISTOPHANES Grammaticus ἐν ταῖς παραλλήλοιν Μενάνδρου τε καὶ ἀφ' ὧν ἔκλεψεν ἐκλογαῖς. LATINVS (vel iuxta quosdam Cratinus) in libris IV περὶ τῶν οὐκ ἰδίων Μενάνδρου. LYSIMACHVS in libris II περὶ τῆς Ἐφόρου κλοπῆς. PHILOSTRATVS Alexandrinus περὶ τῆς τοῦ Σοφοκλέους κλοπῆς. POLLIO, qui librum de *Herodoti* furto conscripsit, itemque Epistolam ad Soterindam de *Ctesiae* plagiis, et libri, cui nomen inditum est Ἰχνευταὶ, vbi de *Theopompo* multa leguntur.

CAP.

CAP. III.

Orationes Funebres Antiquorum, sc. PLATONIS, PERICLIS, LYSIAE, HYPERIDIS, ISOCRATIS, DEMOSTHENIS, *et* ARCHINI. *Emendantur* Gellius, Suidas *non semel, et* Dionysius Halicarnassensis: *locus porro* Aristotelis *vindicatur contra παραδιορθωτὰς quosdam.* Isocrates *iunior orationem funebrem habuit.* Νοθεύεται *oratio funebris* Demosthenis. *Emendatur non vno in loco. Ordo Tribuum Atheniensium. Emendatur* Menander *Rhetor. Elegans Marmor in Museo Carpineo. Inusitatae Latinitatis exempla.* Rapsata. Propugnatricem periculorum. Aristides *insigni medela mactus.*

Adhuc in ferali hoc argumento moramur, et Antiquorum luctui, si Lectori non ingratum fore videbitur, destinauimus schedas quoque proximas. Eorum ex epitaphiis sermonibus aetatem maximam tulerunt PLATONIS *Menexenus*, PERICLIS orario, quam immortalitati consecrauit *Thucydides* l. 2. LYSIAE et HYPERIDIS. Ἔχομεν (ait Auctor ex recentioribus) Πλάτωνος καὶ Θουκυδίδε, καὶ Ὑπερίδου καὶ Λυσίε τὲς ἐπιταφίες. Theo c. 2. Sola ex his ad nos non περιῆλθεν *Hyperidis*, quam laudant *Diodor. Sic.* l. 18. *Plutarch.* in *vit. Dionys. Halic.* in *arte* c. 6. *Longinus* §. 34. *Harpocrat.* in Πύλαι, ceterique. Eius fragmentum pulcherrimum conseruauit *Stobaeus*, quod hic repraesentauimus. Χαλεπὸν μὲν ἴσως ἐςὶ τὲς ἐν τοῖς τοιέτοις ὄντας πάθεσι παραμυθεῖσθαι· τὰ γὰρ πένθη ἔτε λόγῳ ἔτε νόμῳ κοιμίζεται· ἀλλ' ἡ Φύσις ἑκάςε καὶ Φιλία πρὸς τὸν τελευτήσαντα ὁρισμὸν ἔχει τῦ λυπεῖσθαι. ὅμως δὲ χρὴ θαῤῥεῖν, καὶ τῆς λύπης παραινεῖν εἰς τὸ ἐνδεχόμενον· καὶ μεμνῆσθαι μὴ μόνον τῦ θανάτε τῶν τετελευτηκότων, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀρετῆς, ἧς καταλελοίπασιν. ἐ γὰρ θρήνων ἄξια πεπόνθασιν,

σιν, ἀλλ' ἐπαίνων μεγάλων πεποιήκασιν. εἰ δὲ γήρως θνητῷ μὴ μετέσχον, ἀλλ' εὐδοξίαν ἀκήρατον εἰλήφασιν, εὐδαίμονές τε γεγόνασι κατὰ πάντα. ὅσοι μὲν γὰρ αὐτῶν ἄπαιδες τετελευτήκασι, οἱ παρὰ τῶν Ἑλλήνων ἔπαινοι παῖδες αὐτῶν ἀθάνατοι ἔσονται· ὅσοι δὲ παῖδας καταλελοίπασιν, ἡ τῆς πατρίδος εὔνοια ἐπίτροπος αὐτοῖς τῶν παίδων καταστήσεται. πρὸς δὲ τούτοις, εἰ μέν ἐστι τὸ ἀποθανεῖν ὅμοιον τῷ μὴ γενέσθαι, ἀπηλλαγμένοι εἰσὶ νόσων καὶ λύπης, καὶ τῶν ἄλλων τῶν προσπιπτόντων εἰς τὸν ἀνθρώπινον βίον. εἰ δ' ἔστιν αἴσθησις ἐν ἅδῃ καὶ ἐπιμέλεια παρὰ τῷ δαιμονίῳ, ὥσπερ ὑπολαμβάνομεν, εἰη τὰς ταῖς τιμαῖς τῶν θεῶν καταλυομένας βοηθήσαντας πλείστης εὐδαιμονίας ὑπὸ τοῦ δαιμονίου τυγχάνειν. Sermo CXXIII. Quoniam autem de ISOCRATIS funebri oratione nonnulla ab Antiquis memoriae prodantur; atque etiamnum exstet, quae DEMOSTHENI a quibusdam attribuitur, de iis nonnulla, sed breuiter et succincte. *Isocratem* ἐν Ἐπιταφίῳ (ita enim, non Σωκράτην, quibusdam legere placet magis) laudat *Aristoteles Rhetor.* I. 9. et III. 14. Quae si valeat coniectura, intelligendus est *Aristoteles* de oratione, quam in funere Mausoli Cariae regis habuit *Isocrates*, confirmante *Gellio*, X. 18. *Id monumentum Artemisia quum Diis Manibus Mausoli dicaret, ἀγῶνα laudibus eius dicendis facit, ponitque praemia pecuniae aliarumque rerum bonarum amplissima. Ad eas laudis decertandas veniisse dicuntur viri nobiles ingenio atque lingua praestabili, Theopompus, Theodectes, Naucrites* (rescribe Naucrates.) Sunt etiam, qui Isocratem ipsum cum iis certauisse memoriae mandauerint, *sed eo certamine vicisse Theopompum iudicatum est.* Adiungendus quoque *Plutarchus* in *Isocrate.* Ἠγωνίσατο δὲ καὶ τὸν ἐπὶ Μαυσώλῳ τεθέντα ὑπὸ Ἀρτεμισίας ἀγῶνα· τὸ δὲ ἐγκώμιον ἐσώζεται. Sunt haec tamen omnia dubiae fidei, praesertim cum *Gellius* (*Plutarchi* enim auctoritatem

tatem non moror) tam timide de ea re ſcripſerit. Accedit, quod vox Σωκράτης in loco *Ariſtotelis*, non Ισοκράτης, retinenda eſt. Verba enim, quae ibi philoſophus adducit, ſunt *Socratis*, ſiue *Platonis*, in *Menexeno*. *Suidas* porro, aliquando vtiliſſimus Auctor, iuniori cuidam *Iſocrati* Apolloniati eam orationem adſignat, quam *Gellius* memorat. Οὗτος δὲ Ισοκράτης καὶ Θεοδέκτῳ (lege Θεοδέκτη) τῷ ῥήτορι καὶ τραγῳδιοποιῷ καὶ Θεοπόμπῳ τῷ Χίῳ ἅμα τῷ Ερυθραίῳ Ναυκρατίτῃ (vel potius Ναυκράτῃ, vt alibi recte) διηγωνίσατο περὶ λόγων εἰς τὸν Επιτάφιον Μαυσώλε τῦ Καρὸς, βασιλέως Αλικαρνασσῦ. Confer eundem in v. Θεοδέκτης. Dionyſius denique Halicarnaſſenſis, qui *Art. Rhetor.* c. 6. *Thucydidem*, *Platonem*, *Lyſiam*, *Hyperidem*, *Demoſthenem*, adeoque ipſum *Naucratem Iſocratis* diſcipulum, (ita enim legerem καὶ ὁ τῦ Ισοκράτες, non Σωκράτες, ἑταῖρος Ναυκράτης, Vid. *Cic.* 1. *de Orat.* 23. 244. *Orat.* 51.) auctores funebrium Orationum recenſet, vix, credo, *Iſocratem* praetermiſiſſet, ſi aliqua de ea re conſtans valuiſſet opinio. Si deſit quod addam, credibilius eſt longe, quaternos *Iſocratis* diſcipulos (nam ex eodem ludo ſiue officina dicendi exierunt *Theopompus*, *Theodectes*, *Naucrates* et *Iſocrates* Apolloniates) inter ſe ingenii et eloquentiae laudibus concertaſſe, quam conſummatiſſimum Magiſtrum, qui vocis auctoritate et *forenſi luce* ſemper fere *caruiſſe* dicitur, ad puerilem pene aemulationem deſcendiſſe cum iis, quos ipſe informauerat. Eam in *Iſocrate* dicendi infrequentiam teſtatur *Cicero*, cuius pene verbis vtor, et *Photius* Cod. CCLX. Οὗτος [*Iſocrates*] πρὸς τὸν διαπυνθανόμενον διὰ τί μὴ δυνατος ὢν δημηγορειν ἄλλες ποιεῖ δημηγόρες, ὅτι καὶ αἱ ἀκόναι, ἔφη, αὐταὶ μὲν τέμνειν ὐ δύνανται, τὸν δὲ σίδηρον τμητικὸν ποιῦσι. *Porphyrius* tamen apud *Euſebium Praepar. Euangel.* l. 10. ſcribit ſolitum fuiſſe gloriari *Theo-*

pompum, praeceptorem a se superari. Mitto *Isocratis ἐπιτάφιον λόγον*, quem in honorem Euagorae habuit, cum non sit publici instituti, neque ex eo genere laudationum Graecarum, quas in hoc loco pertractari velim, eademque de causa, quem in honorem Hermiae composuit *Aristoteles*, vt liquet ex *Athenaeo* l. 15. Conscripsisse orationem funebrem in eos, qui ad Chaeroneam in proelio ceciderunt DEMOSTHENEM *τὸν πάνυ*, et ex *Plutarcho* liquet, et ex *Demosthenis* etiam ipsius auctoritate abunde confirmatur. Intercidit vero, neque ea, quae in Editis *Demosthenis* orationibus locum XXII dum occupat, tanto nomini temere est adscribenda. Eam confodit olim *Dionysius Halicarnassensis*, *Libanius* et *Photius*, ceterique iudices acutissimi: *Φορτικὸς καὶ κενὸς καὶ παιδαριώδης Ἐπιτάφιος* Dionysio dicitur, qui meam fidem non aegre impetrabit. Verum ne auctoritate magis duci, quam veris vinci videamur, excitemus ex suis latebris Sophistam,

Namque hoc inclusi ligni occultantur Achiui.

In orationis aditu, vix rota currente, *Ομοίως μέντοι διαλεχθηναι τοῖς πρότερόν ποτε εἰρηκόσιν ἐνθάδ' εἶναι μοι δοκεῖ.* Itane? *Δοκεῖ μοι εἶναι διαλεχθῆναι.* Sed ne me nimis inclementem dixeris, aut eas poenas ab Auctore petere, quas Librarius debeat, locum ita emendari posse concedam. *Ομοίως μέντοι διαλεχθῆναι τοῖς πρότερόν ποτε εἰρηκόσιν ἐνθάδε δεῖν ἐμοὶ δοκεῖ.* Sequitur autem, *Μόνοι γὰρ πάντων ἀνθρώπων ἐξ ἧσπερ ἔφυσαν ταύτην* (l. *ταυτὴν*) *ᾤκησαν, καὶ τοῖς ἐξ αὐτῶν παρέδωκαν. ὥστε δικαίως ἄν τις ὑπολάβοι τὰς μὲν εἰς τὰς ἐπηλύδας ἐλθόντας πόλεις, καὶ τούτων πολίτας προσαγορευομένους ὁμοίως εἶναι τοῖς εἰσποιητοῖς τῶν παίδων· τούτους δὲ γνησίως γόνῳ τῆς πατρίδος πολίτας εἶναι.* Scitum est istud *ἐπήλυδας πόλεις*, vix Tyrone in literis Graecis, nedum *Demosthene* dignum. *Hesych. Ἐπήλυδας, νεωστὶ ἐλθόντας ἐξ ἑτέρας γῆς, ἐπιλεκτὰς,*

ἢ ἐκ

ἢ ἐκ Ἰθαγενῶς. Recte sane, neque enim Ciuitates, in quas migramus, verum nos, qui commigramus ipsi, iure Ἐπήλυδες vocamur. Porro autem non leuiter contra historiam suae gentis peccat. Ἐρεχθέα ἕνεκα τοῦ σῶσαι τὴν χώραν, τὰς αὑτοῦ παῖδας, ἃς υακινθίδας καλουσιν, εἰς πρόπτον θάνατον δόντα ἀναλῶσαι. Si ocium esset, quaererem, quid dixerit, qui dixit ἀναλωσαι θυγατέρας, verum cum illud non habeam nimium, moneo tantum cespitauisse bonum hominem, qui duas historias ridicule contaminauerit, neque enim Hyacinthidas vocari Erechthei, sed *Hyacinthi* Lacedaemonii filias, qui ob simile factum cum Erechtheo nobilitatur. Sequitur: Ἐμέμνητο Ἀκαμαντίδαι τῶν ἐπῶν, ἐν οἷς Ὁμηρος ἕνεκα της μητρος Φησιν Αἴθρας Ἀκάμαντα εἰς Τροίαν πέλαι. Id quod *Homerus* saltua historia meminisse non potuit. Aethra enim Thesei erat mater, Acamantis autem *auia*. Noster tamen, ne oscitantia sua lectorem lateret, iterum ἀνισορησίαν inculcat: Ὁ μὲν ἓν παντὸς ἐπειρᾶτο κινδύνου. τοῦ σῶσαι την ἑαυτου μητερα ἕνεκα. *Homerus* interea de Acamante, nedum de hoc facto, ne vnum quidem verbum. Quin et vero simillimum est Aethram ipsam Troiae non fuisse. Istum enim εἶχον *Iliad.* γ. 144.

Αἴθρην Πιτθῆος θύγατρα, Κλυμένην τε βοῶπιν,

obelo notauerunt olim, vt videre est apud *Plutarch.* in *Theseo:* et *Eustathius* versum, si genuinus esset, de Aethra Thesei matre dici posse negat. In *Tribuum* recensione, quae orationem claudit, indistincte καὶ ὡς ἔτυχε, facta, indicia sunt maxima nugacissimi Imitatoris. Nescivit ille Athenienſium fuisse morem, vt Tribuum nomina vno et perpetuo ordine citarent. Eum ordinem, contra ac noster simius, conseruarunt Antiqui. Ex *Polluce* sic se habet, VIII. 9.

Ερεχθεις.	Αντιοχις.
Κεκροπις.	Λεοντις.

Αιγεις.

Αιγηις.	Οινηις.
Πανδιονις.	Ιπποθοωντις.
Λαχμαντις.	Αιαντις.

In bello eadem fuit τάξις, vt credibile eſt ex his locis *Herodoti* et *Plutarchi* inter ſe collatis. Τῶ μὲν δεξιῶ κέρεος ἡγέετο ὁ πολέμαρχος Καλλίμαχος· ὁ γὰρ νόμος εἶχε ἔτω τοῖσι Αθηναίοισι, τὸν πολέμαρχον ἔχειν κέρας τὸ δεξιόν· ἡγεμένε δὲ τύτε, ἐξεδέκοντο ὡς ἀριθμεονται αἱ Φυλαι, ἐχόμεναι ἀλλήλων. Herodot. *Erat.* III. Iam quid velit ὡς ἀριθμεονται, ni certam habuiſſent domi et *legitimam* quaſi ſeriem Tribuum numerandarum? Πλεῖσον χρόνον ἀντερεισάντων κατὰ Λεοντίδα καὶ Αντιοχίδα Φυλὴν ἠγωνίσαντο λαμπρῶς τεταγμένοι παρ᾽ ἀλλήλους ὅ, τε Θεμιστοκλῆς καὶ ὁ Αριστείδης· ὁ μὲν γὰρ Λεοντίδης ἦν, ὁ δ᾽ Αντιοχίδης. Plutarch. in *Ariſtide.* Multa praeterea contra puritatem Atticam dicta, multa inuenuſte oppoſita prudens omitto. Et quanquam inſit numerorum quidam flexus, qui auris percellit, quanquam ſuis locis tota oratio non inconcinne ſit inſtructa, id quod elaborare maxime ſoleant Sophiſtarum filii, ille tamen

Demens, qui nimbos et non imitabile fulmen,

Fuit ARCHINVS quidam Athenienſis, qui λόγον ἐπιτάφιον ſcripſit, teſte *Platone* in *Menexeno*, atque etiam *Photio* Cod. CCLX. Τάχα δ᾽ ἄν τις καὶ αὐτὸν [Iſocratem] αἰτιάσαιτο κλοπῆς, ἐξ ὧν ἐν τῷ πανηγυρικῷ λόγῳ αὐτῦ πολλὰ τῶν κατὰ τὺς ἐπιταφίυς λόγυς εἰρημένων Αρχίνῳ τε καὶ Θουκυδίδη καὶ Λυσίᾳ ὑπεβάλετο. Iam ſi harum Orationum originem quaeras, ab initio fere Reip. Athenienſis *morem* inualuiſſe video, vt *in concione, populari oratione eos laudarent, qui in proelio ſint interfecti*, eamque laudandi conſuetudinem ita *probari, vt quotannis illa die recitari* orationem *neceſſe* fuerit. *Cic.* I. *de Orat.* Adiunge *Menandrum* Rhetorem,

περὶ

περὶ Ἐπιταφίε. Λέγεται παρ' Ἀθηναίοις Ἐπιτάφιος, ὁ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐπὶ τοῖς πεπτωκόσιν ἐν τοῖς πολέμοις λεγόμενος λόγος. Pergit, Οὗς γὰρ ἂν εἶπεν ὁ Πολέμαρχος, ἐπειδὴ καὶ τέτο (l. τέτῳ) τὸ τῆς τιμῆς ἀποδίδοται παρ' Ἀθηναίοις. Vtrum genus illud dicendi ab Aegyptiis profectum sit necne, qui ad ciuilem Graecorum vitam excolendam plurimum contulere (ex Aegyptiis certe arcessitum memorat *Diodorus Siculus*, l. 1.) illud nondum pro comperto habeo; ex omni tamen Graecia Athenis fere solis constitit, et a quibusdam scriptoribus istius populi quodammodo inuentum esse perhibetur. Μονοι δ' απαντων ανθρωπων τρία ταῦτ' ἐνομίσατε· τῶν μὲν ὑπὲρ τῆς πόλεως τελευτησάντων, αὐτῶν μὲν ἐπαίνες ἐπὶ ταῖς ταφαῖς καθ' ἕκαστον ἔτος λέγεν, et quae sequuntur. *Aristid.* Atque haec fuit, ὡς ἐν παρόδῳ, emortualium Orationum apud Athenienses facies. Ad Romanos deinde ritus ille propagatus et domesticis etiam laudationibus subinde adauctus in tantum accreuit, vt conquerantur *Liu.* VIII. 40. et *Cic. de Cl. Orat.* 16. *istiusmodi laudationibus historiam* Romanam *mendosiorem esse factam.* Honos ille defunctos quoscunque, si modo genere vel dignitate illustriores fuissent, pro rostris ornandi ad coniunctissimum fere semper deferebatur, licet scribat *Quintilianus pendere frequenter ex publico aliquo officio atque ex S. C. Magistratibus saepe mandari.* Vtrumque fortasse verum, vt publicam personam, Consulem puta aut Praetorem, Magistratus: priuatam genere coniunctissimus solenni oratione *produceret.* Ita Brutum, qui I mus Consulatum gessit, laudauit Collega Valerius Publicola, vt fusius in sequentibus: Publius Decius Fil. qui primo Consul de Samnitibus triumphauit, IIII Cos. a Collega Fabio Maximo laudabatur. *Aurel. Vict.* c. 27. *Liu.* X. 29. Filium suum laudauit Fabius Maximus. *Plutarch. Cic. de Senect.* c. 4. Faustum filium Sylla.

Sylla. *Appian. B. Ciuil.* I. Metellum patrem Q. Metellus. *Plin.* VII. 43. Allato in forum corpore Appii, non Xviri, sed alterius, adiens filius Coss. et Tribunum postulauit congregari sibi legitimam concionem, vt *more Romano* de patre orationem haberet. ex *Liu.* l. 2. et *Dion. Halic.* l. 9. Octauius Drusum nepotem *Sueton.* in *Claud.* c. 1. Marcellum itidem, si fides sit *Seruio* ad 1. *Aen.* 716. Alios alii, de quibus nunc dicendi neque tempus esse video, neque, si tempus superesset, a me, vt dicatur, exspectari. In Municipiis nemo fere publico funere efferebatur sine laudatione. v. Gruter. 321. 10. 343. 3. et 466. 9.

Primus apud Romanos mortuo Collega Bruto, supremas eius laudes oratione prosecutus est Publicola, vt liquet ex *Liu.* II. 7. *Aurel. Victor. de viris illustribus* c. 10. *Plutarcho* in *vita.* Ἀπεδέξαντο δὲ τοῦ Οὐαλερίου καὶ τὰς εἰς τὸν συνάρχοντα τιμὰς, αἷς ἐκκεμιζόμενον καὶ θαπτόμενον ἐκόσμησε· καὶ λόγον ἐπ' αὐτῷ διεξῆλθεν ἐπιτάφιον, ὃς οὕτως ὑπὸ Ρωμαίων ἠγαπήθη καὶ τοσαύτην ἔσχε χάριν, ὥστε πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς καὶ μεγάλοις ὑπάρχειν ἐξ ἐκείνου τελευτήσασιν ὑπὸ τῶν ἀρίστων ἐγκωμιάζεσθαι. λέγεται δὲ καὶ τῶν Ελληνικῶν ἐπιταφίων ἐκεῖνος γενέσθαι πρεσβύτερος, εἴγε μὴ καὶ τοῦτο Σόλωνός ἐστιν, ὡς Αναξιμένης ὁ ῥήτωρ ἱστόρηκεν. Romanis quoque inuentum attribuit *Dionys. Halic. Antiq. Rom.* V. 17. Οὐ γάρ ποτε Αθηναῖοι προσέθησαν τὸν ἐπιτάφιον ἔπαινον τῷ νόμῳ, εἶτ' ἀπὸ τῶν ἐν Αρτεμισίῳ, καὶ περὶ Σαλαμῖνι καὶ ἐν Πλαταιαῖς ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἀποθανόντων ἀρξάμενοι, εἶτ' ἀπὸ τῶν περὶ Μαραθῶνα ἔργων. vbi videas plura. In Concionibus Romanis duo sunt praecipue notanda, quod cito in tantum creuit laudandi haec cupido, vt ab Augusti temporibus laudationes fierent duplices. Imperator ille sororem Octauiam in sacrario Iulio, Drusus

pro

pro roſtris ſolenni oratione proſecutus eſt: Imperatorem mortuum laudarunt Tiberius et Druſus, ille pro aede Diui Iulii, hic pro roſtris. *Dio. Suetonius.* Pium Antoninum M. Antoninus et L. Verus pro roſtris vterque. *Capitolin.* in M. *Antonino*: Alterum eſt, quod, quamuis ab initio virorum tantum geſta, nunquam mulieres laudare mos fuiſſet, quia tamen Camilli temporibus Matronae Romanae, quum in publico deeſſet, aurum contulere, quo ſe Romani a Gallis redimere poſſent, vt ſacro auro abſtineretur, cautum fuit S. C. vt ob praeclarum hoc facinus (quod tamen *Plutarch.* in *Camillo* aliter narrat, ego *Liuium* ſequor V. 50.) earum in funeribus, ſicut in virorum ſolennis laudatio haberetur. Primus itaque Popiliam matrem laudauit Craſſus filius. Ita *Alexand. ab Alexandro* IV. 8. neſcio tamen, quo animo vel auctoritate. Porciam Catonis ſororem, Domitii Ahenobarbi vxorem Cicero. Vid. 13. *ad Attic.* 48. (qui ibidem quoque memorat M. Varronis et Lollii laudationem). Amitam ſuam Iuliam, vxoremque Camillam (qui honos tunc primum feminae aetate iuniori perſoluebatur, vt *Plutarch.* in *Caeſare*) laudauit Iulius Caeſar. *Plutarch.* et *Suetonius*, Auiam Auguſtus, *Sueton.* in *Aug.* c. 8. Iunia Caſſii vxor M. Bruti ſoror, quanquam in teſtamento, cum ferme cunctos proceres cum honore nominauiſſet. Caeſarem omiſit, id tamen non prohibuit, quo minus laudatione pro roſtris ceterisque ſolennibus funus cohoneſtaretur. Verba ſunt fere *Taciti* 3. *Ann.* 76. Exſtat apud *Fabrettum* p. 168. marmor elegantiſſimum, ſed aetatis vicio tertia circiter parte vniuscuiusque lineae conſumptum, in quo continetur honeſtiſſimum praeconium, quod in honorem coniugis defunctae habuit Ciuis quidam Romanus, cuius nomen, fortuna et condicio ad nos non deſcendit. Elegantiam habet maximam, aetatem optimam, et ſingula-

gulare, quod sciam, exemplum continet orationis publicae marmori saxone concreditae.

Tempus huius orationis indicare videntur mentio Caesaris Augusti, et pacati orbis, quem eius opera contigisse satis notum est; nomen item M. Lepidi *conlegae*, non nostri fortasse, vt intellexit *Fabrettus*, sed Augusti in III viratu, C. denique Cluuii, adfinitate, vti videtur, oratori nostro coniuncti. Caius Cluuius, vbi suam Iulio Caesari probasset fidem, ab eo cum imperio in Galliam fuit missus. Vnus erat ex VIII viris, quibus idem Caesar, cum in Hispaniam contra Pompeii filios ire maturauit, praefecturam vrbis commisit A. V. C. DCCVII, Caesare tertium Dictatore, quod indicat nummus aereus cum hac inscriptione, CAESAR DICtator TERtium et in parte postica *Caius* CLOVius PRAEFectus. Puteolanum fuisse testatur *Cic. 13. Epist. 55.* quod arguit quoque haec Inscriptio Puteolis effossa.

C. CLVVIVS. M. F.
IIII VIR.
IVRI. DIC. II VIR. NOLAE.
IIII VIR. QVINQVENNAL.
DE. SVO. FACIVND. CAERAVIT.
IDEMQVE. RESTITVIT.
IOVI. O. M. SACR.

Memorabile feminae facinus et in aduersis viri rebus constantiam plane singularem! memorabile etiam istud, quod *partui diffidens, ex alterius coniugio* prudens sciensque *parari* passa sit *fecunditatem; consilium in quibusdam feminis*, raro licet exemplo, conspiciendum, *in illa* tamen *minime admirandum* ceteris *virtutibus conlatum.* Ita enim intelligo et suppleo fatiscens marmor l. 30. Quod ad Latinum sermonem adtinet, qui tunc temporis purissimus habebatur, pauca sunt, quae indigitari volui, lectori meo concoquenda. l. l. Frustra gloriatur

riatur * * *me patriae redditum a se, nam nisi* Tu, coniux, *paratsses, quod seruare* me poterat, *inaniter ille opes suas* POLLICERETVR. l. II. *acerbissimum mihi accidisse* TVA VICE *fatebor.* vpon your account. l. 15. *indignum in modum* RAPSATA. l. 31. DOLENS ORBITATE mea l. 35. CONDICIONEM QVAERERES, non de stupro, sed honestis nuptiis. *Nullum officii genus etiam infame praetermiserat*, condicionibus *etiam* quaerendis, *atque arcessendis mulieribus, quas corrumperet.* Sueton. in *Aug.* c. 63. l. 61. *speculatricem.* PROPVGNATRICEM *meorum* PERICVLORVM. Magna inusitatae Latinitatis exempla in tam breui circuitu verborum, et, quod iure mireris, vnicae fere hae sunt reliquiae Romanorum in re funerea eloquentiae, cum priuatarum laudationum et crebra fuisse exemplaria et bene seruata necesse est; quoniam vnaquaeque familia diligentia non mediocri haec vel quasi monumenta seruaret ad vsum, si quis eiusdem generis occidisset, vel ornamenta ad dignitatem atque ad memoriam laudum domesticarum. Vergente saeculo plena sunt Ecclesiasticorum Scriptorum monumenta praeconiis in funere recitari solitis. Plena etiam Sophistarum, *Adriani* Tyrii, *Himerii*, *Polemonis*, *Libanii*, etc. *Aristidis* ἐπιτάφιον in Alexandrum discipulum memorat *Magister* in *v.* Φύσις, ni Epistola sit potius S. P.que Cotiaeensi, vnde genus duxit Alexander, quam Oratio dicenda. *Aristides* ipse Epistolam vocat, exeunte sermone: ὅπερ ἐν ἀρχῇ τῆς ἐπιστολης εἶπον. Rationem magis habet λόγε ἐπιταφίου alia, quae in Editis *Aristidis* eam praecedit, in Eteonicum sc. Επικήδειος Cyzici habita. Ea insignissimo mendo liberata finem huic commentatiunculae imponet. Ποῖος ταῦτα Σιμωνίδης θρηνήσει; τίς Πίνδαρος ποῖον μέλος ἢ λόγον τοιῦτον ἐξευρών; τις χορος ἄξιον φθέγξεται τοιούτου πάθες, ποία δὲ Δύσηρις Θετταλὴ τοσῦτο πένθος ἐπένθησεν ἐπ' Αντιόχῳ τελευ-

τήσαντι, ὅσον νῦν μητρὶ τῇ τούτου πένθος πρόκειται. In hoc commate quaedam intelligo, *Simonidem* ſc. et *Pindarum*, quorum θρῆνοι ab antiquis laudantur; in quibusdam haereo, quaenam fuit illa Dyſeris ſiue Antiochi mater, ſiue anus quaedam, quae luctui praefuit: at in his plane caecutio. Ποῖος Σιμωνίδης — τίς Πίνδαρος — τίς χορος. Nulla vi, nulla facundia a me impetrabis haec eſſe ſana. Latet omnino in χορος ſcriptoris cuiusdam nomen, cui ſi adiungas vocem praeeuntem, τις, mecum ſenties eſſe *Steſichorum*. Ποῖος Σιμωνίδης — τίς Πίνδαρος — τις Στησιχορος. Alibi III viratum iſtum memorat *Ariſtides*. Καὶ Κίοις δὴ Σιμωνίδην, καὶ Στησίχορον Ιμεραίοις, καὶ Θηβαίοις Πίνδαρον.

CAP. IV.

Amazones. Onatus *ſiue* Onaſus *rerum Amazonicarum ſcriptor antiquus. Reſtituitur locus* Ariſtophanis *et* Apollonii Rhodii. *Tollitur grauiſſimum in* Herodoto *mendum. Praetorum Athenienſium nomina aliquam multa vindicantur. Emendatur* Dionyſius Halicarnaſſenſis, Diodorus Siculus, Demoſthenes, *aliique*, Lyſias *denique*, Etym. M. *et* Caeſar.

De rebus Amazonicis (v. p. 55. vlt.) ſcripſere inter Antiquos *Onatus*, σχ. *Theocrit.* XIII. 46. (quem *Onaſum* vocat σχ. *Apollonii Rhodii* I. 1208. 1237.) atque inter recentiores laudabilem ſane commentarium *Petrus Petitus*. In monumentis Veterum, quae *populum* iſtum *mulierum* adhuc nobilitant (cuiusmodi ſunt nummi Smyrnaeorum, Thyatirenorum ceterarumque ciuitatum iuxta Aſiae oram maritimam, Vide *Seguin.* p. 23. gemmae quam plurimae tabulaeque antiquae. Vid. *Canin. Iconogr.* XVI. *Beger. Theſaur. Brandenburg.* vol. III. p. 318. Lucernam antiquam apud *Licetum*, IV. 55.) et *ferro* armati et *equis* vehi ſemper videri volunt: accom-

accommodate ad mentem *Lysiae*, μόναι δὲ ὡπλισμέναι σιδηρῳ τῶν περὶ αὐτὰς, πρῶται δὲ πάντων ἐφ' ιππȣς ἀναβᾶσαι. Vti *Aristophanes Lysistr.* 677.

Ην δ' ἐφ' ἱππικὴν τράπωνται, διαγράψαι τȣ̀ς ἱππέας·
Ιππικώτατον γάρ ἐςι χρῆμα κἄποχον γυνὴ,
Κοὐκ ἀναπολεῖσθαι (l. απολισθαινει) τρέχοντος·
τὰς δ' Αμαζόνας σκόπει,
Ας Μικων εγραψ' εφ' ιππων μαχομένας τοῖς ἀνδράσι.

Hic libentius adderem, quantum lucis imago illa apud *Licetum* affundat *Plutarchi* verbis in *Theseo* Ο δὲ Δȣ̃ρις οὐ ποταμὸν εἶναί φησι τὸν Θερμώδοντα, ἀλλ' ἱςάντας τινὰς σκηνὴν καὶ περιορύττοντας, ἀνδριαντίσκιον εὑρεῖν λίθινον, ὑπὸ γραμμάτων τινῶν διασημαινόμενον, ὡς εἴη Θερμώδων ἐν ταῖς ἀγκάλαις Αμαζόνα φέρων τετρωμένην: quantum tabula *Begeriana Lysiae*, οἷς [equis] ἀνελπίςως, δι' ἀπειρίαν τῶν ἐναντίων ἥρουν μὲν τȣ̀ς φεύγοντας, ἀπέλειπον δὲ τȣ̀ς διώκοντας. Nemo fere ad laudem Atheniensium accessit, qui bellum Amazonicum resque ab Atheniensibus praeclare in eo gestas dissimulauit. Εςι δὲ ἡμῖν (inquit dux istius gentis apud *Herodot. Calliop.* 27.) ἔργον εὖ ἔχον καὶ ἐς Αμαζονίδας τας αποθηκας τὰς ἀπὸ Θερμώδοντος ποταμοῦ ἐσβαλȣ́σας κοτὲ ἐς γῆν τὴν Αττικήν. Quodcunque in corruptissima ista voce αποθηκας latet, *Gronouii* certe τὸ αποθητας non latet. Diu fui in ea sententia, vt locum ita restitueremus, ἐς Αμαζονίδας τὰς απο θεμισκυρας της επι Θερμώδοντος ποταμȣ̃ ἐσβαλȣ́σας κοτὲ ἐς γῆν τὴν Αττικήν. Nam *Herodotus* ipse *Melpom.* 86. Ες δὲ θεμισκυραν την επι Θερμώδοντι ποταμῷ ἐκ τῆς Ινδικῆς — τριῶν τε ἡμερέων καὶ δύο νυκτῶν πλόον. Strabo quoque l. 11. Τὴν δὲ θεμισκυραν καὶ τὰ περὶ τὸν Θερμώδοντα πεδία, καὶ τὰ ὑπερκείμενα ὄρη ἅπαντες Αμαζονων καλȣ̃σι. Pausanias *Attic. c.* 15. Μόναις δ' ἄρα ταῖς γυναιξὶν ȣ̀κ ἀφήρει τὰ πταίσματα τὸ εἰς τȣ̀ς κινδύνȣς ἀφειδὲς, εἴγε Θεμισκυρας τε ἁλȣ́σης ὑπὸ

Ηρακλέους, καὶ ὕστερον φθαρείσης σφίσι τῆς στρατιᾶς, ἣν ἐπ' Αθήνας ἔστειλαν, ὅμως ἐς Τροίαν ἦλθον Αθηναίοις τε αὐτοῖς μαχούμεναι καὶ τοῖς πᾶσιν Ελλησιν. Apollon. *Rhod.* I. 997.

Ενθα Θεμισκυριαι (l. Θεμισκύρειαι) Αμαζονες ὡπλίζοντο.

Id. II. 369.

Κεῖθεν δὲ προτέρωσε μέγας καὶ ὑπείροχος ἀγκὼν
Εξανέχει γαίης, ἐπὶ δὲ στόμα Θερμωδοντος
Κόλπῳ ἐν εὐδιόωντι Θεμισκυρειον ἐπ' ἄκρην
Μύρεται. εὐρείης διαειμένος ἠπείροιο.
Ενθάδε Δοίαντος πεδίον· σχεδόθεν δὲ πόληες
Τρισσαὶ Αμαζονίδων· μετὰ δὲ σμυγερώτατοι ἀνδρῶν
Τρηχείην Χαλυβες καὶ ἀτειρέα γαῖαν ἔχουσιν
Εργατίναι τοὶ δ' ἀμφὶ σιδηρεα ἔργα μέλονται.

Lycophr. v. 1327.

Theseus

Σὺν θηρὶ βλώξας τῷ σπάσαντι δηΐας
Μύστη Τροπαίας μαστὸν εὔθηλον θεᾶς
Ζωστηροκλέπτης, νεῖκος ὤρινεν διπλοῦν,
Στόρνην τ' ἀμέρσας, καὶ Θεμισκυρας ἄπο
Τὴν τοξοδάμνον νοσφίσας Ορθωσίαν.

σχ. ad loc. Θεμίσκυρα, πόλις Παφλαγονίας καὶ Αμαζόνων, ἔνθα Θεμισκυρειαι αἱ Αμαζονες λέγονται. Iustin. II. 4. *In Cappadociae ora iuxta amnem* Thermodonta *consederunt*, *subiectosque* Themiscyrios *campos occupauere*. — *Horum vxores* — *singulare omnium saeculorum exemplum ausae auxere Rempublicam sine viris*. Nec miretur aliquis ἀποθήκας pro ἀπὸ Θεμισκύρας describi potuisse, aut reclamitet non solere librarios *propria nomina* compendifacere. Scio non solere *consilio*, sed *incuria* compendifaciunt. Qui enim fieri potuit, vt pro Δημήτριος Δῆμος, pro Θέσσαλος Θάλλος apud Dionysium Halicarnass. reperiremus? Scholiastes *Aristoph. Ran.* 33. ait actam fuisse eam fabulam anno

anno post pugnam ad Arginusam, quae commissa erat ἐπ' Αντινου. Hunc autem Praetorem Atheniensem Historici omnes et auctor adeo Argumenti *Antigenem* vocant. Εδιδάχθη ἐπὶ Καλλίᾳ Αρχοντος τῷ μετὰ Αντιγενες. Quin et ipse σχ. v. 732. τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ Αντιγενους. Qui Magistratum summum Athenis gessit Olymp. LXXV. 1. ab aliis *Calliam*, ab aliis *Calliadem* appellari, olim monui (pag. 470.) Iam tempus est, vt moneam *Calliadem* recte scribi. *Marmor* enim *Arundell.* ad Olymp. LXXXI. 1. Αρχοντος Αθηνησιν . . . . . αλλιου τοῦ προτερου. Quod verum est, cum Callias alter praeturam gessit Olymp. XCII. 1. Verum esse non potuit, si is, qui LXXV. 1. gesserat, nominaretur quoque Callias. Quid commercii est inter voces Lysiam et Nausimachum? Archon autem Olymp. LXXXVI. 1. ab aliis Nausimachus, ab aliis Lysimachus, ab aliis denique compendiose *Lysias* appellatur. Quem Olymp. XC. 1. Astyphilum nominant *Marmor Arundellianum* et *Athenaeus*, *Diodorus Siculus* mendose, vt opinor, Aristophylum. Et similiter, qui Aristomnestus XCI. 1. *Isaeo de Philoctetae hereditate*, ille Auctori *Argum. Au. Aristoph.* et *Hesych.* in Ερμοκοπίδαι Arimnestus est. Elpines Archon erat CVI. 1. *Diodoro* teste et *Dionysio* in *Dinarcho*, eod. tamen *Dionysio* in *Lysia* erat Elpinices. Vnde fortasse restituendus *Demosthenes pro Corona.* Αὗται ἀπεδόθησαν αἱ μαρτυρίαι ἐπ' Ελπινίκε Εκατομβαιῶνος τρίτῃ ἱσαμένε. Male hodie ἐπὶ Νικίου. Vel, quoniam aetas aliquantulum obstet, pro Νικίου Νικήτου restituas, qui paulo ante hanc Orationem habitam eo munere fungebatur. Certe Nicias in Fastis Atticis neutiquam comparet. Obseruabit bonus lector istum Nicetam a *Diodoro* Niceratum, ab *Arriano de expedit. Alexandri* Anicetum dici. Verum ne extra oleas diuagari videar, aut ea diligentius curare, quae minus ad me adtinent, ad *Ly-*

fiam redeo, quem sic limatiorem reddo. p. 122. 1. Οἱ δὲ νῦν θαπτόμενοι, βοηθήσαντες Κορινθίοις ὑπὸ παλαιῶν φίλων ἀδικημένοις, καινοὶ σύμμαχοι γενόμενοι. Vegetari oppositionem velim facta vnius literulae mutatione, et reponi καινοι. *Quod a* veteribus *hospitibus auxilium frustra exspectabant Corinthii, id in nouis reperere.* In eadem oratione p 98. 11. οιος μέγας, καὶ δεινὸς τῇδε τῇ πόλει κίνδυνος ὑπὲρ τῆς τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερίας ἠγωνίσθη; Vocem οἷος, quam sollicitarunt Codd. *MSS.* eam auctoritate *Aristidis* retinui, neque etiamnum poenitet retinuisse. Οὐ μὴν ἔμελλον αἱ ἀραὶ λήθη δεδήσεσθαι· λοιμὸς γὰρ τῇ τῶν Ἐφεσίων πόλει ἐνήκμαζεν οιος βαρύτατος. Auctor anonymus apud *Suidam* in v. Ἀρᾶις. In proxima p. 140. 1. pro ἠμυνάμην εν ας, locum ita correxi, ἐπειδὴ δὲ αὐτὸν ἠμυνάμην, εκτας ἔβαλέ με λίθοις. Neque poenitet correxisse. Οὐδεὶς γὰρ ὑπέμεινεν αὐτὸν, ἀλλ' εἰς χεῖρας συνῆλθεν, ἀλλ' αποστάντες ἔβαλλον ἀκοντίοις καὶ τοξεύμασι. Plutarch. in *Alcibiade* extr. Inter honores, quos Regibus suis Barbari conferre solent, recensentur ab *Aristot. Rhetor.* l. 5. Προσκυνήσεις καὶ εκστασις. A via *declinationes.* Iuxta p. 143. 2. Πειραιέως male in textu locum occupat, quam vocem alibi semper ad imam paginam detrusi. Vid. p. 234. 8. Nam qui Atticas locutiones tractant, *Moeris* et *Magister*, cum *contractam* formam istiusmodi Genitiuorum Atticis placere tradant, *dissolutam* ceteris Graecis, hanc ipsissimam vocem omine non laeuo in exemplum adducunt. Eis, quae a me ad istum locum dicuntur, addas *Etymol. M.* in v. Πηλεύς. Ιστέον, ὅτι τὰ εἰς εῦς, εἰ μὲν καθαρὸν ἔχει τὸ ε, συναιρεῖται παρὰ τοῖς Αθηναίοις, Στειρεύς, Στειρέως, Στειρῶς, κ. τ. λ. et rursus in Βασιλεύς. Ιστέον, ὅτι τὰ εἰς ως (lege ευς) ἐὰν μὴ ἔχῃ πρὸ τοῦ ε σύμφωνον, συναιρεῖνται παρὰ τοῖς Αθηναίοις· οἷον Ερετριεύς, Ερετριέως καὶ Ερετριῶς. Πειραιευς, Πειραιεως καὶ Πειραιως. Ibidem notaui elegantem vsum τοῦ πάλαι,

λιν, et contendi non ſemper *iteratam* aliquam actionem deſignare, ſed venuſte dici poſſe, pro *inuicem, ex oppoſito.* Ita *Plutarchus* de fraterno amore Τοὐναντίον αὖ παλιν πονηρόν. Ita cultiſſimus apud Latinos ſcriptor *Caeſar. Vt ipſi concedi non oporteret, ſi in noſtros finis impetum faceret, ſic* iterum *nos eſſe iniquos, qui in ſuo iure ſe interpellaremus.* B. Gall. l. 44. Itaque in illo loco eiusdem *Caeſaris* initio *B. Gall.* lib. 4. *Hi centum pagos habere dicuntur: ex quibus quotannis ſingula miilia armatorum, bellandi cauſa, ex finibus educunt: reliqui, qui domi manſerint, ſe atque illos alunt: Hi* rurſus inuicem *anno poſt in armis ſunt: illi domi remanent.* In iſto, inquam, loco vox *inuicem*, quae ex *Voſſianorum* Codd. vno abeſt, recte quidem mea ſententia abeſt. Sedulus gloſſator (nam ex ea officina eſt, et ſexcenti fere loci adhuc puriſſimi iſtius ſcriptoris iſtiuſmodi ſpurcitie contaminantur) cauit pro ſumma ſua diligentia, ne *rurſus* minus recte exponeremus, aut inuſitatior eius ſignificatio lectoris aciem effugeret, itaque adleuit *inuicem.* Sequitur p. 177. 2. Εκ τῆς πατρίδος ἐκβαλεῖν αυτον ποιουνται. Aliquantulum fidei ad locum adſtruere fatagebam coniecturae viri ingenioſiſſimi, ἐκ τῆς πατρίδος ἐκβαλεῖν σπουδην ποιῦνται. Emendationis fideiuſſores erant *Herodotus* et *Pauſanias.* Adiunge incertum apud *Suid.* in Αγώνισμα, Αγώνισμα, σπουδην, ἐπιμέλειαν. Αγωνισμα τίθενται συλλαβεῖν αὐτόν. et *Herodotum* iterum. *Erat.* 107. Εκπεσόντος δὲ ἐς τὴν ψάμμον αὐτῦ, εποιεετο πολλὴν σπουδην ἐξευρεῖν.

CAP. V.

Andocides. *Perturritur eius vita.* Plutarchus *in* Andocide *ſaepius emendatur.* Stephanus *item* Byzantinus *et* Nepos. *Mos Athenienſium. Romanorum. Item alius.* Πωρίνη Σελίνη.

Ex Xviratu Oratorum nullum aetate coniunctiorem habuit *Lyſias*, quam *Andocidem*, quorum vtrius-

que orationes adverſariae ἀσεβείας adhuc ſeruantur. Exſtat *Noſtri* pag. editionis meae 102. *Andocidis*, Edit. *Steph. Oratorum Graecorum* p. 1. ſecundi tmematis. Percurram in h. capite vitam *Andocidis*, tum de fide nonnullorum, quae illi hodie adſignantur, pauca diſputabo, deinde ad cetera pergam. Quaecunque de *Andocide* prodiderit *Plutarchus* in libello *de vitis X Oratorum*, ea tanta fide expreſſerit *Photius*, vt hunc ab illo commodato accepiſſe dixeris. In ea tamen ſententia non ſum, et iudico potius Sophiſtam, qui *Plutarchum* ſimulare voluit, hiſtoriarum ſuarum monumenta, rerumque geſtarum fidem a *Photio* emendicare coactum eſſe, qui ſolus eo tempore commentarium de vita Oratorum conſcriptum habuit. Vtcunque cedat iſta diuinatio, lectori fortaſſe meo non diſplicebit, ſi bigam iſtam hiſtoricam, vt pariter fiat, procurarem. Hem! accipe.

PLVTARCHVS

Tom. Moral. Edit. Graec. Baſ. 1574. pag. 448.

Ἀνδοκίδης Λεωγόρᾳ μὲν ἦν πατρὸς, τῇ δὲ μητρὶ ποτὲ πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνην Ἀθηναίοις, τον δὲ πάππον δὲ Κυδαθηναιεὺς ἦ Θησεύς, γένους εὐπατριδῶν· ὡς δὲ Ἑλλάνικος καὶ ἀπὸ Ἑρμοῦ, καθήκει γὰρ εἰς αὐτὸν τὸ Κηρύκων γένος. διὸ καὶ προσεχειρίσθη ποτὲ μετὰ Γλαύκωνος, σὺν ναυσὶν εἴκοσι Κερκυραίοις βοηθήσων, διαφερομένοις πρὸς Κορινθίους. μετὰ δὲ ταῦτα αἰτιαθεὶς ἀσεβεῖν, ὡς καὶ αὐτὸς τὰς Ἑρμοῦ περικόψας, καὶ εἰς τὰ τῆς Δήμητρος ἁμαρτῶν μυστήρια, διὰ τὸ πρότερον ἀκόλαστον ὄντα, νύκτωρ κωμάσαντα, θραῦσαί τι τῶν ἀγαλμάτων τῇ θεῷ, καὶ εἰσαγγελθέντα, ἐπειδὴ ἀπ ἠβελήθη ὧν ἐζήτουν οἱ κατήγοροι δοῦλον ἐκδοῦναι, διαβληθῆναι, καὶ πρὸς τὴν αἰτίαν τῆς δευτέρας γραφῆς ὕποπτον γενέσθαι. ἦν μετ' ὀ πολὺν χρόνον τῷ ἐπὶ Σικελίαν

λίαν ἐόλε συνέβη γενέσθαι, Κορινθίων εἰσπεμψάντων Λεοντίνες τε καὶ Λίγεσαίες ἄνδρας ἰδίᾳ μελλόντων βοηθεῖν αὐτοῖς τῶν Λθηναίων, νύκτωρ τὰς περὶ τὴν ἀγορὰν Ερμᾶς περιέκοψαν, ὡς Κράτιππός Φησι. προσαμαρτόντων μυστήρια, κριθεὶς τε ἐπὶ τούτοις ἀπέφυγεν ἐπὶ τῷ μηνύσειν τὰς ἀδικοῦντας· σπουδὴν δὲ πᾶσαν ἐνεγκάμενος, ἐξεῦρε τὰς περὶ τὰ ἱερὰ ἁμαρτάνοντας, ἐν οἷς καὶ τὸν αὐτοῦ πατέρα ἐμήνυσε, καὶ τὰς μὲν ἄλλας πάντας ἐλέγξας ἐποίησεν ἀπολέσθαι· τὸν δὲ πατέρα ἐρρύσατο. καίτοι δεδεμένον ἤδη, ὑποσχόμενος πολλὰ λυσιτελήσειν αὐτὸν τῇ πόλει, καὶ ἐκ ἐψεύσατο. ἤλεγξε γὰρ ὁ Λεωγόρας πολλὰς δημόσια χρήματα σφετερισζομένους, καὶ ἄλλα τινὰ ἀδικοῦντας. καὶ διὰ μὲν ταῦτα ἀφείθη τῆς αἰτίας. εὐδοκιμῶν δὲ ὁ Λνδοκίδης ἐπὶ τοῖς πολιτευομένοις, ἐπέθετο ναυκληρίᾳ καὶ τοῖς τε Κυπρίων βασιλεῦσι καὶ πολλοῖς ἄλλοις δοκίμοις ἐπεξενώθη, ὅτε καὶ μίαν τῶν πολιτίδων Λριστείδε θυγατέρα ἀνεψιὰν ἔσαν αὐτῷ, λάθρα τῶν οἰκείων ἐξαγαγὼν ἔπεμψε δῶρον τῷ Κυπρίων βασιλεῖ. μέλλων δὲ ἐπὶ τούτοις εἰς δικαστήριον εἰσάγεσθαι, πάλιν αὐτὴν ἐξέκλεψεν ἀπὸ τῆς Κύπρε, καὶ ληφθεὶς ὑπὸ τῦ βασιλέως ἐδέθη. διαδρὰς δὲ ἦκεν εἰς τὴν πόλιν, καθ' ὃν χρόνον οἱ τετρακόσιοι διεῖπον τὰ πράγματα, δεθεὶς δὲ ὑπὸ τούτων καὶ διαφυγὼν αὖθις, ὁπότε κατελύθη ἡ ὀλιγαρχία, ἐξέπεσε τῆς πόλεως, τῶν λ' τὴν ἀρχὴν παραλαβόντων. οἰκήσας δὲ τὸν τῆς Φυγῆς χρόνον ἐν Ηλίδι, κατελθόντων τῶν περὶ Θρασύβυλον, καὶ αὐτὸς ἦκεν εἰς τὴν πόλιν. πεμφθεὶς δὲ περὶ τῆς εἰρήνης εἰς Λακεδαίμονα, καὶ δόξας ἀδικεῖν ἔφυγε. Δηλοῖ δὲ περὶ πάντων ἐν τοῖς λόγοις οἷς συγγέγραφεν. οἱ μὲν γὰρ ἀπολογούμενοι περὶ τῶν μυστηρίων εἰσὶ, οἱ δὲ καθόδε δεομένοι· σώζεται δὲ αὐτῦ καὶ ὁ περὶ τῆς ἐνδείξεως λόγος, καὶ ἀπολογία πρὸς Φαίακα, καὶ περὶ τῆς εἰρήνης, καὶ ἤκμαζε μὲν κατὰ τῦτον τὸν χρόνον ἅμα Σωκράτει τῷ Φιλοσόφῳ. ἄρχει δὲ αὐτῷ τῆς γενέσεως Ολυμπιὰς μὲν ἑβδομηκοστὴ ὀγδόη, ἄρχων δὲ

Αθήνησι Θεογενίδης, ὥστε εἶναι πρεσβύτερον αὐτὸν Λυσίᾳ ἔτεσί πῃ ἑκατόν. Τέτῃ δὲ ἐπώνυμος ἐστι καὶ Ερμῆς ὁ Ανδοκίδῃ καλέμενος, ἀνάθημα μὲν ὢν Φυλῆς Αἰγηίδος, ἐπικληθεὶς δὲ Ανδοκίδῃ διὰ τὸ πλησίον παροικῆσαι τὸν Ανδοκίδην. καὶ αὐτὸς δὲ ἐχορήγησε κυκλίῳ χορῷ τῇ αὐτῇ Φυλῇ ἀγωνιζομένῳ διθυράμβῳ, καὶ νικήσας ἀνέθηκε τρίποδα ἐφ' ὑψηλῇ, ἀντικρὺς τῆ πωρίνῃ σελίνῃ· ἔστι δὲ ἁπλῆς καὶ ἀκατάσκευος ἐν τοῖς λόγοις, ἀφελής τε καὶ ἀσχημάτιστος.

PHOTIVS

Biblioth. Cod. CCLXI.

Ανεγνώσθησαν Ανδοκίδου λόγοι δ. ὃς τίνος εἴδωμεν· ὁ περὶ τῶν μυστηρίων, ὁ περὶ τῆς ἑαυτῆ, καθόδῳ, ὁ περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης, καὶ τέταρτος ὁ κατὰ Αλκιβιάδῃ. Εστι δὲ ἐν τούτοις ὁ ἀνὴρ ἁπλῆς τε καὶ ἀκατάσκευος ἀφελείας τε φίλος, καὶ τῷ ἀσχηματίστῳ σχηματιζόμενος. συνακμάσαι δὲ Σωκράτει τῷ Φιλοσόφῳ λέγεται, καὶ ἀρχὴν αὐτῷ τῆς γενέσεως γενέσθαι, ὀγδόην καὶ ἑβδομηκοστὴν ὀλυμπιάδα. παῖς δὲ ἐχρημάτιζε Λεωγόρᾳ, ἐξ οὗ γεγονότων καταγόμενος. Εμμένικος δὲ φησι καὶ τῆς πόρρω τῆς γενέσεως ὀχετὸς ἥκειν εἰς αὐτὸν ἐξ Ερμῆ. αἰτίαν δὲ λαβὼν τῆ ἀσεβεῖν ἐπὶ τῇ τῶν Ερμῶν περικοπῇ, καὶ τῇ τῶν μυστηρίων τῆς Δήμητρος ὕβρει, ἀπέφυγε κριθεὶς ἐπὶ τῷ μηνύσειν τὸς ἀδικοῦντας. σπεδὴν δὲ πᾶσαν εἰσενεγκάμενος, εὗρε τὸς εἰς τὰ ἱερὰ ἁμαρτήσαντας, οἷς καὶ τὸν ἑαυτῆ πατέρα συγκατεμήνυσεν· ἀλλὰ γὰρ τὸς μὲν ἄλλους πάντας ἐλέγχοις φωράσας ἀπολέσθαι κατεπράξατο, τὸν δὲ πατέρα καίτοι δεδεμένον ἤδη ἐξείλετο ὑποσχόμενος ἐν πολλοῖς αὐτὸν λυσιτελέσι (*Steph.* λυσιτελῆ. *V.* λυσιτελήσειν absque γενέσθαι olim scriptum) γενέσθαι τῇ πόλει· καὶ ἐκ ἐψεύσατο. ὁ γὰρ Λεωγόρας πολλὰς διήλεγξε χρήματα δημόσια νοσφισαμένους, καὶ ἕτερα τοιαῦτα

αὖτα παρανομῶντας. εὐδοκιμῶν δὲ ἐπὶ τοῖς πολιτεύμασιν ὁ Ανδοκίδης ἐπέθετο ναυκληρίαν (l. ναυκληρίᾳ) καὶ τοῖς τε Κυπρίων βασιλεῦσι ξένος ἐγένετο, καὶ πολλοῖς ἄλλοις δοκίμοις, ἡνίκα καὶ θυγατέρα μὲν Αριστείδῃ, ἀνεψιὰν δὲ αὐτῷ, τῶν οἰκείων ὑπεκκλέψας δῶρον ἔπεμψε τῷ Κυπρίων βασιλεῖ. μέλλων δὲ εἰς δικαστήριον ἐπὶ τῇ κακουργίᾳ εἰσάγεσθαι, πάλιν αὐτὴν ἀπὸ Κύπρου κλεπτει, καὶ ἁλοὺς ὑπὸ τῶν Κυπρίων βασιλέως, δεσμοῖς παρεδόθη· κἀκεῖθεν δὲ διαδρὰς ἐπεδήμησε τῇ πόλει κατ' ἐκεῖνο καιρῷ, ἡνίκα τοῖς τετρακοσίοις τὰ πολιτικὰ μετεχειρίζετο πράγματα· δεθεὶς δὲ καὶ ὑπὸ τούτων πάλιν διέφυγεν. ἡνίκα δὲ ἡ ὀλιγαρχία κατελύθη, ἐφυγαδεύθη τῆς πόλεως· καὶ ἐν Ηλίδι τὸν τῆς φυγῆς χρόνον διατρίψας, τῶν περὶ Θρασύβουλον κατελθόντων, καὶ αὐτὸς συγκατελήλυθεν· αἱρεθεὶς δὲ περὶ τῆς εἰρήνης εἰς Λακεδαίμονα πρεσβεύειν, καὶ ἀδικεῖν δόξας ἔφυγε. Τούτῳ δὲ ἔστιν ἐπώνυμος καὶ Ερμῆς. ἀνάθημα μὲν Φυλῆς Αἰγηίδος, ἐπικληθεὶς δὲ Ανδοκίδου, διότι πλησίον αὐτῷ Ανδοκίδης ᾤκει.

Si vnum legeris, vtrumque legeris, nisi quod illa, quae *Photius* commentatus est, alter mendose et σολοικοφανῶς exscripsit. Andocides Leogorae fil. (hucusque saltem recte, et iuxta marmor apud *Fulu. Vrsinum* Ανδοκίδης Λεωγορου Αθηναιος) erat iuxta *Plutarchum* Κυδαθήναιος ἢ Θυρεύς. Κυδαθηναιευς esse potuit, et credo fuisse, verum ita in *Plutarcho* rescribas. *Harpocratio* etenim et *Steph. Byzantinus*, Δῆμος Φυλῆς Πανδιονίδος, ἀφ' ὃ ὁ δημότης Κυδαθηναιευς. et similiter marmor Athenis,

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ.
ΛΥΛΟΥ.
ΚΥΔΑΘΗΝΑΙΕΥΣ.

itemque alterum *ibidem*

ΔΗΜΟΣΘΕΝΟΥΣ. ΤΟΥ. ΜΥΡΩΝΟΣ.
ΚΥΔΑΘΗΝΑΙΕΩΣ.

Pro-

Proxime: Istud Θερεὺς, est deprauatum quoque. Θερεὴ erat populus Αντιοχίδος Φυλῆς, vnde popularis denominandus erat, non Θερεὺς, vt *Plutarchus*, neque denuo Θορεὺς, vt *Stephanus Byzantinus*, sed Θορᾶιευς, ad quam lectionem ibi prope accedit MS. *Gronouii* Θορακεύς. Vnum interea me male habet: Si fuerit domo Κυδαθηναιεὺς, ex tribu erat Pandionide, si Θορᾶιευς, Antiochide: Ille interea extra vtramque Tribum habitabat, in Aegeide sc. si omnes Historici non mentiantur: *Ερμῆς ὁ Ανδοκίδε καλέμενος, ἀνάθημα μὲν ὢν Φυλῆς Αἰγηίδος, ἐπικληθεὶς δὲ Ανδοκίδε, διὰ τὸ πλησίον παρεικῆσαι τον Ανδοκίδην. Plutarch.* et similiter *Photius. Accidit, vt vna nocte omnes Hermae, qui in oppido erant, Athenis deiicerentur, praeter vnum, qui* ante ianuam Andocidis *erat, Andocidisque Hermes vocatus est.* Nepos in *Alcibiade.* Qui locus in manuscripto vetusto melius hoc pacto legitur — *ante ianuam Andocidis erat:* Itaque ille postea Mercurius *Andocidis vocatus est.* Haec, inquam me, male habuissent, ni crederem vnumquemque non ea tribu aut populo (ita enim cum *Cicerone* δῆμον interpretor) existimari, vbi degebat, sed ea, cui ab origine sua gens et familia accensebatur. Perinde vt apud Romanos, qui Romae habitabant, Magnates in rusticas potius tribus nomen lubentissime dederunt. Inde est, quod *Fabiensis* et *Scaptiensis* tribulis suos dixit Augustus apud *Sueton.* in *Octau.* 40. Ita marmor *Brixiense* apud *Gruterum* CXXVI. 3.

C. IVLIO. C. F.
FAB. SCAPT.
CAESARI.
AVGVSTO.

Et quod in honorem Tiberii tribulis itidem sui monumentum consecrarunt Pontifices Albani. *Gruter.* CXXXV. 8.

TI. CAISARI. DIVI. AVG. F.
DIVI. IVLI. N. AVGVSTO.
PONT. MAX. COS. V. IMP. VIII. TRIBVN.
POTEST. XVIII.
PONTIFICES. ALBANI.
Q. IVLIVS. Q. F. FAB. RVFVS.
C. IVLIVS. C. F. SCA. BASSVS.
TI. IVLIVS. TIB. F. FAB. MERVLA.
M. IVLIVS. C. F. FAB. SENICIO.

Quemadmodum fere Ciues noſtri Londinenſes non iſtorum ſiue Collegiorum ſiue Sodalitatum iure vtuntur, quorum quaeſtibus, verum vt vnicuique nomen profiteri conlibitum eſt maxime. Deinde *Plutarchus*, iam non Librarii vicio, ſed ſuo expurgandus, in proſapia Andocidis deducenda maluit *Photium* ſequutus, Oratorem ex Mercurio, quam ſeipſum in *vita Alcibiadis*, ex Vlyſſe deriuare. Neque haec dico neſcius perinde eſſe, teſte ipſo Vlyſſe apud *Ouid. Met.* XIII. 146.

Eſt quoque per matrem Cyllenis *addita nobis*
Altera nobilitas:

verum vt moneam, quantum ſchedae *Photianae* ob oculos poſitae valuerint prae ipſius *Plutarchi* commentariis, qui fortaſſe ad manum ſcriptoris in his vitis concinnandis non erant. Verum pergit, et cum claſſe XX nauium refert Andocidem miſſum ad auxilium Corcyraeis ferendum contra Corinthios. Inſtructa erat claſſis illa Olymp. LXXXVI. 1. quo tempore annum agebat Andocides 33tium. Confirmat vero *Lyſias* eum quadragenarium nunquam obiiſſe munus ἱππέως, ὁπλίτου nunquam, non τριηραρχου, non ἐπιβάτου. Qui igitur claſſi praefuit, erat Andocides, Leogorae quidem filius, noſtri vero auus paternus, vt olim vidimus. Solenne fuit Athenienſibus nomina in familiis alternare, τὰ ὀνόματα παρ' ἀλλήλων παραλαμβάνεσθαι, vt loquitur Orator *c. Macartat.* Lex fortaſſe id non iuſſit, iuſſere tamen

tamen mores, iussit consuetudo: eoque animo intelligo locum istum eiusdem auctoris. Τὰ δ' ὀνόματα ἐθέμην τούτοις — τῷ μὲν πρεσβυτάτῳ τὸ τοῦ πατρὸς τοῦ ἑμαυτοῦ ὄνομα Σωσίαν. ὡς δικαιον ἐστι· καὶ ἀπέδωκα τῷ πρεσβυτάτῳ τοῦτο τὸ ὄνομα. Idem *contra Boeotum* ἀξιοι δ' αὐτὸς, ὡς δὴ πρεσβύτερος ὢν τὸνομ', ἔχειν τὸ τοῦ πρὸς πατρὸς πάππου. Inde Miltiades Cimonis filius et Cimo Miltiadis, et quod ait *Aristoph. Au.* 284.

Ιππόνικος Καλλίου κἀξ Ιππονίκου Καλλίας.

ad quem locum vid. *Palmer.* in *Exercit. Spanheim.* ad *Nub. Aristoph.* 64.

Vota pater soluit, nomenque *imponit* auitum:
Iphis auus *fuerat.*

Ouid. Met. IX. 707. Iterum *Plutarchus.* Andocides erat Leogorae filius, istius sc. qui pacem cum Lacedaemoniis fecit. Vt in superioribus Aui res gestas ad Nepotem, hic ad Filium transtulit. Testis est *Andocides* ipse in *Orat. de pace.* Καὶ ἠρέθησαν δὲκα ἄνδρες ἐξ Αθηναίων ἁπάντων πρέσβεις εἰς Λακεδαίμονα περὶ εἰρήνης αὐτοκράτορες· ὧν ἦν Ανδοκίδης ὁ πάππος ὁ ἡμέτερος. Notabile est, quod vbicunque hic scriptor ab exemplari *Photiano* discedat, ibi in errores maximos incidat. Addit idem circa finem, *Andocidem* in aedilitate victorem tripodem posuisse ἄντικρυς τοῦ πωρίνου σελίνου. Neminem vidi, quem non excruciauit istud πωρίνου σελίνου: Porini Selini, vt vertunt. Quod miror. Nihil frequentius, quam vt Graeci dicant λίθινον Ἑρμῆν pro lapidea statua Mercurii. Idem fere esset, si dixissent πώρινον: Πώρινος, λίθινος, ὁ δὲ πῶρος ὁ πᾶς λίθος, Hesych. Vid. *Herodot. Terpsich.* 62. Συγκειμένου σφι Πωρίνου λίθου ποιέειν τὸν νηὸν, Παρὸς τὰ ἔμπροσθεν αὐτοῦ ἐξεποίησαν. Pausan. *Eliac.* II. 19. Εστι δὲ λίθου πωρίνου κρηπὶς ἐν τῇ Αλτει. Porum lapidem memorat *Plin.* XXXVI. 6. fin. et XXXVI. 17. *Mitior est autem ferundis corporibus nec absumendis chernites, ebori simillimus, in*

quo

quo Darium conditum ferunt: Parioque similis candore et duritie, minus tamen ponderosus, qui porus *vocatur.* Inde pro σελίνε (quod nihil est) lego Σιλήνε, et intelligo statuam istius Dei ex lapide, qui porus dicitur, factam. Andocides noster iam adultus vixit, si quis alius, vitam vere ἀβίωτον. p. 228. 5. Singularis in eo fortunae inconstantia, non quod vtramque alternatim expertus sit, sed quod aduersam varie. Age ergo, vt cum Auctore meo a me emendato loquar, Σκέψασθε Ανδοκίδε τὸν βίον, εἴτε τοιοῦτος ἢ ἕτερός ἐστιν. p. 218. 3. Iuuentutem petulanter egit, et, ex auctoritate *Plutarchi*, propter nocturnas comessationes venit olim in suspicionem Hermarumque obtruncatorum et profanatae Cereris religionis. Ex eo crimine, cum seruum, quem productum vellent aduersarii, domi retinuit, iterum incidit in similem infamiam, cum vna nocte ante exitum classis, quae Alcibiade duce in Siciliam erat nauigatura, omnes Hermae, qui in vrbe erant, deiicerentur, praeter vnum, qui ante Andocidis ianuam erat. Haec *Plutarchus* solus et admodum indistincte. Priorem istam αἰτίαν ceteri omnes partim ignorant, partim negant. *Thucydides* quidem haud obscure innuit VI. 28. accidisse, vt ante notabile istud Hermocopidarum facinus, iuuenes quidam temulenti Hermas praecciderent per ludibrium et petulantiam: sed ex eiusdem verbis, elicitur quoque nullam de ea re habitam fuisse quaestionem, nullum indicium, donec erumperet haec, siue Alcibiadis, siue cuiusquam alius audacia. Verba eius adponam, ne fidem aegre mihi adcommodes. Μηνύεται ἔν τε ἀπὸ μετοίκων τέ τινων καὶ ἀκολέθων, περὶ τῶν Ερμῶν ἐδέν, ἄλλων δὲ ἀγαλμάτων περικοπαί τινες πρότερον ὑπὸ νεωτέρων μετὰ παιδιᾶς καὶ οἴνε γεγενημέναι. In magna illa trepidatione et timore populi ob deiectos Hermas, in qua Alcibiadis potentia suspectior erat, (cuius rei historiam legere possis apud *Photium* in *Andoc. Plutarch.* in *Alcib.* et *Nicia*, *Lysiam*

Lysiam c. Andocid. atque *Andoc.* ipsum *περὶ μυστηρίων*, *Thucyd. Diodor. Nepotem* aliosque) crebrae factae sunt delationes, quas vide apud *Andoc.* p. 2. 3. seqq. Andocidem denique ipsum insimulat Dioclides, ibid. p. 6. inter alios quadraginta, quorum plurimi cognatione vel adfinitate illi erant coniuncti. Fuerunt autem Leogoras Andocidis pater, Callias Teleclis f. qui Andocidis sororem, quam vnicam habuit, vxorem duxit, Euphemus Teleclis f. Calliae frater, Charmides Aristotelis et Leogorae sororis filius, Taureas Leogorae patruelis, Nisaeus Taureae filius, Callias Alcmaeonis filius, Leogorae itidem patruelis, aliique, ibid. p. 7. Ibi Andocides in ius vocatus vltro se vinciendum obtulit, ni seruum, quem secum habuit, coram sisteret. p. 220. 2. Res, vt videtur, in eius arbitrio stetit, an erat argenti aestimatio facienda, qua teneretur ni sisteret, an vinculis coercendus, vsque dum seruum proferret: ille tamen sana mente exturbatus vincula praetulisse dicitur, cum interea sciret, seruum, ne delator fieret, a se morti fuisse datum. Haec eo paulo fusius, quia et locum *Lysiae* illustrent, meas ibi emendationes confirment, *Plutarchi* denique de seruulo isto Andocidis fidem, qualis sit, perspiciendam lectori exhibeant. In iis vinculis post annum fere integrum, proposita immunitate patrem cognatosque omnis simul insimulat et absoluitur. Senex aliis indiciis de aerario factis gratiam populi meruit, seque poena eripuit, quae ceteros omnis confestim insecuta est. Haec habet historia, quae dum infirmare vellet *Andocides* in luculenta ista, quam pro se habuit, defensione, illud interea vel ex ipsius testimonio constat: fuisse eum in ista coniuratione: eius facinoris auctorem et caput exstitisse Euphiletum quendam; atque Hermem denique, qui ob Andocidis ianuam solus in vrbe non deiiceretur, ideo incolumem mansisse, quod Andocides, qui in eam operis partem delignatus erat, id tem-

id temporis aeger ex vulnere in lecto decumbebat. Eo periculo liberatus homo noſter mercaturae quaeſtum occipit, atque amicitia cum Rege Cypri facta, ciuem Atticam ſibi adfinem clam e tutela eduxit, nouo hoſpiti in ſeruitutem et delicias. Iſtius lenocinii cauſa metuens ſibi a ſuis ciuibus, dum puellam furto repetere vellet, a Rege in vincula coniectus eſt. Elapſus domum reuertitur, rurſuſque a CCCC viris, qui tunc Remp. tenebant, in carcerem et verbera datur. Coruente Rep. ſub XXX viris dura omnia exſilii, reſtituta cum Thraſybulo, infenſos ciuium animos expertus eſt. Binas ibi Ἐνδείξεως cauſas ſuſtinuit, quarum vnam egit *Lyſias* Orat. VI. Poſtquam diutinam aetatem in vinculis egiſſet et bona in iudiciis diſſipaſſet, legatus ad Lacedaemonios de pace ineunda miſſus, et domi poſtea παραπρεσβείας condemnatus, reliquum quod erat vitae in exſilio peregit, relicta domo vacua, ſplendidiſſimaque familia in eius funere clauſa. Eum exitum habuit Andocides, vir auctoritate inter ſuos magnus, eloquentia inter poſteros clarus, omnino maior, ſi facundia, quam in periculis ſuam ſalutem eleganter exercebat, in Reip. diſcrimine ad communem vtilitatem ſalutariter fuiſſet vſus. Ea facundiae monumenta commentario proximo materiam ſuppeditabunt.

CAP. VI.

Andocidis *Orationes* IV. *Laus* Ioſephi Waſaei τῷ μαχαίρᾳ. Andocidis *oratio* prima περὶ μυςηρίων. *Eadem eſt* Ἐνδείξεως. *Grauiſſima oſcitantia Scriptoris* vitae Andocidis. Secunda *falſo inſcribitur. Ter emendatur.* H. Stephani *temeritas. Vindicatur emendatio Lyſiaca.* Tertia νοθεύεται. *Tollitur ex ea mendum foediſſimum. Diſputatur de* quarta *ſiue poſtrema. Emendatur plurimis in locis.* Εὐανδρία. *Oſtraciſmi exitus. Num videatur haec oratio a* Lyſia *fuiſſe conſcripta? Quem reuera habuit auctorem. Locus* Pla-

tonis *vindicatur contra eius Interpretem. Emendantur* Lycurgus *et* Plutarchus.

Ex Orationibus, quas scripsit *Andocides*, IV, hodie superstites, legit *Photius*. *Plutarchus*, qui *Photianis* non contentus Vitam addidit, pueriliter peccauit, mihi eo nomine poenas proxime daturus. Si exstitissent commentarii, quos in *Andocidem* scripsisse olim *Valerium Theonem* testatur *Suidas*, aut si prodiissent curae, quas non ita pridem huic scriptori impendisse viros doctos in exteris regionibus didici ex Cl. *Wasaei Bibliotheca Literaria*, minus, credo, mihi fuisset necessarium, vt hic dissererem, quae ad singulam *Andocidis* orationem olim adnotaui. Dum haec scribo Calendis Decembribus MDCCXXXVIII, de obitu clarissimi istius viri et de Republica literaria optime meriti, *Iosephi* nempe *Wasaei*, primus allatus est nuncius. Dolebam sane primo quod tanto hortatore studiorum meorum, mihique multis officiis coniunctissimo priuatum me viderem, tum vero quia interitu talis viri in alienissimo Reipublicae literariae tempore exstincti, dignitatem bonorum studiorum, nostrique praesertim ordinis statim imminutum iri sensi. Magna ille vixit et cum summis viris gratia et cum eruditis auctoritate. Nam et ingenium nullis literarum limitibus, humanitatem nullo officiorum genere concludi et circumscribi voluit. Testes meae orationis esse possunt plurimorum nostrorum hominum tum etiam et exterorum voces, quibus illius nunquam aut in laboribus suscipiendis consilium, aut in exsequendis opera defuit. Atque profecto dolorem nostrum non minimum auxisset, ni ex isto literarum consortio et coniunctione, quam semper cum viris eruditissimis excoluit, spes aliqua supereresset, *Diodorum* aliquando non minus limate aut emendate minus proditurum. Hac quasi parentatione de-

ne defunctus eo vnde diuorti redeo. Inscribitur *prima* oratio *Andocidis* περι μυστηριων. Praeter eam superesse quoque sua aetate voluit alteram περι ενδειξεως Plutarchus. Si superfuit vna, superfuisse fat scio alteram, cum vna sit. Ενδειξις erat ea actionis species, quae, si quis legibus aut iudicio publico, aliquo aut loco aut munere exclusus, eum tamen aut locum adire, aut munus ambire voluit, reum deferebat. *Andocides*, qui et *mysteria* fecisse insimulabatur, et cetera nefaria commisisse, adeoque eo piaculo constrictus, talem ἐνδείξεως causam in hac oratione egit, itaque ab Antiquis pro arbitrio orationem vel Ενδείξεως vel περὶ μυστηρίων (nam vtroque modo scribunt) habuisse dicitur. Vocem Ζητητὴς ex oratione περὶ ἐνδείξεως laudat *Harpocratio*, quae in illa, quam hodie habemus, περὶ μυστηρίων aliquoties occurrit. Causam denique expediet ipse *Andocides*, cuius verba *Edit. Steph.* pag. 2. haec sunt. Πρῶτον μὲν περὶἀυτῆς τῆς αιτιας, ὅθενπερ η ενδειξις ἐγένετο, διόπερ εἰς τὸν ἀγῶνα τόνδε κατέςην περι των μυστηριων (ἀπολογήσομαι sc.) Tune, mi homo, sub leonino *Plutarchi* nomine os istud tuum asininum latere posse arbitreris! Neque adhuc tam laute corium tuum dedolasse mihi videor, quin iterum, vbi vsus venerit, a me vapulabis. Sic soleo, qui genus, qui ingenium mentiuntur. *Secunda* oratio nomen vulgo sortita est περι της εαυτου καθοδου. In ea luculentissima sane oratione *conqueritur* multum de quorundam ciuium iniuriis, qui negauerunt suum indicium de Hermocopidarum coniuratione Reipublicae quidquam adtulisse salutis: *exponit* suam infelicitatem in consiliis c. Rempublicam initis, vitamque ex ea tempestate, quam duxit vere ἀβίωτον: *orat* denique, quae causae fuit summa, vt immunitatem ἄδειαν vocant Graeci) quam olim illi ob indicia ἐψηφίσαντο, postea autem mutato consilio reuocarant, ratam esse

nunc demum paterentur. Ἐγὼ τοίνυν τοσοῦτον ὑμῶν μόνον δέομαι· τὸ ψήφισμα, ὃ Μενίππου εἰπόντος ἐψηφίσασθε, εἶναί μοι ἀδειαν, πάλιν ἀπόδοτε. ἀναγνώσεται δὲ ὑμῖν αὐτὸ, ἔτι γὰρ καὶ νῦν ἐγγέγραπται ἐν τῷ βουλευτηρίῳ. Ψήφισμα. Τοῦτ' τὸ ψήφισμα, ὃ ἠκούσατε, ψηφισάμενοί μοι, ὦ Ἀθηναῖοι, ὕστερον ὠφέλεσθε, χάριν ἑτέρῳ φέροντες. Rectius ergo inscriberetur περὶ της ἀδειας, quo nomine laudat *Harpocratio* in v. Ὀξῤῥωδεῖν. Eam tamen non prius dimittam, quam contra *H. Stephani* temeritatem vindicauero. Ille enim, vt olim in *Lysia*, dominationis τῶν CCCC oblitus (grauius aliquid dicere nolim) ter in hac Oratione, *Aldinam*, et MSS. lectionem τετρακοσίων et τετρακοσίοις in τριακοσίων et τριακοσίοις imprudentissime mutat. v. p. 765. not. 19. Tu vbique restituas in his locis, quod ille exclusit. Haec erant cum adnotatu necessaria, tum etiam emendationi meae ad *Lysiam* aliquam auctoritatem addunt. Κατέπλευσεν εἰς τὴν ἑαυτῦ πόλιν, ἐπεὶ τῶν τετρακοσίων θεὸς λήθην ἔδωκε, p. 224. 4. vbi ex historia dudum correxi. Κατέπλευσεν εἰς τὴν ἑαυτοῦ πόλιν ἐπι τῶν τετρακοσίων. Θεὸς γὰρ etc. Quod potui etiam hoc loco adductus *Andocidis*. Πυθόμενοι δέ τινές με ἥκοντα τῶν τετρακοσιων ἐζήτουν τε πάραχρῆμα, καὶ λαβόντες ἤγαγον εἰς τὴν βουλήν. εὐθὺς δὲ παρασάς μοι Πείσανδρος κ. τ. λ. Sequitur *tertia* oratio *de pace*, quam *Harpocratio*, et, iuxta auctorem ὑποθέσεως, *Dionysius* quidam, procul dubio *Halicarnassensis*, Oratori nostro abiudicant. Et recte quidem mea sententia abiudicant. In Orationis initio insumpta est fere vna pagina *Edit. Steph.* in monumentis suae gentis recensendis, vt hoc planum faceret audientibus, maiores eorum non modo nullo cum impendio, sed maxima semper cum vtilitate pacem cum Lacedaemoniis fecisse. Totum autem locum, iisdem pene per omnia verbis, emendicauit Sophista ex si-

ex fine Orationis *Aeſchinis de ementita legatione.* Quas autem reponit ille gratias pro tantis auxiliis? Iſtas ſc. quas ſolent, qui exſcribunt, nempe vt deſcribant perperam. In *Andocidis* editis ita: Ην μὲν ὁ πόλεμος ἡμῖν ἐν Εὐβοίᾳ — καὶ Μιλτιάδην τὸν Κίμωνος ὠχρακισμένον, καὶ ὄντα ἐν Χερρονήσῳ κατεδεξάμεθα δι' αὐτὸ τοῦτο, πρόξενον ὄντα Λακεδαιμονίων, ὅπως πέμψαιμεν εἰς Λακεδαίμονα, προκηρυκευσόμενον περὶ σπονδῶν. καὶ τότε ἡμῖν εἰρήνη ἐγένετο πρὸς Λακεδαιμονίους ἔτη πεντε, καὶ ἐνεμείναμεν ἀμφότεροι ταύταις ταῖς σπονδαῖς ἔτη τριακαιδεκα. Hoc eſt digitis computare! Audi vero alterum, Καταξάντες πρὸς Λακεδαιμονίους εἰς πόλεμον — Μιλτιάδου τῦ Κίμωνος προκηρυκευσαμένυ πρὸς Λακεδαιμονίυς, ὄντος προξένου, σπονδὰς τοῦ πολέμου πεντηκονταετεὶς ἐποιήσαμεν, ἐχρητάμεθα αὐταῖς δὲ ἔτη τριακαίδεκα. Aeſch. π. παραπρεσβ. non procul a fine. Ad *quartam* vero properat, in qua magnopere exultat. Criſis mea. Habita eſt, ſi Muſis placet, *contra Alcibiadem.* Ita *Harpocratio* cum alibi, tum in voce Εὐανδρία. Εὐανδρία. Παναθηναίοις Εὐανδρίας ἀγὼν ἦγετο. Ανδοκίδης δ' ἐν τῷ κατ' Αλκιβιάδε δηλοῖ, καὶ Φιλόχορος. Primum itaque reſtituamus eam vocem orationi, nam hodie in ea neutiquam comparet. Locum autem habebit in ipſo exitu orationis, Καίτοι τυγχάνω νενικηκὼς εν ανδρια καὶ λαμπάδι, καὶ τραγωδοῖς. *Vox* iſta Ανδρία *ſuſpecta* fuit doctiſſimo *Palmerio*, qui *de eo agone nihil vnquam* ſe *legiſſe* profitetur; quoniam autem Λαμπαδηφορία ἀγὼν (ab Oratore proxime memoratus) *celebrabatur in* Academia, *dubitat, num* Andria *vox inrepſerit pro* Academia, *quae forte per abbreuiationem quandam ſcripta fuerat.* Tu autem pro εν ανδρια lege εὐανδρια. Quis negat? Ego interea maius opus moueo. 1. Diſputatur in hac cauſa quemnam potius ex tribus decennali iſto exſilio, quod *oſtraciſmum* vocant, plecterent Athenienſes. Ο μὲν οὖν ἀ-

γὼν ὁ παρὼν, οὐ σεφανηφόρος, ἀλλ' εἰ χρὴ μηδὲν ἀδικήσαντα τὴν πόλιν δέκα ετη φεύγειν. οἱ δ' ἀνταγωνιζόμενοι περὶ τῶν ἄθλων τούτων ἐσμὲν εγω καὶ Αλκιβιάδης καὶ Νικίας· ὧν ἀναγκαῖον ἕνα τῇ συμφορᾷ περιπεσεῖν. Edit Steph. p. 29. 2. Deinde, Orator, quicunque fuerit, memorat, se domo esse humili potius et ignobili, quam illustri, Εἰ δεῖ κατὰ γένος (vel vt feliciter saltem *Stephanus* καὶ το γένος) σκοπεῖν, ἐμοὶ μὲν ἐδαμόθεν προσήκει τούτου τοῦ πράγματος. p. 33. 3. Porro legationes suas recenset, quibus honorifice et in ciuitatis salutem functus est: Εγὼ πρεσβεύτας εἰς Θετταλίαν καὶ Μακεδονίαν καὶ εἰς Μολοσσίαν καὶ εἰς Θεσπρωτείαν καὶ εἰς Ιταλίαν καὶ εἰς Σικελίαν τοὺς μὲν διαφόρους ὄντας διήλλαξα, τοὺς δ' ἐπιτηδείους ἐποίησα, τοὺς δ' ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν ἀπέσησα. p. 34. Iam meum est, vt veris, si possim, vincam haec quasi oris lineamenta *Andocidem* minime referre, deinde vt producam quem referant maxime. Interea autem, dum me ista cura exerceat, expendenda est *Athenaei* auctoritas, qui hanc orationem quodammodo *Lysiae* nostro adsignet: cum l. 9. sub finem laudet ex eius oratione *adu. Alcibiadem* voces Τοῖς χρυσοῖς χερνίβιοις καὶ θυμιατηρίοις, qui locus continuo legitur in oratione prae manibus, p. 33. πρότερος τῆς πόλεως χρήσασθαι τοῖς χρυσοῖς, χερνίβοις (l. χερνιβείοις) καὶ θυμιατηρίοις. Attamen eam locutionem vsurpare potuit vterque, et *Lysias* et noster, siue *Andocides*, siue quisquam alius: vel in Auctoris nomine cespitauerit summus ille scriptor: certe ad *Lysiam* multo minus spectat, quam ad *Andocidem*. Aio autem neque ad *Andocidem*. Primo enim id confirmo, quantum sc, ea res confirmari possit, *negando*. 1. Nam *Andocides*, quantum ex historiae monumentis liquet, nunquam cum Alcibiade et Nicia de ostracismo decertauit. 2. Deinde non ea fuit *Andocidi* generis condicio, vt hanc domus suae obscuritatem liquido adfirmare

mare posset, qui alibi nominis sui splendorem iactare soleat, Καίτοι ἐκ ἐνειδος ὑμῖν ἐστιν ἡ Ανδοκίδου καὶ Λεωγόρᾳ οἰκία ὅσα. qui maiorum res gestas, οἳ πλείστας μὲν στρατηγήσαντες στρατηγίας, πολλὰ τρόπαια τῶν πολεμίων καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν ὑμῖν ὑπέδειξαν, πλείστας δὲ ἄλλας ἀρχὰς ἄρξαντες κ. τ. λ. qui denique Mercurio satus generis sui summam et religiosam antiquitatem, οἰκία δὲ πασῶν ἀρχαιοτάτη καὶ κοινοτάτη ἀεὶ τῶν δεομένων. 3. Tertio autem *Andocides*, vt discimus ex *Lysia*, Siciliam, Italiam, Peloponnesum, Thessaliam, Hellespontum, Ioniam, Cyprum peragrauit, sed priuatus, sed in ἀποδημίᾳ: nostrum autem. vides in Thessalia, Macedonia, Molossia, Thesprotia Italia et Sicilia legationes praeclare obiisse: Quae quam diuersa! Iam ergo vt declarem, quis Orationem hanc conscripserit, primum, id quod paucissimis ante me contigisse video, monendum est frustra in bibliothecis quaeri, quem hodie commendo: nouus tibi hodie salutandus est hospes, priusque tibi commonstrandus, quis sit, quem velim, quam quod ea, quae velim, conscripserit. Totum excute *Argiletum*, non erit ex *Sosiis*, qui tibi confirmabit, PHAEACEM quendam sibi vnquam aera meruisse. Quotus quisque est ex crumenimulga ista disciplina, qui non protinus exclamet, Mi homo! operam ludis. Canonistae quidem apud nos non vaeneunt, neque Scoti familia familiam meam alere possit, at ceteros interea omnis noui perquam familiariter, religaui, distraxi (addet fortasse EDIDI,) doctos, indoctos; antiquos, neotericos; eos, quos Minores legunt quotidie, eosque, qui Maiores legerint nunquam; eos, qui scripserint, vt legendo bene sit aliis, eosque, qui vt comedendo bene sit sibi. Meam autem ceram nunquam signauit Phaeax. Valebis. Quod si in Eruditorum bibliothecis hominem velis demonstrari quis sit, aut quem pluteum habitet, tibi com-

monstrari, tantundem est. Quem igitur legis, vt noris, accipe. Phaeax, qui cum Alcibiade vixit, δεινὸς ξήτωρ memoratur ab *Aristoph.* σχ. ad illa *Equitum* v. 1374.

Σοφός γ' ὁ Φαίαξ, δεξιῶς τ' ἐκ ἀπέθανε.
Συνερκτικὸς γάρ ἐστι, καὶ περαντικὸς,
Καὶ γνωμοτυπικὸς, καὶ σαφὴς καὶ χρυσικὸς,
Καταληπτικός τ' ἄριστα τῶν δεριβητικῶν.

Ille (vt τὸ δεξιῶς ἐκ ἀπέθανε exponit *Scholiastes*) causa capitis dicta ἐπαυτοφώρῳ, facundiae debuit salutem. Concordant omnia. Confirmat enim noster Orator se olim capitis causam dixisse; fuisse sententiis iudicum absolutum; duos deinde, qui in eadem secum fuerint causa, dissimili tamen vsos esse fortuna et mortem subiisse. Locum producam, vt vna emendem. Exstat autem pag. *Edit. Steph.* 34. ineunte: Καίτοι σὺ δήπου, ὦ Ἀθηναῖοι, ὀρθρακισθῆναι μὲν ἐπιτήδειός εἰμι, τεθνάναι δὲ ἐκ ἄξιος· ἐδὲ κρινόμενος μὲν, ἀποφυγεῖν, ἄκριτος δὲ, φυγεῖν. ὁ δὲ (rectius ἐδὲ) τοσαυτάκις ἀγωνιζόμενος δικαίως (l. ἀδίκως) καὶ νικήσας, πάλιν δόξαμι δι' ἐκεῖνα ἐκπεσεῖν. ἀλλὰ γὰρ ἴσως μετὰ μικρᾶς διαβολῆς ἢ φαύλων κατηγόρων, ἢ διὰ τῶν ἐπιτυχόντων ἐχθρῶν ἐκινδύνευον, ἀλλ' οὐ διὰ τῶν ἐρρωμενεστάτων καὶ λέγειν καὶ πράττειν· οἵτινες δύο τῶν τὴν αὐτὴν αἰτίαν ἐχόντων ἐμοὶ ἀπέκτειναν. Verum vt disertius explicetur, quemadmodum ea, quae cum *Andocide* pugnant, *Phaeaci* competere videantur, 1. liquet *primo* ex *Plutarcho* in *Alcibiade*, et *Nicia*, disputari olim de ostracismo inter PHAEACEM, ALCIBIADEM, et NICIAM. *Plutarch. Edit. Bryan.* tom. 2. p. 16. vbi dicitur, Alcibiadem, cum primum ad Remp. accessit, nactum esse aduersarios duos prae caeteris, Phaeacem Erasistrati et Niciam Nicerati: Phaeacem cum in alijs rebus, tum in oratione maxime Alcibiadi cedere. Nam quanquam ex eo loco, quem in Rep. tenuit,

tenuit, neceſſe fuit, vt populum nonnunquam concione compellaret, plus tamen ſemper in colloquiis priuatis et ſermonibus domeſticis profeciſſe, quam valuiſſe forenſi eloquentia, vt de eo *Eupolis* comicus ſcriberet

Λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν.

Hunc igitur III viratum, vbi populus ad ſolatium potius inuidiae, quam timoris, cuiusdam Hyperboli hortatu, in exſilii decennalis diſcrimen impulit, καὶ δῆλον ἦν, ὅτι ἐνὶ τῶν τριῶν τὸ ὄστρακον ἐποίσουσι, verbis ipſiſſimis *Plutarchi* vtor, ibi Alcibiades adunatis conſiliis cum Nicia, vel, iuxta alios, cum Phaeace, metum omnem et periculum in Hyperbolum conuertit nihil tale cogitantem. Non enim in homines aut obſcuro genere natos aut infamia aliqua conſtrictos, ſed in ſummos vbique et populo ob fortunas aut potentiam ſuſpectiores id genus poenae ſemper cadebat, vnde de Hyperbolo *Plato* Comicus,

Καίτοι πέπραχε τῶν τρόπων μὲν ἄξια,
Αὐτοῦ δὲ καὶ τῶν σιγμάτων ἀνάξια,
Οὐ γὰρ τοιούτων εἵνεκ' ὄστρακ' εὑρέθη.

Eum exitum habuit iſta contentio, cum quoque et ipſa poenae ratio. Poenituit enim Rempublicam Hyperbolum hominem nequiſſimum, faecem populi, et cruce magis, quam teſta dignum, ea poenae dignitate cenſeri, qua fortiſſimum quemque ciuem, Themiſtoclem, Ariſtidem, ceteroſque olim cenſuiſſent. Deſiuit ergo et abſumpta eſt in hoc poenae errore poenae, quoque natura, neque vltra Hyperbolum, qui iſtam nobilitatem exſilii quaſi contaminaſſe videtur, quiſquam alius oſtraciſmum ſubiiſſe dicitur. (11) *Secundo* autem, Phaeax Eraſiſtrati neque domo admodum nobilis, nepue maioribus clarus, recte ea, quae dixit, potuit proferre. Gens Eraſiſtrati nullam in Vett. monumentis dignitatem conſecuta eſt; primus erat, qui nobilitauit, noſter Phaeax, cuius deinde nepos ex fratre Eraſiſtratus inter XXX viros

fuisse videtur: nam de eo intelligo verba ista *Platonis* in *Eryxia*, init. Ετυγχάνομεν περιπατοῦντες ἐν τῇ στοᾷ τοῦ Διὸς τοῦ Ελευθερίου, ἐγώ τε καὶ Ερυξίας ὁ Στειριεύς· εἶτα προσελθόντων ἡμῖν Κριτίας τε καὶ Ερασίστρατος ὁ Φαίακος τοῦ Ερασιστράτου ἀδελφιδοῦς· quem locum Interpres duplici lumbifragio ornauit, *Critias et Erasistratus Phaeacus*, (quasi esset nomen gentile) *Erasistrati ex fratre nepos.* Verte, vt debes, *Critias et Erasistratus Phaeacis Erasistrati filii ex fratre nepos.* (111) Quod autem erat vltimum, B. Peloponnes. anno 1omo noster Phaeax cum duobus Collegis missus erat ab Atheniensibus legatus in Italiam atque Siciliam ad confirmandos sociorum animos, ceterorumque, si fieri potuit, irritandos adu. Syracusios, quorum potentiam Athenienses imminutam cupiebant maxime. Cui quidem legatione aliqua ex parte satisfecit. Haec dabit *Thucydides* V. 4. Si cui haec parum satisfaciant, vnum hoc addam nulla vi infirmandum, quod suppeditabit locus huius Orationis cum *Plutarchi* alio in *vita Alcibiadis* conferendus. Vterque tamen antea a me sanandus. Locus *Phaeacis* (finito, vt ita tandem auctorem nostrum compellem) exstat Edit. *H. Steph.* p. 33. init. Ινα — τὴν πόλιν ὅλην ὑβρίζων ἐπιδέξεται [Alcibiades] τὰ πομπεῖα παρὰ τῶν ἀρχιθεωρῶν αἰτησάμενος, ὡς εἰς τὰ πινάκια τῇ προτεραίᾳ τῆς ουσιας χρησόμενος, ἐξηπάτησε, καὶ ἀποδῶναι οὐκ ἤθελε, βουλόμενος, τῇ ὑστεραίᾳ πρότερος τῆς πόλεως χρήσασθαι τοῖς χρυσοῖς χερνιβίοις καὶ θυμιατηρίοις. ὅσοι μὲν οὖν τῶν ξένων μὴ ἐγίνωσκον ἡμέτερα ὄντα, τὴν πομπὴν τὴν καινὴν ὁρῶντες ὑστεραν οὖσαν τῆς Αλκιβιάδου, τοῖς τότε πομπείοις χρῆσθαι ἐνόμιζον ἡμᾶς. Tentabat *Palmerius* τῇ πρωτῃ καὶ τῇ επιουσῃ, *vt sit prima et secunda dies Mysteriorum. Nam*, ait ille, ἡ ἐπιοῦσα *est Dies, quae aliam sequitur, vnde forte secundus a primo Mysteriorum* ἡ ἐπιοῦσα *dicebatur, Sic nos Gallice*, Le lendemain de la feste. Verum fallitur

Vir

Vir doctissimus. Quod nos *Postridie Festi* diceremus, id Graeci hoc modo efferunt. *Plutarch. de fortun. Roman.* Ἔφη γὰρ τὴν ὑστεραν ἐρίσαι πρὸς τὴν ἑορτην, λέγεσαν, ὡς ἐκείνη μέν ἐσι κομπώδης καὶ ἄσχολος, ἐν αὐτῇ δὲ τῶν παρεσκευασμένων ἀπολαύσει μεθ' ἡσυχίας. Miror maxime *Palmerium* latere potuisse medicinam tam facilem, tam expeditam, qua sola hoc vlcus sanari potuit. Quantillum interest inter θυσιας et ουσιας, attamen quantas turbas hic dedit pauxillula ista differentia? Τῇ προτέρα τῆς θυσιας *Pridie Festi.* Similem, imo similimam labem eluo ex *Lycurgo* Edit. H. Steph. p. 168. ἀλλ' ἦκη ἱερῶν, θυσιων, ἀγορᾶς, νόμων, πολιτείας μεθέξων. Male hodie excusum ουσιων. Verum vt ad causam quam proxime accedam, locus ille, quem memoraui modo et expurgaui, confirmatur scribi a *Phaeace*, et quidem in eius oratione *c. Alcibiadem.* Qui confirmabit, is, vt monui, est *Plutarchus*, verum non nisi ad Codicis emendatioris fidem atque auctoritatem prius restitutus. Ille enim in *Alcibiade*, vbi dixisset Phaeacem ἐντευκτικὸν potius fuisse, quam ἀγῶνας φέρειν δυνατὸν, subiungit continuo, Φέρεται δε καὶ λόγος τις κατ' Αλκιβιάδε και Φαίακος γεγραμμένος, ἐν ᾧ μετὰ τῶν ἄλλων γέγραπται, κ. τ. λ. Quid autem istud δέ? Quaenam aut qualis ista correctio? Diceretne quaeso, „Quanquam *Phaeax in foro et in concione causas minus frequenter egit*, nihilo minus *in manibus versatur oratio* contra hunc et Alcibiadem *habita?*„ Ridicule. Fac restituas cum Cod. MS. *Aldino*, Φέρεται δὲ καὶ λόγος τις κατ' Αλκιβιάδε υπο Φαίακος γεγραμμένος. Ibi quid scribitur? Nam in eo eram, nisi vulgatae lectionis vitium me interpellasset. Ibi μετὰ τῶν ἄλλων γέγραπται καὶ ὅτι τῆς πόλεως πολλὰ πομπεῖα χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ κεκτημένης, Αλκιβιάδης ἐχρῆτο πᾶσιν αὐτοῖς ὥσπερ ἰδίοις πρὸς τὴν καθ' ἡμέραν θίασιν. Tu, qui legis haec, memineris disputationem

nem hanc omnem non indiligenter admodum a me esse tractatam, aut, quod multi faciunt, me commentum procudisse nouantiquum; verum constanter, vbi tempus ad eam rem tulerit, meae famae periculo cites ORATIONEM PHAEACIS CONTRA ALCIBIADEM.

CAP. VII.

Disputatur de Fide libelli, qui inscribitur Βίοι τῶν δέκα Ῥητόρων, *et* Plutarcho *vulgo adtribuitur. Percurritur* Vita Antiphontis, *quae et aliquoties emendatur.*

Quicunque antiquos Scriptores siue Graecos siue Latinos euoluit, eisque non indiligentem animum aduertit, nae ille facile intelliget, multa hodie circumferri, quae Antiquitas non nouit; et eadem opera mirabitur eorum hominum vesaniam, qui cum ipsi fuerint nullo acumine a faece Romuli discreti, maximorum interea ex omni antiquitate ingeniorum splendidissima nomina ementiantur. Ista fide nobiscum egit, vt pluribus vbique argui, ineptus scriptor Vitarum X Rhetorum, quae sub *Plutarchi*, at quali! nomine passim vaeneunt. Nam si in ipso limine operis sistamus, atque de sola *Antiphontis* vita, qui Oratorum aetate primus fuit, quaestio habeatur, quot mendacia contexuit deglutienda, quas fabulas mussitandas a pueris et ab iis, qui pueriliter, i. e. leui cum iudicio *Plutarchum* lectitare soleant? Ne autem a me καταῤῥητορεύσθω, aut Sycophantam agere videar, agedum lege mecum, si velit, immo etiamsi nolit, experiatur. Tu autem, praeco, fac silentium. Ἀκούετε, λεώς· Ἀδικεῖ Πλούταρχος, περὶ τῶν δέκα ῥητόρων ἃ οἱ πρόγονοι ἡμῶν ἐνόμιζον ἃ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ καὶ τερατώδη εἰσφέρων, καὶ τῶν νέων τὰς ἀκροάσεις διαφθείρων. Vt igitur distinctius omnia et dilucidius cognoscantur, dispiciendum est primum sedulo et sigillatim de condicione nonnullorum

rum hominum, qui *nominis* solummodo ANTIPHONTIS communione videntur inter se ipsos esse coniuncti: vnde conuincam, ea, quae de diuersis diserte ab optimis scriptoribus tradantur, ad hanc portentosam vitam conflandam vndique conuenisse. (I) ANTIPHO Sophili F. Rhamnusius Cratorum primus. Tyrannidem ille τῶν CCCC impensissime adiuuit, adeoque a populo recuperata libertate, damnatus. *Thucyd. Photius* aliique. Nos in vita *Lysiae* p. xxxix. seqq. (II) ANTIPHO Sophista, Athenienſis quoque, quem memorat *Xenoph. Memorabil.* I. extr. cum Socrate quondam disceptasse. De eo *Hephaestio* Grammaticus, teste *Athenaeo* l. 15. commentarium integrum scripsit, περὶ τῦ παρὰ Ξενοφῶντι Αντιφῶντος. Eundem fuisse Antiphontem, qui cum Socrate disputauit, atque Τερατοσκόπον, siue Ονειροκρίτην a plurimis laudatum tradatur *Laertius* in *Socrate* §. 46. Τούτῳ [Socrati] ἐφιλονείκει Αντιόλοχος Λήμνιος, καὶ Αντιφῶν ὁ τερατοσκόπος. Suidas etiam et τερατοσκόπον vocat et σοφιστὴν, et ab *Antiphonte* Rhamnusio discernit. Eosdem discernit etiam *Hermogenes de formis Orat.* l. 2. Πλείους μὲν γεγόνασιν Αντιφῶντες· δύο δὲ οἱ σοφιστεύσαντες — ὧν εἷς μέν ἐστιν ὁ Ρήτωρ· ἔπερ οἱ φοινικοὶ φέρονται λόγοι, καὶ δημηγορικοὶ, καὶ ὅσοι τούτοις ὅμοιοι· ἕτερος δὲ ὁ καὶ Τερατοσκόπος καὶ Ονειροκρίτης λεγόμενος γενέσθαι, ἔπερ οἵτε περὶ τῆς Αληθείας λέγονται λόγοι, καὶ ὁ περὶ Ομονοίας, καὶ οἱ δημηγορικοὶ καὶ ὁ πολιτικός. Vbi male οἱ δημηγορικοὶ vtrique adtribuuntur, et male quoque, vt videtur, ὁ πολιτικὸς posteriori. Ita igitur lege in superiori commate καὶ δημηγορικοὶ καὶ ὁ πολιτικὸς, καὶ ὅσοι τούτοις ὅμοιοι. sc. quotcunque ad Rhetoris officium spectare videntur. Ad hunc *Antiphontem* omnino pertinet, quod habet *Theodoret. Serm.* VI. *de Dei prouidentia.* Αντιφῶν δὲ, τινὸς δυσχεράναντος, καὶ οἰωνὸν χαλεπά τινα σημαίνειν νομίσαντος, ὅτι ἡ ὗς τὰ οἰκεῖα κατέ-

κατέφαγεν ἔγγονα, Χαῖρε, εἶπεν, ἐπὶ τῷ σημείῳ, ὅτι πεινῶσα τὰ σὰ ἐ κατέφαγε τέκνα. Eadem refert *Clem. Alexandr. Strom.* 7. Memoratur inter Onirocriticos a *Tertullian. de Anima.* c. 46. Καὶ τὸ μαντεῖον, ἓ προεισήκει προφητεύων Αντιφῶν, ὁ τῶν ὀνείρων ὑποκριτής. ταύτης ἐπὶ τῷ ὕπνῳ λαχὼν τῆς τιμῆς. *Lucian. V. Hiſtor.* 2. Coniunge *Artemidorum* II. 14. *Fulgentium*, *Melampodem* περὶ παλμῶν. Laudat *Serec. Controu.* l. 2. *Otho Iunius — edidit quatuor libros colorum, quos bello Gallico noſter* Antiphontis *libros vocabat. Tantum in illis* ſomniorum *eſt.* Laudat item *Cic.* II. *de Diuinat.* 70. *Quid? ipſorum Interpretum coniecturae, nonne magis ingenia declarant eorum, quam vim conſenſumque naturae? Curſor ad Olympia proficiſci cogitans viſus eſt in ſomnis curru quadrigarum vehi. Mane ad Coniectorem. At ille, Vinces, inquit: id enim celeritas ſignificat, et vis equorum.* Poſt idem ad Antiphontem. *Is autem, Vincere, inquit, neceſſe eſt. Annon intelligis Quatuor ante Te cucurriſſe?* Alius igitur ab *Antiphonte* Rhetore, ſed et aetate et gente coniunctus *Antipho* Sophiſta et Onirocriticus. (111) Eadem Ciuitas procul dubio, quanquam id non diſerte traditur, quae duos priores, tulit etiam *Antiphontem* Tragicum. Is a Dionyſio Siciliae Tyranno in conuiuio interrogatus, quodnam aes ei optimum eſſe videretur, Illud, inquit, ἐξ ἓ κατεσκεύασαν Αθηναῖοι τὰς Αρμοδίε καὶ Αριστογείτονος εἰκόνας. Quod cum Regi vehementer diſplicuit, verito ſc. ne ea res ad ſeditionem pertineret, ab eodem eſt interemptus. Vid. *Plutarch. de diſcrimine Amici et Adulatoris*, et in libro *de Stoicorum repugnantiis.* Tu ergo de his ſemper diſtincte, vt debes, neque interea ſis neſcius pluris fuiſſe Antiphontas, quos fortaſſe ille commiſit. Sed iam tempus eſt, vt diſpiciamus, quid ſcripſit. Antipho, ait ille, Sophili F. μαθητεύσας τῷ πατρί. Procedente tamen oratione refert *Caecilium*, qui commentarium

rium de *Antiphonte* scripsit, credidisse hominem *Thucydidis* fuisse discipulum. Eadem fere habet *Photius*. Οὗτος τῷ οἰκείῳ πατρὶ Σοφίλῳ σοφιζεύοντι μαθητεῦσαι λέγεται· Κεκίλιος δὲ Θουκυδίδε τὸ συγγραφέως μαθητὴν γεγονέναι φησὶ τὸν ῥήτορα. De vtraque *schola* pauca, quoniam hominem sua ipsius auctoritate vincam. Qui Athenas Atticas norunt, sciunt illi, etiam me non admonente, serius illic disciplinae istius ludos aperiri, quam vt Antiphontis pater profiteri posset. Aiunt plurimi Antiphontem ipsum primum artem profiteri, in quibus est ipse *Plutarchus* proximo fere commate. Porro autem Sophilus, vt hic scribitur, non solum Antiphontem filium, sed Alcibiadem quoque erudiuit, ita enim intelligo verba ista, quantum sc. verba parum Graeca intelligere possum. Ω καὶ Αλκιβιάδην φασὶν ἔτι παῖδα ὄντα φοιτησαι. Haec non iat tibi temporibus distincta, Daue. Antiphontem ipsum non nisi senem vidit Alcibiades. Hoc ex monumentis istorum temporum colligitur, tuaque adeo oratione in hoc ipso commentariolo. Modo enim: τούτῳ εὕροι τις ἂν ἐπιβεβληκότας Αντιφῶντι πρεσβύτῃ ἤδη ὄντι, οἷον Αλκιβιάδην, Κριτίαν, Λυσίαν, Αρχίνοον. (l. Αρχῖνον). De Sophili schola tantum: Non felicius cessit altera Thucydidis. Nam per aetatem video non eum Antiphontem, sed Antiphontem Thucydidem instituisse potius. Atque id diserte tradunt *Suidas*, *Marcellinus* in *vita Thucydidis*, et *Hermogenes*. Quod verum esse arbitror. Et fortasse ita scripsit Auctor noster. *Plutarchi* enim Codd. MSS. nonnulli, inter quos sunt *Turnebi* et *Vulcobii*, pro Θουκυδίδε μαθητὴν, Θουκυδίδε διδασκαλον reponunt. Sed de his satis. Sequitur, Καὶ δύναμιν λόγων κτησάμενος — ὥρμησε μὲν πολιτεύεσθαι, διατριβὴν δὲ συνέζησε. Nae Tu fortunae ludibrium, Antipho! Nimirum hoc est, quod dicitur, *de Consule Rhetor*. Sed quo pacto se in ea palaestra

laestra exercuit, sc. διατριβὴν δὲ συνέσησε καὶ Σωκράτει τῷ Φιλοσόφῳ διεφέρετο, ὡς Ξενοφῶν ἱστόρηκεν ἐν τοῖς ἀπομνημονεύμασιν. Non audio. Alium fuisse docui. Deinde, Καί τινας λόγους τοῖς δεομένοις τῶν πολιτῶν συνέγραφεν εἰς τὰς ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἀγῶνας. Credo sane, nam id diserte dicitur a *Thucydide* l. 8. qui hunc praeceptorem suum senem describit: sed quid sequitur, πρῶτον ἐπὶ τοῦτο τραπείς. Ex iis, quae sequuntur, liquet, *primum* fuisse Antiphontem, qui hoc dicendi genus tractauit. Dicitur enim Τῶν γεγονότων πρὸ αὐτοῦ γενομένων ἄδηλος φέρεται δικανικὸς λόγος. Ita *Clemens Alexandrinus* Strom. I. Φασὶ δὲ καὶ τὰς κατὰ διατριβὴν λόγους, καὶ τὰ ῥητορικὰ ἰδιώματα εὑρεῖν καὶ μισθοῦ συνηγορῆσαι πρῶτον δικανικὸν λόγον εἰς ἔκδοσιν γραψάμενον Ἀντιφῶντα Φυλῆ Ραμνούσιον. Dixisset itaque potius πρῶτος ἐπὶ τοῦτο τραπείς· vti *Photius* Συντάξαι δὲ αὐτὸν καὶ πρῶτον, φασὶ, τὰς ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἀγωνιστικὰς λόγους. Iam sequitur hominis aetas: Γέγονε κατὰ τὰ Περσικὰ καὶ Γοργίαν τὸν σοφιστὴν, ὀλίγῳ νεωτερος αὐτοῦ. Quid *Photius?* Contrarium prorsus. Χρόνος καθ', ὃν ἤκμαζεν, ἐν ᾧ διαπέπρακται τὰ Περσικὰ, ὀλίγῳ πρεσβύτερον Γοργίου τοῦ σοφιστοῦ γεγονώς. Deinde interemptum fuisse a XXX viris memorat auctoritate *Lysiae* et *Theopompi*. Quid *Theopompus*, nescio: Quid *Lysias*, tantundem. Excidit enim oratio. Id interea scio: exstare aliam orationem *Lysiae*, p. 427. 7. vbi diserte dicitur, Antiphontem a populo capite plecti post repressam CCCC virorum dominationem. Ergo non ea dixit *Lysias*, aut de alio Antiphonte omnino dixit. Quod, ne quid dissimulem, video Scriptori nostro in mentem venisse: subiungit enim, ἀλλ' ἔτός τε ἂν ἡμερώτερος Λυσιδωνίδου πατρὸς· καὶ Κρατῖνος ἐν Πυτίνῃ δ' πονηρὸν μνημονεύει; quae verba, vt aliquem exinde sensum elicere possem, neque inclementius cum scriptoris fama, quam par est, agerem, ita restitui

tui posse existimo: Οτι δὲ ὑπὸ τῶν λ̄ ἀπέθανεν, ἱστορεῖ Θεόπομπος — ἀλλ' ἔτός τε ἂν εἰη ἕτερος, Λυσιδωνίδε πατρὸς, ου Κρατῖνος ἐν Πυτίνῃ ως πονηρε μνημονεύει. In proximis non contentus tanta varietate supplicii, Tragicum facit et a Dionysio Tyranno interemptum narrat, vel quod istud aes praestantissimum se habere dixit, vnde conficerentur statuae Harmodii et Aristogitonis, vel quod Regis tragoedias exsibilaret. Tu, qui priora legisti, noris haec esse errores et portenta magna. Sequitur, Κεκωμῴδηται δὲ εἰς Φιλαργυρίαν ὑπὸ Πλάτωνος σὺν Πεισάνδρῳ. Nonnulli pessime haec interpretantur: *Eum sc. fuisse et a Platone et a Pisandro exagitatum.* Expediet *Photius.* Κωμῳδεῖ αὐτὸν Πλάτων ἐν Πεισάνδρῳ. Laudatur ab *Athenaeo* et *scholiastae Aristophanis* ceterisque bene multis Fabula *Platonis* Comici, cui nomen dedit Πεισάνδρῳ· in qua et Pisandrum et Antiphontem potuit proscindere, adeo vt recte se haberet et *Photius* et *Plutarchus*, Κωμῳδεῖσθαι sc. Antiphontem a *Platone* vel σὺν Πεισάνδρῳ, vel ἐν Πεισάνδρῳ. Deinde, Λέγεται δὲ τραγῳδίας συνθεῖναι καὶ ἰδίᾳ καὶ σὺν Διονύσῳ τῷ τυράννῳ. Iterum miscet non miscenda. Tragoedias scripsit non Rhamnusius, sed Tragicus. Et, licet eosdem fere errores errauerit de *Antiphonte* vterque et *Photius* et *Philostratus*, eos tamen *Plutarcho*, homini acerrimo, condonabo nunquam. Talem commentarium scripsisse *Plutarchum* notum est, idque testatur Lamprias F. Quae hodie leguntur, nugiuendoli sunt scriptoris, propagantis *Photianos* errores, eosque suis ineptiis et deliramentis mactantis.

CAP. VIII.

Fames, illegitimum poenae genus. Vindicatur emendatio Lyſiae. *Quid ſit* καταράσασθαι πρὸς Εσπέραν. *Hierophanta. Emendatur* Pauſanias, *et* Iſaeus.

Ineunte oratione *contra Andocidem* p. 190. 2. notatur Sacrilegus quidam (nomen eius in neutra aduerſariarum Orationum occurrit) *luctuoſiſſimo* mortis genere interiiſſe, *fame diuinitus immiſſa*. Οὗτος ἂν ὁ ταῦτα ποιήσας, θανάτῳ τῷ ἀλγίστῳ ἀπώλετο, λιμῷ, ſunt verba *Lyſiae*. Λιμὸν καὶ λοιμὸν θηλατα κακὰ vocat *Philo de vita Moſis* l. 1. p. 619. Edit. Galen. *Lugubrem famem* dixit *Plaut. Ciſtell.* I. 1. 47.

Nam ſi haec non nubat; lugubre *mihi* fame *familia pereat.*

Homer. Odyſſ. M. 341.

Πάντες μὲν ϛυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
Λιμῷ δ' οἰκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν.

Lucian. Aſin. Ενθα ἐκπιὼν θανάτῳ οἰκτιστῳ ὀλόκληρος ἔτι καὶ ἀκέραιος νεκρὸς τεθνήξομαι. Plin. II. 63. *Illa* [Terra] *medicas fundit herbas, et ſemper homini parturit. Quin et venena noſtri miſertam inſtituiſſe credi poteſt: ne in taedio vitae* fames, mors terrae meritis alieniſſima, *lenta nos conſumeret tabe.* Salluſt. *Fragm.* l. 3. *Quem contra aetatem proiectum ad bellum facuiſſumum, cum exercitu optime merito, quantum eſt in vobis,* fame, miſerruma omnium morte, *confeciſtis.* His coniunge *Callimach. Hymn. in Cererem* paſſim. Addidi *diuinitus immiſſa*, licet id in *Lyſia* non diſerte dicitur, quoniam mirum eſt, quanta religione ab hac poenae ſiue acerbitate, ſiue foeditate potius dixerim, cauit ius humanum. Inde fit, vt cum *Marcianus* ICtus ait Iudices non tantam ſibi vſurpaturos eſſe damnandi licentiam, vt neceſſariis impenſis reum interdicant, *Cuiacius* confirmat in *neceſſariis* iſtis *impenſis* victum intelligi oportere:

tere: neminem ſc. vt fame pereat, eſſe condemnandum. Vid. *Cuiac. in l. ex ea parte* 120. §. *in inſulam D. de V. O.* Idcirco apud antiquos Romanos cum Veſtalis Virgo ob violatam pudicitiam ſub terram defoderetur, lucernam, panem, aquam, lac et oleum vna adiecere, ne videretur inedia perire. Nam ab illa, vt dixi, ſeueritate temperabant maxime. V. *Plutarch.* in *Numa* p. 145. *Edit. Bryan.* Sic apud *Sophocl. Antigon.* 784.

Αγων ἔρημος ἔνθ' ἂν ᾖ βροτῶν ςίβος,
Κρύψω πετρώδει ζῶσαν ἐν κατώρυχι,
Φορβῆς τοσοῦτον ὡς ἄγος μόνον προθεὶς
Οπως μίασμα πᾶσ' ὑπεκφύγοι πόλις.

σχ. ad loc. Εθος παλαιὸν, ὥςε τὸν βουλόμενον καθειργνύναι τινὰ ἀφοσιοῦσθαι βραχὺ τιθέντα τροφῆς, καὶ ὑπενόουν κάθαρσιν τὸ τοιοῦτο, ἵνα μὴ δοκῶσιν λιμῷ ἀναιρεῖν· τοῦτο γὰρ ἀσεβές. Veroſimile quidem eſt, id, quod *Marcianus* ait, ad minores tantum Iudices et priuatam iuriſdictionem pertinere: ad Principem ipſum aut P. R. maieſtatem trahi non oportere, qui ſaepe numero inedia ſontis plectebant. Ita turbulentam ſuam vitam confecit Iugurtha, ceterique. Eadem oratione exeunte, ad has voces, Καὶ ἐπὶ τούτοις ιερεια καὶ ἱερεῖς ςάντες κατηράσαντο πρὸς ἑσπέραν, p. 252. vlt. importuniſſimum iſtud ἱερεῖα memini me meo qualicunque obelo diſtinxiſſe, et ιερειαι reponere voluiſſe. *Voluiſſe* dixi, quoniam neſcio quo infortunio aut operarum incuria, adhuc ἱερεῖα locum non ſuum, id eſt in textu, occupat. Si poſt ea, quae ad locum dixi de feminis Cereris ſacra facientibus, aliquid ſit dicendum, habe. Ερήμην δ' αὐτοῦ [Alcibiadis] καταγνόντες καὶ τὰ χρήματα δημεύσαντες, ἔτι καταρᾶσθαι προσεψηφίσαντο πάντας ιερεις καὶ ιερειας, ὧν μόνην φασὶ Θεανω την Μενωνος Αγραυλῆθεν ἀντειπεῖν πρὸς τὸ ψήφισμα, φάσκουσαν εὐχῶν οὐ καταρῶν ιερειαν γεγονέναι. Plu-

tarch. in *Alcibiade*. Ἱερος δὲ Δημητρος εἶναι τέμμα φησὶ τὴν μυρρίνην καὶ τὴν σμίλακα· καὶ τὸν ἱεροφάντην καὶ τὰς ἱεροφαντίδας καὶ τὸν δαδοῦχον καὶ τὰς ἄλλας ἱερείας μυρρίνης ἔχειν στέφανον. Schol. *Sophocl. Oedip. Colon.* 674. Adde ex *Mazoch.* et *Grutero*,

CASPONIA. P. F.
SACERDOS. CERERIS.
PVBLICA.
POPVLI. ROMANI.
SICVLA.

Vides ſacerdotem *Siculam:* atque hinc fidem libero, quam ibidem nexu obligaui, et inluſtrari velim *actum* iſtum *legitimum κατηρτίσαντο πρὸς ἑσπέραν.* Romae, ait *Liuius* VII. 6. *M. Curtium, ſilentio facto*, templa *Deorum immortalium, quae Foro imminent, Capitoliumque* intuentem, *et manus nunc in coelum, nunc in patentis terrae hiatus ad Deos Manis porrigentem ſe deuouiſſe.* Hic Cereris Sacerdotes ad *occidentem ſolem* conuerſi, vnde Cereris ſacra petebantur, (allata ſunt enim ex Sicilia ad Atticam,) hominem religionibus ſuis deuouebant. *Aditum eſt ad libros Sibyllinos; in quibus inuentum eſt, Cererem antiquiſſimam placari oportere. Tum ex ampliſſimo Collegio* X*viralı Sacerdotes P. R. cum eſſet in vrbe noſtra Cereris pulcherrimum et magnificentiſſimum templum, tamen vſque Ennam profecti ſunt. Tanta enim erat auctoritas et vetuſtas illius religionis, vt cum illuc irent, non ad aedem Cereris, ſed ad ipſam Cererem profitiſci viderentur.* Cic. 4. *Verrin.* Ita *Ouidius* IV. *Faſt.* 21.

Grata domus Cereri: multas ibi poſſidet vrbis,
In quibus eſt culto fertilis Henna *ſolo.*

Ita Pluto, qui dum

curru atrorum vectus equorum
Ambibat Siculae *cautus fundamina terrae,*

Proſer-

Proserpinam *vidit et abripuit*, a *Sophocle* in *Oedip. Tyran.* vocatur ἑσπερος θεός. Diod. *Sic.* l. 5. init. Οἱ ταύτην ἓν κατοικοῦντες Σικελιῶται παρειλήφασι παρὰ τῶν προγόνων, ἀεὶ τῆς φήμης ἐξ αἰῶνος παραδεδομένης τοῖς ἐγγόνοις, ἱερὰν ὑπάρχειν τὴν νῆσον Δήμητρος καὶ Κόρης. Ε.... δὲ τῶν Ποιητῶν μυθολογοῦσι κατὰ τὸν τῦ Πλούτωνος καὶ Περσεφόνης γαμ.. [illegible] Λιος ἀνακάλυπτρα τῇ νύμφῃ δεδόσθαι ταύτην τὴν νῆσον· τῆς δε κατοικοῦντας αὐτὴν τὸ παλαιὸν Σικανὸς αὐτόχθονας εἶναί φασιν οἱ νομιμώτατοι τῶν συγγραφέων, καὶ τάς τε προειρημένας θεὰς ἐν ταύτῃ πρῶτος φανῆναι, καὶ τὸν τῦ σίτου καρπὸν ταύτην πρώτην ἀνεῦναι — Καὶ τὰς θεὰς δὲ ταύτας εὑρέσας [σῖτον] ἀκολέθως τοῖς εἰρημένοις, ὁρᾶν ἔστι μάλιστα τιμωμένας παρὰ τοῖς Σικελιώταις. Epigramma *Aristoclis.*

Δάματερ πολύκαρπε, σὺ κὴν Σικελοῖσιν ἐναργὴς
Καὶ παρ' Ερεχθείδαις· ἓν δέ τι τῦτο μέγα
Κρίνετ' ἐν Ερμιονεῦσι· τὸν ἐξ ἀγέλης γὰρ ἀφειδῆ
Ταῦρον, ὃν οὐκ ἀείρασ' ἀνέρες ἑδὲ δέκα,
Τῦτον γραῦς σείχασα μόνη μόνον ἅατος ἕλκει
Τόνδ' ἐπὶ βωμόν· ὁ δ' ὡς ματέρι παῖς ἕπεται.
Σὸν τόδε, Δάματερ, σὸν τὸ σθένος, ἵλαος εἶης,
Καὶ πάντων θάλλοι κλᾶρος ἐν Ερμιόνῃ.

Sequitur p. 256. 2. Διοκλῆς ὁ Ζακόρε τῦ ἱεροφάντε, πάππος ἡμέτερος. F. legendum, Διοκλῆς ὁ Ζακορος τῦ ἱεροφάντε, *Diocles* aedituus, *qui Hierophantae erat ab officiis*; non *Diocles* Zacori *Hierophantae filius*. Ratio suspicionis est, quoniam Hierophantae apud Athenienses vxorem ducere non licebat. *Hieron. Epist. ad Gerontiam de Monogamia.* Hierophanta *apud Athenas* euiratur *et aeterna debilitate fit castus.* Origen. *c. Cels.* l. 7. Καὶ εἴς μέν πε παρ' Αθηναίοις ἱεροφάντης, ἐδὲ πιστεύομενος ἑαυτῦ τὰς ἀρσενικὰς ὀρέξεις, ὡς Κύριος αὐτῶν εἶναι δυνάμενος, καὶ κρατεῖν αὐτῶν εἰς ὅσον βέλεται, κωνειασθεὶς τὰ ἀρσενικὰ μέρη, καθαρὸς εἶναι νομίζεται

πρὸς τὴν νενομισμένην παρ' Αθηναίοις ἁγιστείαν. Pau-
san. in *Corinth.* c. 14. Τῆς δὲ πόλεως [Phliunte] αἱ
Κελεαὶ πέντε πȣ σταδίȣς μάλιστα ἀπέχȣσι, καὶ τῇ Δή-
μητρι ἐνταῦθα δι' ἐνιαυτȣ̃ τετάρτȣ τὴν τελετὴν καὶ ȣ̓
κατὰ ἔτος ἄγȣσι. Ἱεροφάντης δὲ ȣ̓κ ἐς τὸν βίον πάντα
ἀποδέδεικται· κατὰ δὲ ἑκάστην [illegible] ἄλλοτέ ἐστιν ἄλ-
λος σφίσιν αἱρετὸς [illegible] λαμβάνων, ἣν ἐθέλῃ, καὶ γυναι-
[illegible], καὶ ταῦτα μὲν διαφορα τῶν ἐν Ελευσῖνι ὀνομάζȣσι
(l. νομίζουσι.) Verum enim vero salua esse potest et debet *Lysiae* vulgata lectio, quoniam ex monumentis huius populi aliunde adparet, Hierophantam ante susceptum Pontificatum et vxorem ducere et liberos suscipere potuisse. Vnde ait idem *Hieron. c. Iouinian.* l. 1. fin. *Hierophantas Atheniensium vsque hodie Cicutae sorbitione castrari*, et, postquam in Pontificatum fuerint electi, *viros esse desinere.* Isaeus *de Apollodori hereditate*, Διέθετο τὴν ȣ̓σίαν, καὶ ἔδωκε τῇ ἐκείνȣ μὲν θυγατρὶ, ἐμοὶ (l. ἐμȣ̃) δὲ μητρὶ, αὐτȣ̃ δὲ ἀδελφῇ, διδȣ̀ς αὐτὴν Λακρατίδῃ τῷ νῦν Ιεροφάντῃ γεγενημένῳ. Atque haec hactenus.

CAP. IX.

Indicantur duo fontes mendarum, quibus scatet Glossarium Hesychianum. *Emendatur octoginta circiter in locis. Tentatur* Homerus.

Memini me ad orationem istam, quae inscribitur περὶ τῆς Εὐάνδρȣ δοκιμασίας, p. 800. nota 35. admonuisse *Hesychium* pluries emendari posse vnico medicinae genere. Non te latet, mi lector, initialis, vt vocant, dictionum literas in vnoquoque istius Glossographi articulo *vel* a describente nonnunquam relinqui minio olim pingendas, quod minium casu aliquo pingi negligebatur, *vel* ita tenuiter exarari, vt aliquando literarum ductus vel Lynceos oculos effugeret. Constat certe ita euanuisse, cum descriptor Ιέρας, loco τȣ̃

τερας,

τερας, σημεῖον expoſuit, et locum tam magnifice, tam pulchre coctae gloſſae dedit inter voces, quae ab Iincipiebant. Dubitare me non ſinit doctiſſimi et (ſiue priuata officia recolam, ſiue publica in Rem literariam merita) nunquam a me ſatis praedicandi *I. Alberti* Harlemenſis ſpectatiſſima ſolertia, quin *Heſychius* iam ab eo prelo committendus et iſtiusmodi curationem et mea monita minime exſpectet. Condonabit tamen Vir aequiſſimus, et patienter a me dici audiet, quae ille propediem tanto dicturus eſt melius. Mos ſemper fuit, vt nos noui homines in hac Republica lacero illo gloſſatore qu. προεσόδῳ vteremur ad honores et dignitatem. Ibi eſt, quod vnusquisque noſtrum ἐγχίνειαν ſuam in inſuetum iter libret, et in ea palaeſtra ſe exerceat,

Dum conderet vrbem,
Inferretque Deos Latio.

Cum ergo *Heſychius* aliquid a me dici exſpectet, age experiamur, nunquid proferre poſſim, quod aliorum fugiat induſtriam. Et potiſſimum in duplici iſto mendarum fonte verſabitur commentatio noſtra, quem nuper indicaui, ſc. vbi Vox alienam ſedem occupauerit, *aut* quod exciderit litera initialis, *aut* quod imaginem ſuam et veſtigia diſſimulauerit. Neque ceteros fontis, vbi vſus venerit, negligemus. In δ. δυρεσθαι exponitur οδυρεσθαι (vt, non exponi, ſed legi oportuerat) κλαίειν, θρηνεῖν. In eadem litera δυαζει φλυαρεῖ eſt menda ipſa. Primo enim Δ et Λ literarum ſimilitudo librarium decepit, et Δυάζει pro Λυάζει ſcripſit. Videamus ergo, quid Λυάζει. Λυαζει, φλυαρεῖ, μωρολογεῖ, ταραττάζει. Nondum recte. Legendum enim φλυαζει. Verum neque ea vox rectius fere vel in ſua ſede exaratur. Ibi enim legere oportet Φλυάζει, (non φλεάζει, vt editur) φλυαρεῖ, ληρεῖ. Similiter in Λ. Λαζων, Ille interpretatur, Tu autem reſcribas αλαζων.

ζων. In π. πιτνας ἐκτεἰνων τίμια φασὶ, multa sunt menda. Primo enim euasit litera E, qua retracta ex fuga, lege porro non Επίτνας, verum Επιτεινας, quod recte ille exponit ἐκτείνων, vt debuit: Deinde, quod sequitur, sc. τίμια φασὶ, repetuntur ex articulo superiori desinente τὰς τιμωρίας πιτίμια φασίν. Pergit glossographus et mendosae glossae Πιτνὰς subiungit alteram Πιτνει, πίπτει, ἐκτείνει. Falsa haec. Πιτνεῖ quidem est Cadere, verum ἐκτείνει, quae est altera expositio, poscit ἐπιτεινει. Quod Tu in posterum non dubitabis legere. Eodem pacto Ληχοιον κανοῦν εὐ λοχέιον restitues ευληχοιον κανῆν ἐλοχέιον, et tibi conferenti fidem faciet glossa Ουλοχέιον. In Μώδιξ articulo non maior sanitas. Substituas enim pro Μωδιξ, Φλοξ, Φλυκτὶς, Σμωδιξ, Φλεψ, Φλυκτὶς. Confer Σμώδιξ et Φλέψ. In I legimus Ιγνυντο, ἠνοίγοντο. Hoc erat οιγνυντο, ἠνοίγοντο. Ibidem ιερον, ἔνυγρον, ἀγαθὸν, μέγα, ὅσιον καὶ ναός. Sit sane μέγα, sit ὅσιον et ναός. At interea ἔνυγρον est διερον. Διερόν· ὑγρόν· χλωρόν· ζῶον· ἔναιμον, etc. †, Διερός· λαμπρὸς ζῶν περιφανὴς. †. Διερὸς, διύγρος. In litera Θ excidisse arbitror non literam, sed syllabam. Θαζομενος, σκώπτων. Legerem enim ex *Hesych.* in Τωθαζω, Τωθαζομενος. Haec vox iterum corrumpitur. Nam pro Θωταζει, ἐμπαίζει, χλευάζει, legerem Τωθαζει. In P. legimus Ρισαντες, Φιλονεικήσαντες. Lego ερισαντες. In eadem litera ραιδηλες ἐμφανὲς. Vbi credo non extritam esse literam ducem, sed transpositam, et legi recte αριδηλες. Ibidem legitur ρηγων βοηθῶν. Quod nihil aliud est, quam αρηγων. In T. τητυμα, ἀληθῆ. Lege ετητυμα. In horum nonnullis serius didici meam Crisin esse praereptam. Non ignoro aliquando literam principem deficere ex populi alicuius aut gentis consuetudine. Ita Ιγα, σιώπα Κύπριοι. Ergo non temere Librarii socordiae imputabis,

bis, quod populi alicuius consilio vel saltem vsu est introductum. *Hesychius* enim, qui gentium sermones memorat *centum* fere et *triginta*, aliquando, immo saepissime, auctoritatem suam reticet, dissimulato nomine istius populi, qui dialectum formauit aut celebrauit. Βδάλλει apud eum est ἀμέλγειν. At cuiatium? Atticorum nempe, vt aliunde discimus, sc. ex σχ. *Theocr.* ad *Idyll.* II. 56.

Εμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας,

Vbi dicitur Εἰρηται δὲ βδέλλα παρὰ τὸ βδάλλειν, ὅ ἐστιν ἐξαμέλγειν τὸ αἷμα. τὸ γὰρ ἀμέλγειν Αττικοι βδαλλειν λεγεσι. Quae verba scholiastae leguntur fere, verum sine nomine gentis, apud *Hesych.* in Ἐβδηλλάμην. Eodem modo vox Θρόνα vel Τρόνα apud alias gentis et scriptores alias et maxime diuersas nacta est significationes, vt discimus ex eod. σχ. ad II. 59. Θρόνα, Θεσσαλοι μὲν τὰ πεποικιλμένα ζῶα· Κυπριοι δὲ τὰ ἄνθινα ἱμάτια· Αιτωλοι δὲ φάρμακα, ὥς φησι Κλείταρχος· Ομηρος δὲ τὰ ῥόδα. Ex his nonnullas habet *Hesychius*, (habebit saltem propediem, sc. vbi emendauerio) non tamen nobiscum ea fide egit atque scholiastes. Prodidit enim, quid dicantur, non quis dixit. Ecce in Θρόνον. Θρόνον τετράπεν καὶ τὸν ἱερὸν δίφρον, καὶ ἐκπεποικιλμένον. Scripsit procul dubio τετράπουν ἐκπεποικιλμένον, lacertam sc. aut animal simile, quod Thessali vocant Θρόνον. (Dum in his regionibus subsistam proximam vocem et emendari eiusque interpretationem vindicari velim. Θρονιτης, πρώτιξος. Fab. Χρώτιξος. Temerarius ille homo vix, credo, se ipsum intellexit. Tu retineas πρώτιξος, et emendes Θρανιτης. Hesych. in Θαλάμιος. Θαλάμιος λέγεται ὁ ἔσχατος· ὁ δὲ μέσος ζύγιος, ὁ δὲ ανωτατος θρανιτης.) In Τρόνα dedit Cypricum vsum. Τρόνα ἢ θρόνα ἀγάλματα, ἢ ῥάμματα ἄνθινα. Fortasse scripsit βαμματα, vel, quod potius suspicor iuxta scho-

liaſſen modo laudatum, ιματια, ἀνθινα. More hoc *Heſychii* obſeruato, cum et Εἶδαρ et Ιδαρ exponat βρῶμα, non vtique extemplo adnrmabis extritam eſſe alicuius incuria literam Ε in Ιδαρ, ne, quod communiter Εἶδαρ dicitur, id Cyprius, vel Aetolus, vel Syracuſius, mallet pronunciare Ιδαρ. Idem pene eſt, vt moneam de Ειαμεναὶ et Ιαμεναὶ, Εἴαρ et Ιαρ, Εἴθαρ et Ιθαρ, Εἴλαρ et Ιλαρ, Εἰρωνεία et Ἰρωνεία. Exponit ille Εἴκων, ὑποχωρῶν et Ἴκοντες, ὑπακούοντες, παραχωρῦντες. Εἰλαπίνη, θυσία, ἑορτὴ, et Ιλαπίνας, θυσίας, ἑορτάς. Εἴλεος dicitur ἡ τῦ θηρίου κατάδυσις, Ιλεος θηρίου φωλεός: Similiter Εἰλιγγιᾶν, σκοτῦσθαι, συσρέφεσθαι, et Ιλιγγιᾶν συσρεφῦσθαι, σκοτῦσθαι. Ita, Ερήνη κόρος· τέλος. (Tu fac emendes ειρην. κόρος, τελειος) et Ιρῆνες (potius Ιρήνες. Vid. *Kuſt.* ad *Suid.* v. Μελεήρην, et *Lexic. Herodot.*) μελέφηβοι. Nolis itaque emendaturienti ſimilis αιμενα ἐπιεκήμενα, ἔμπειρον, protinus exiſtimare reponendum eſſe δαιμενα, qu. δαημενα. quod ille pariter fere interpretatur: verum in *Homero* ſubſiſtere *Il.* Ε. 49.

Υιὸν δὲ Στροφίοιο Σκαμάνδριον, αιμενα θήρης. Saepiſſime innuere videtur, vtroque modo et dici et ſcribi. Ita Ιρεται, ἢ εἴρεται, συναπτεται. Ιπύα, σιπύα. Quaſi dixiſſet cellam panariam, vel ἀρτοθήκην, ab aliis Σιπύαν dici, ab aliis Ιπύαν. Λέκρανα ἢ ὠλέκρανα τοὺς ἀγκῶνας: vnde non dubitabis corrigere Ωλέκρανον ὁ Αγων ſic, Ωλέκρανον ὁ Αγκων. Aut, ſi dubites, conſulas gloſſam Αγεσὲς. ὠλέκρανα. εἰ δὲ ἄκρα χειρῶν, ἢ πήχεις, ἢ ἀγκῶνες.

Eandem porro adhibebis dubitationem in emendandis iis gloſſis, in quibus literae principalis figura propter ſimilitudinem exarandi librarium fefelliſſe potuit. Nam et haec eſt altera pars diſputationis meae. Non ergo protinus, ſiquid a B. incipiat, quod Ego vel Tu per Φ deſcriberemus, id in Φ corrigendo corrumpes: quo-

quoniam si ore Macedonico vsus esses, intactum vtique relinqueres. *Plutarch.* enim *Quaest. Graec.* 9. τῷ Β ἀντὶ τοῦ Φ χρῶνται Μακεδόνες, Βίλιππον καὶ Βαλακρὸν καὶ Βερονίκην λέγοντες. Nescire non possis haec nos dicere et nominare Φίλιππον et Φαλακρὸν et Φερονίκην. Verum id non patiuntur Macedones. Eodem teste Β pro Π Delphici oris est et loquelae. Adspirationem variae gentes varie exprimunt. Lacones per Β. Ita Hesychius Βάγος, κλάσμα ἄρτου, μάζης, καὶ Βασιλεὺς καὶ στρατιώτης. (Corrige στρατηγος) Λάκωνες. Eam vocem antiquissimi Attici exarassent Ηαγος, Aeoles Fαγος: nos communiter non adspiramus, verum scribimus Αγος. vt *Hesych.* Αγος ἡγεμὼν ἀπὸ τοῦ ἄγειν τὰ πλήθη, et alibi Αγος, κλαῦσμα, τραῦμα (lege ex eod. *Hesych.* in v. Βάγος, κλασμα αρτου) ἀρχηγός. Eiusdem commatis sunt Βείκατι εἴκοσι. Λάκωνες, Βεικηλᾶ, νωχελῆ (scribe ἀνωφελῆ) ἀχρεῖα. Λάκωνες. Vnde non dubitabis et has voces ad Laconismum referre, quanquam id non admonuit Auctor. Βείρακες, ἱέρακες. Βείκας, μακρόθεν. Βέκας, μακράν. Βέκως, μακρόθεν. et sexcentas alias. Eodem adspirandi more delectantur Cretes, qui Laconice loquebantur. Βαλικιώτης. συνέφηβος. Κρῆτες. Tu ergo caue, neque tibi haec esse praedicta non dixeris. In iis autem, quae sequuntur, securo vt sis animo, iubeo. Ibi enim experiundo scies et facillimum describentis errorem, et certissimam emendantis fidem. Γ simplex Gamma Graecorum ea est infelicitate figurae, vt ad plurimas literas similitudine accedat, atque eapropter foedissimas turbas excire soleat. Si in latus inclines, lineae duae, quibus describitur, in angulum fastigiatae repraesentabunt literam Λ. Deinde Λ et Δ et Α vnius lineolae discrimine a se inuicem disterminantur. Porro Γ, si tenuior foret transuersae suae lineae ductus, in Γ recidet, et vicissim simili fere vitio ex Τ enascetur.

Aliquan-

Aliquando insinuabit se in locum congeneris sui, si formam et familiam respicias, Digammatis Aeolici F. Est vbi scribitur loco notae episemae, quae potestatem eiusdem digammatis exprimit. Exempla nonnulla proferemus, quae ceteros fortasse hactenus fugere. Notae T in Γ solitam et leuem esse mutationem loculari errore suo testatur *Theod. Gaza Gram.* l. 3. exeunte, p. 99. *b.* Εὐλογώτερον μέντοι ἐπὶ τῶ ϙρυττω καὶ τῶν ὁμοίων τὸ γράφειν ϙρυτγω, καθάπερ καὶ τοῖς παλαιοτέροις τῶν ἀντιγράφων ὁρῶμεν. Tanta erat auctoritate, tanta contagionis veritate vna et leuissima in Exemplaribus litura, vt pene artem ipsam contaminaret, et iam scholis iura esset datura. *Ammonius* ad voces ἦν δὲ — ὥρα ὡσεὶ ἕκτη. *Ioan.* XIX. 14. Ὁ δὲ καλλιγράφος ἀντὶ τῦ Γαμμα ϛοιχείου, ὅπερ σημαίνει τὸ τρίτην, ἔγραψε τὸ επισημον, ὃ καλεῖσιν οἱ Αλεξανδρεῖς ϛαβὲξ, ὃ δηλοῖ τὴν ἕκτην, πολλὴν ἔχοιτα πρὸς ἑαυτὰ τὴν ὁμοιότητα, καὶ διὰ τῦ γραφικῦ σφάλματος γέγονεν ἡ διαφωνία. Ἀντὶ γὰρ τρίτης ὥρας, ἕκτην ἔγραψε. Obseruarunt plurimi, quorum in numero sunt praestantissimus *Galeus* noster in erudito suo *commentario* ad *Demetrii Phalerensis* librum *de elocutione*, (quem hominem ob morum suauitatem atque eruditionis elegantiam nemini fere in disciplina nostra secundum pono) et nuper summi ingenii et doctrinae vir *I. Albertus*, (qui literarum bono natus corruptissimum hunc Auctorem integre expoliendum emaculandumque in se suscepit) innumeras fere glossas sub litera Γ latere, quae duplici F Aeolensium exarari debent. Quo pacto Γισία, Γισχὺν, Γοῖνος, Γέντερ, Γέαρ, et sexcentae aliae emendandae sunt Fισία, Fισχὺν, Foῖνος, Fέντερ, Fέαρ. Exponuntur enim ἰσχάτη (l. ϵσχαρα) i. e. Vesta, ἰσχὺν, Vim, οἶνος Vinum, κοιλία, i. e. Venter, ἔαρ Ver. *Salmasium* quidem virum maximum in *commentariis* ad *Hesiodi et Regillae vxoris inscriptiones* latuit medela tam facilis

facilis et expedita. Neque enim illi assentior adfirmanti quasdam gentis posse duplex gamma (vel adspirationis notam) vt simplex gamma vel exarare vel ex ore proferre. Accidit hoc proculdubio ex corruptela Codicis *Hesychiani*. In ceteris Lexicographis istius consuetudinis nullum vestigium, *Photio* puta, et *Suida*, etc. Nemo superest praeter *Phauorinum*, qui corruptissimum auctorem *Hesychium* descripsit, et proinde *Hesychianae* auctoritati nihil quidquam ponderis adiicere vel potest vel debet. Verum non vbique velim, vt tali medicina mactetur *Hesychius*. Descripsit ille nimirum *Homericas* dictiones ad vnam fere omnis, ea autem incuria, vt aliquando particulas, quibus scatet πολυώνυμος ille scriptor, inconsultissime sequenti vocabulo adglutinaret. Inde si scripsisset *Homerus* γ' οἶδα, procliue fuit Lexicographo nostro Γοῖδα exinde procudere (quod tamen nescio, quo errore, error enim errorem gignit, per ἐκ οἶδα interpretatur) si γ' ἔτος, Γέτος. Inde fit, quod tot voces in Δ, in Θ, in T et P reperiantur, quae Homericis δ', θ', τ' et ῥ' originem debent. Δαιάζω, ἀναβοῶ, τεναίζω exponitur, eodem modo quo Αιάζω. Neque eodem modo exponuntur Αιάζω et Δαιάζω solum, verum et Αδαίζω quoque. Eiusdem commatis est αδεαζων, ἀναβοῶν, ἀναστενῶν. Hinc quoque exponitur δνψαι, βλάψαι. Natum est vocabulum ex locis *Homeri* nonnullis male lectis. Vbicunque enim occurrit Ιψαι, semper particulam Δ' a tergo sequitur, vt *Il.* A. 454. et Π. 237.

Τιμήσας μὲν ἐμὲ, μέγα δ' Ιψαο λαὸν Αχαιῶν.

et B. 193.

Νῦν μὲν πειρᾶσθαι, τάχα δ' ιψεται υἷας Αχαιῶν.

Ex simili fortasse fonte θοκλαζει χαλιναγωγεῖ. sc. θ' ολκαζει. Nam in ο Ολκάζει, ἕλκει, χαλιναγωγεῖ. Inde portentum lectionis Θαρσεύεσθαι, ἀναβάλλεσθαι: quod

quod Tu, amice lector, ex *Homer. Iliad.* O. 512. procurabis,

Η δῆθα τρευγεσθαι ἐν αἰνῇ δηϊοτῆτι.

Adde, si lubet, aut minus probasse videar, *Hesychium* in Η δῆθα τρεύγεσθαι et in Στρεύγομαι. Arrepta hac occasione emendare non te pigebit corruptissimam glossam Στρανγγυει, διαβάλλει, ἐκ εὐθὺς πορεύεται. Potius omnino Στραγγευει, ἀναβάλλει, ἐκ εὐθὺς πορεύεται. Similis fere error aliquibus voculis articulos suos adiunxit, vt ηδεκωσις ἠτέγη: quemadmodum et recte in Δ interpretatur δεκωσις. Ita in *Hesychio* legimus in Ο. Ὀδεμάλεος, Ὀδείσπος, i. e. Δεμάλεος et Δίσπος. Ita Ὀδέγμην προσεδόκων ne corrigas cum *Guieto* Εδέγμην, sed cum viro docto ὃ δέγμην, *id quod expectaui*. Notabilis est error glossae οδαιος ὀλίγοις — περάσιμος, ὠνήτης. Recte fortasse περάσιμος et ὠνήτης, vt supra in Οδαῖον et Οδαίων. Οδαίων, ὠνίων. ἐδῆσαι γὰρ τὸ ὠνήσασθαι. At quomodo aut qua machina est ὀλίγος? Nempe pro οδαιος substituas Ο βαιος, et consulas Βαιὸν in suo loco. Infra legimus Οπροστρόπαιος ὁ ἀποστρέφων. Tu fac diuidas Ο Προστρόπαιος. Deinde Τηαλεσθην, τὴν ἅμαξαν. Lego την αλεσθην. Supra enim Τῇ ἀλέσθη. τῇ ἁμάξῃ. Vt ad Aeolismum reuertar, et monstra, quae peperit; digamma istud quamuis in suum simplex frequentissime, aliquando tamen in Τ, quod etiam procliue fuit, degenerauit. Nam Τέπτα, ἑπτὰ exponitur, i. e. Fεπτά. et, quod est lucidissimum, Τενεκῦντι, ἐνοικοῦντι, Αιολεις. Adducor equidem, vt credam in dictionibus Aeolicis, quales multae apud *Homerum* et antiquos leguntur, ibi semper fere in concursu vocalium ad hiatum declinandum eorum digamma se inseruisse, maxime cum id Romanis solenne fuerit, qui ab Aeolensibus linguam suam mutuo sumpsere. Inde quod hi Δαϝος, Ταϝων, Οϝις, Βοϝος exarabant, illi literis suis dixe-

dixerunt *Dauus*, *Pauo*, *Ouis*, *Bouis*. Priſcianus certe ſe ſcriptum reperiiſſe teſtatur in vetuſtiſſimo Apollinis tripode, qui erat in Xerolopho CPoleos, Δημοφάεων Λαεοκόεων. Recte ſane, atque idcirco *Heſychius* in v. προτιαπτω, προπέμπω, ad *Homericum* locum reſpiciens, qui initio *Iliados* legitur

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἀϊδι προιαψεν
Ηρώων,

ſi emendetur προϝιαπτω, προπέμπω (quidni autem ita emendetur?) fidem faciet antiquiſſimos *Homeri* codices ita fuiſſe exaratos, qua itidem ἀκριβείᾳ, ſuam editionem, quam non minori ingenii felicitate molitur quotidie, quam nos omnes vehementia exſpectationis efflagitamus, deſcribi curabit bonarum omnium artium ſtator et vindex, clariſſimus *Bentleius*. Vt redeam, hoc quaſi

regens veſtigia filo,

vexatiſſima iſta ῥήγεα vel ἠνία, εἵματα, δέσματα σιγαλοεντα, quae paſſim apud *Homerum* leguntur, vt *Iliad.* E. 226.

Αλλ' ἄγε, νῦν μάστιγα, καὶ ἠνία σιγαλοεντα
Δέξαι.

Iliad. X. 154.

Καλοὶ, λαίνεοι, ἔθι εἵματα σιγαλοεντα
Πλύνεσκον Τρώων ἄλοχοι.

Ibid. 468.

Τῆλε δ' ἀπὸ κρατὸς χέε δέσματα σιγαλοεντα.

emendari iubeo ſemper σιϝαλοϝεντα. Qui a σίγη deducunt vel potius cogunt, operam ludunt. Σιαλῶσαι apud *Heſychium* eſt ποικίλαι. Recte igitur Σιγαλόεν (corrupte Γ pro F) exponitur ab eodem, ποικίλον τῇ γραφῇ, λαμπρὸν etc. † Σιγαλόνετα, λαμπρὰ, ποικίλα, καὶ τὰ ὅμοια. Porro quo pacto miſcentur Γ, F et T, ita nonnunquam propter cognationem Δ et Λ. Ita αιται θυγατέρες Διὸς αἱ τοῖς δεομένοις βοηθοῦσαι, reſcri-

reſcribe cum *H. Stephano* Λιται. Ita enim *Homerus Il.* I. 498.

Καὶ γάρ τε λιται εἰσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο.

Et ſimiliter in media voce Ιαλασι δεσμοῖς. Lege Ιλλασι. Quae eſt iterum vox *Homerica*, *Iliad.* N. 571.

Τόντ' ἔρεσι βουκόλοι ἄνδρες
Ιλλασιν οὐκ ἐθέλοντα βίη δήσαντες ἄγουσιν.

Viciſſim Ληται, ἄνεμοι. Reſcribe Αηται. Iterum emendat vocem eandem, et in A pro αυται, ἄνεμοι, reſcribo optimo iure Ληται ἄνεμοι. Et haec fortaſſe eſt labes gloſſae iſtius βαιμαζειν, βασιλεύειν ἢ βαζάζειν. Ibi repono primum Βλιμαζειν. deinde confirmo, Βλιμάζειν primo et proprie eſt mulgere, quaſi Θλιβομάζειν. Id Etymon debeo erudito *ſcholiaſtae Ariſtoph. Au.* 530. Ita *Heſychius* Βλιμάζειν τὸ τηθολαβεῖν οἱονεὶ Θλίβειν ἢ βαζάζειν. f. Θλιβομαζαζειν cum ſcholiaſte. Deinde, vbi omnia manu regebantur, quoniam principum erat et potentiorum plebis *crumenas mulgere*, exponit *Heſych.* in ſecundo loco βασιλεύειν, *Didymus* κακοῦν, ἀποτίλλειν, κατεσθίειν. Significat denique tertio loco ventrem auium contrectando de earum bonitate experiri: Ita *Ariſtoph. Au.* 526.

Πᾶς τις ἐφ' ὑμῖν ὀρνιθευτὴς
Ιςησι βρόχους, παγίδας, ῥάβδους,
Εγκη, νεφέλας, δίκτυα, πηκτάς·
Εἶτα λαβόντες πωλοῦσ' ἀθρόους,
Οἱ δ' ὠνοῦνται βλιμαζοντες.

Nihil tamen horum omnium ad βαζαζειν pertinet. Quid ergo? Nempe vt in prima voce litera literam ſimilem ſimilauerit, ita in hac altera alteram excluſerit. Lego enim Βλαζαζειν. Heſych. Βλαζάζειν, βλιμάζειν οἱ αὐτοὶ i. e. Siculi. Sed nondum ex his me expediui. Sequetur enim articulum Βλιμάξαι, βαζαξαι, ἀτιμάσαι, legendum eſſe Βλιμάξαι, βλαζασαι, ἀτιμά-

ἀτιμάσαι, atque etiam βλινη, ὕβρις, βλιμη, ὕβρις. Ita enim Βλίμη, προπηλακισμὸς. ὕβρις. Atque haec quidem hactenus. Deinde eodem iure pro Βαίταν. Βαιτάς. Βαιτάδα. Βαιτῶνα, quibus nominibus οἱ παλαιοὶ secundum *Suidam*, vel Ἕλληνες sec. *Hesych.* significabant homines nequam et nullius precii, rescribe Βλιταν. Βλιτας. Βλιταδα. et Βλιτωνα. Confunduntur Α. Δ et Λ. Δασος, σύνδενδρος τόπος. l. Αλτος. Si desit, quod addam auctoritatis aut fidei causa, notabis iisdem verbis explicari Αλσος suo in loco. Αλσος, σύνδενδρος τόπος. Vox haec similiter corrumpitur infra in Δρυμός. Δρυμὸς, Δασος. σύμφυτος τόπος — σύνδενδρος. Lege Αλσος et me habebis fideiussorem. Similis error est in Λαγεινα, δεινά. Corrige Αλγεινα. Nihil verius. Iam eodem filo vsus luce et Hellenismo donabis barbaram istam glossam ad caput literae Δ. Δαγμνος, οἰκτρὸς, πένης, ἐλεεινός. Tu enim, sat scio, leges Αλγεινος, et eod. modo infra Δαεινον, κλαύσιμον. Puto Αιλινον, κλαύσιμον. Permiscentur Τ. et Χ. Τητει, σπάνει. Lege Χητει. Nam sequentibus suo in loco, Χήτει, ςερήσει, ἐνδεία, σπάνει. Ita etiam lubenter legerem Χητος, ἀπορία. Non, Χη, Εθος, ἀπορία. Pauca adiiciam ex glossis inter se turbatis. Κονιπόδες, ὑποδήματα μοιχικά. † Κονιορτοπόδες, ἀγροῖκοι, ἐργάται. Lego Κονιπόδες, κονιορτοπόδες, ἀγροῖκοι, ἐργάται. Vid. *Plutarch. Quaest. Graec. 1.* Voces ὑποδήματα μοιχικὰ locum hic habere nequeunt. f. spectant ad glossam Κονίσαλοι, ἀφροδίσια. Vt plene sit Κονίσαλοι, ὑποδήματα μοιχικὰ, ἀφροδίσια. Legimus in H. Ηγυᾶτο ὁ λαμβάνων ἤγετο † Ηγε, αὖτη, ἥτις. video hic tris glossas. † Ηγυᾶτο (sic enim legas) ὁ λαμβάνων. H. e. qui mutuo sumebat, (λαμβάνειν enim, vt docuimus p. 338. edit. nostrae est quodammodo vox vsuraria) *fidem dedit, sponsionem praestitit.* Eo ritu saepissime in Lexicis voces

ces exponi ſolent, id quod duplicem operam praeſtat: oſtendit enim, quid ſit Εγγυᾶν et quid Εγγυᾶσθαι. Pergo autem ad proximam gloſſam a me fabricandam. Quae eſt huiuſmodi † Ἤγετο, ἦγε. Deinde † Ηγε, αὕτη, ἥτις. Iam in iis, quae leguntur in Δ. ſc. Δαίω μάθω, † Δαίων, καίων † Δαίω καὶ ἐξάπτω † Δάκε ἐλύπησε. Fortaſſe hoc pacto Δαίων καίων † Δαίω μάθω καὶ ἐξάπτω. Certe † Δάκε ἐλύπησε. Modo enim Δάκνει, λυπεῖ. In Ω. Cauc putes haec eſſe interpretamenta, † Ωικέτευεν, ᾤκει † Ωκοδόμουν (reſcribe Ωικοδόμουν,) ᾠνοχόουν, verum quatuor voces, quae interpretatione deſtituantur, hoc pacto digeres.

Ωικέτευον
Ωικει
Ωικοδόμουν
Ωινοχόουν.

Ohe! iam ſatis.

CAP. X.

Ius Atticum commendatur. Promittitur Commentarius de Republica Athenienſi. Nonnulla obſeruantur ad eam rem ſpectantia. Emendantur Harpocratio *et* Heſychius.

Si Scriptor, quem hodie non minori fere ex obſcuritate vindicamus, quam *Manutius*, qui typis euulgauit primus, ex eorum numero eſſet, qui ob ſermonis elegantiam et colorem quendam orationis, ſterilem et infructuoſam delectationem ſolummodo impertiant; nae ego is non fuiſſem, qui tantos labores in expoliendo inſumerem: Nullius fuiſſet tanta in me auctoritas, vt Scriptorem euoluerem, excuterem, euulgarem, qui neque ciuilem vitam emendare, neque domeſticam ornare potuiſſet. Tantum neque ocio, quod mihi minimum eſt, neque mea in literis auctoritate, quae fortaſſe minor eſt, fuiſſem abuſus. Habet

bet enim quodammodo disciplina nostra auctoritatis imaginem: est quaedam in recognoscendis expoliendisque auctoribus commendatio eorum, quos expolimus: atque artem profitemur, maxima licet cum seueritate, nonnulla tamen, hac certe, cum dignitate coniunctam. Si quid igitur haec nostra edendi ratio in se habeat consilii, studiosus semper fui, vt istud qualecunque consilii aliquam etiam contineret vtilitatem. Omnium gentium, quae moribus et legibus vixere, ea semper prudentissima habebatur, in cuius disciplina et natus et educatus est Scriptor noster. Quod si *Lysiam*, *Demosthenem*, ceterosque Fori scriptores Fortuna nobis non conseruasset, qui saepenumero solennis legum formulas atque ipsa verba legitima produxerunt, producta illustrarunt, celeberrimam istam disciplinam, atque Atticae sapientiae imaginem in Iurisprudentia solummodo Romana adumbratam vidissemus. Verum precariam istam P. A. gloriam abunde recreauit suorum Oratorum fortuna, quae aliquatenus obliuionem superauit. Laudabilis fuit *S. Petiti* industria, qui istius Iurisprudentiae naufragia singulari et erudito commentario complexus est. Multum ad hoc argumentum illustrandum passim contulit vir incredibilis eruditionis ὁ μέγας *Salmasius*, qui neque fama, neque meritis *Petiti* deterritus nouam et integram commentationem de LL. Atticis in animo meditabatur. Meditabatur quoque vir doctissimus *H. Valesius*, aliique, quorum qui merita non ignorant, interuenta consilia tantaeque et tam solidae eruditionis iacturam mecum quotidie dolent. Fuere autem *I. Phil. Maussacus*, eruditus commentator *Harpocrationis*. Vid. ad v. Ποδοκράβη, et Περίπολος. *Lambecius*, vt ex eius *Prodromo* liquet. *Iosephus Scaliger*, cuius Collectio Legg. Atticarum inedita seruabatur in *Bibl. Academiae Lugduno-Batauae*. Vid. *Salmas.* I. *Epist.* 120. Ea vsus est *Petitus*, *G. Critonius*

tonius Professor Reg. Paris. cuius *Praefatio in Draconis et Solonis leges* est in Cod. MS. CDXLIX *Biblioth. Caesareae.* Ex antiquis scripsit DEMETRIVS PHALEREVS περὶ τῆς ἐν Ἀθήναις νομοθεσίας. V. *Diog. Laert. Harpocr.* in Ἐρκεῖος Ζεύς et Παράστασις. Laudatur istius operis liber 3. a *Suid.* et *Harpocr.* in Σκαφηφόροι. In Solonis Ἄξονας scripsere vtique ARISTOTELES, HELEVCVS, DIDYMVS. Citatur APOLLODORVS ἐν βῳ περὶ νομοθετῶν a *Laertio* in *Solone.* Περὶ νομοθετῶν scripsit THEOPHRASTVS, vt liquet ex eod. *Laertio*, et *Harpocr.* in Φαιμακός. Eiusdem *de Legibus* liber citatur ab *Harpocrat.* et in *Digestis.* CALLIMACHVM ἐν τῷ τρίτῳ πίνακι τῶν νόμων laudat *Athenaeus* l. 13. p. 585. HERACLIDEM PONTICVM περὶ νόμων *Laertius.* De Legibus scripsit PITTACVS, vt constat ex *Suid.* De Athenienſium legibus et moribus, itemque de dicasteriis Athenienſium TELEPHVS, vt liquet ex *eodem:* a quo etiam in v. Ζαμόλξις laudatur HELLANICVS ἐν νομίμοις. HERMIPPI librum primum περὶ νομοθετῶν laudat *Athenaeus* l. 4. p. 154. et *Origen.* l. c. *Celſ.* librum ſecundum *Porphyrius* 4to. περὶ ἀποχῆς, librum ſextum *Athenaeus* l. 14. p. 619. PLETHONEM *Theodoro Gazae* aequalem ἐν τοῖς περὶ νομοθεσίας λόγοις laudat ipſe *Theodorus* in libello *de Menſibus.* Quantum iſta diſciplina debeat noſtrae quoque induſtriae, malim intelligi ex commentario *de Rep. Athenienſi*, quem indies paro, quam ex ea luce, quam adepta eſt Themis Attica ex hodierna *Luſſiae* editione; quanquam nonnulla fortaſſe, neque ea leuiſſima, et hic quoque legantur, quae aliorum induſtriam eluſere. In eo opere, cui (vbi pauxillulum ocii ab infinitis fere curis circa caput ſalientibus nactus ſim) maxime ſemper cum delectatione incumbere ſoleo, non eundem mihi ordinem ſeruandum eſſe duxi, quem *Petitus* aliique ſibi ſtatuere. Nam vbi hiſtoriam gentis breuiter perſe-

perſecutus fuero et ad quandam quaſi maturitatem perduxero, eam ſc. quae et rerum geſtarum legumque condendarum gloriam terminare iudicabitur, nonnulla praefaturus eſſe mihi videor de νομοθεσίας hiſtoria et ratione: de Legum ſcribendarum abrogandarumque ritu: de conditione, aetate, fama, fortuniſque Legumlatorum, qui plurimi fuerint: de nummis denique et monumentis: de formularum pactionumque publicarum ſolennitate, et quaecunque ad actus legitimos et moderationem Reipublicae pertinere videbuntur. Deinde in Legibus recenſendis eum modum ordinemque tractandi mihi praeſcripſi, quem vnuſquiſque noſtrum viuendo deſcribimus. Nam iam inde a natalibus ciuem Athenienſem meditor deducere, rituſque et patria inſtituta vna perſequi, quae ſingulam aetatem et condicionem reſpiciant: qualem ſc. ſe gerere oporteat domi ſub patris imperio, qualem foris ſub praeceptore; quid ab armato milite, quid a conſulente ſene exſpectetur; quis modus in iudiciis, quis in curia ſtatuatur. Eo nempe conſilio et ſcribendi ratione expoſiturus ero vitam Athenienſium non ſolum publicam et ciuilem, verum etiam vna priuatam et domeſticam; deinde cum Legum vberi tractatione Antiquitatum etiam theſaurum complexurus ſimplici quodam et naturali ordine digeſtum. Mihi quidem, vt meam mentem exponam, prae ceteris eruditionis partibus vehementer ſemper placuit iſta commentatio: Huius populi et bello et pace clariſſimi Annalis et Iuriſprudentiam ſemper cum delectatione euolui; ſiue quod naturali aequitate et honeſta quadam ſapientia ea Iurisprudentia polleret maxime; ſiue quod, vt ceterarum rerum praeclariſſimarum, ita et νομοθεσίας quoque primordia cum iucunditate recolere ſoleamus. P. enim A. primus fortaſſe inter profanas gentis Reipublicae legibus et inſtitutis firmatae exemplum edidit. Quod

licet inuentum, vt cetera egregia omnia, ab Aegyptiis repetatur, ego potius, propter communionem, quae inter eas gentis olim interceſſit, exiſtimarem vnum fuiſſe, qui vtriſque leges dedit, vnamque ambabus fuiſſe νόμων διάθεσιν. Vel fortaſſe multa ab Aegyptiis vtiliter reperta *illachrymabili nocte virgentur*
Carent quia Vate ſacro.

Athenienſibus enim id praeconium non defuit, neque ea ratio immortalitatis:

Fama minor ſactis: ipſos nam credere dignum
Coelicolas, tellus quibus hoſpita ſemper Athenae,
Ceu leges *hominemque nouum, ritumque ſacrorum,*
Seminaque in vacuas hinc deſcendentia terras,
Sic ſacraſſe loco commune animantibus aegris
Confugium. Stat. XII. *Theb.* 499.

Primae frugiferos foetus mortalibus aegris
Dididerunt quondam praeclaro nomine Athenae,
Et recreauerunt vitam, legeſque rogarunt.
Lucret. l. 6. init.

Non mirum eſt igitur, gentem ea Ciuilis Scientiae celebritate et antiquitate ceteris fere omnibus et leges et iura imponere, quemadmodum teſtatur *Pericles* apud *Thucyd.* l. 2. *Cicero* quidem *pro Flacco. Adſunt Athenienſes, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges,* iura, leges *ortae, atque in omnis terras diſtributae putantur.* Quantum contulit ad Iuriſprudentiam Romanam, quae huic populo diuturnius et latius imperium, quam Virtus, peperit, ſatius eſt diſcere ex iſtius gentis et Hiſtoriae et Iuris monumentis, quae ſuperſunt. Ammian. Marcellin. l. 22. *Solo adiutus ſententiis Aegypti Sacerdotum latis iuſto moderamine legibus Romano quoque Iuri maximum addidit firmamentum.* Ille certe, ſi non νομοθεσίᾳ Aegyptiorum, eorum tamen et conſiliis et ſapientia vſus multa in ſua Iurisprudentia *ſymbolice* inſtituit;

ſtituit; vti *Pythagoras* eiusdem ſapientiae conſultus, multa in Italica Schola condenda ſuaeque philoſophiae praeceptis tradendis, Aegyptiacum ad morem per aenigmata rerumque ſimulacra docuit. Huiuſmodi eſt ſapientiae, quod Solo ἄξονας ſiue tabulas Iuris, in quibus officia Ciuium deſcriberentur, illas praeſcriptiones verborum, ad quas vnumquemque ſe accommodare et componere oporteret, ανανκης ατρακτον, *Neceſſitatis fuſum*, vocauit. Inſtituit idem, vt ex *Poll.* I. 12. diſcimus, τας νυμφας ιεσας επι τον γαμον φρυγετρον φερειν σημειον. Admonuit ſcilicet nouam nuptam, vas iſtud domeſticum, cuius ope fruges torreri ſolitae, illi domeſtica omnia officia rerumque familiarium adminiſtrationem curae eſſe oportere. Si φρύγετρον per *Farreum* exponat *Plinius*, credo eum duorum populorum inſtituta commiſcuiſſe, *Confarreationem* ſc. Romanorum, atque hunc Solonis ritum, vbi ait XVIII. 3. *Quin et in ſacris nihil religioſius Confarreationis vinculo erat. Nouaeque nuptae* farreum praeferebant. Ego autem pergo: Cauit idem Legislator την νυμφην τῳ νυμφιῳ συγκατακλινεσθαι μηλε κυδωνιου συγκατατραγεσαν, vt refert *Plutarchus* in *Solone* et in libello *Praeceptorum Coniugalium*, αἰνιττόμενος, iuxta eundem auctorem, ὅτι δεῖ τὴν ἀπὸ στόματος καὶ φωνῆς χάριν εὐάρμοστον εἶναι πρώτην καὶ ἡδεῖαν. Porro multa habemus in Themide Attica, quae Aegyptiacam originem referre videantur. In hoc populo *nefas* habebatur *ſeruum hominem occidere*, non quod apud profanas gentis tanta erat mancipiorum cura aut reuerentia, verum, vt rationem exponit grauiſſimus auctor *Diod. Sic.* l. 1. διὰ τῆς τῶν δέλων φρονπίδος εθιζοντες τὸς ἀνθρώπος πολυ μαλλον εἰς τὸς ἐλευθέρους μὴ δεῖν ὅλως ἐξαμαρτάνειν. Eadem erat omnino apud Athenienſis cura, quorum erat ſapientia, non exſpectare, vt ſuppliciorum ſeueritate vindicarent, quod fieri non oportuerat, verum ex-

templo prohibere, ne eueniret id quod infectum esse voluerint. Ita in Tabulis, quae ab ingenuorum puerorum corporibus vim et contumeliam arcebant, in calce legis subiiciebant ἐνοχοι δε εσωσαν ταισδε ταις αιτιαις και οι εις τα οικετικα σωματα εξαμαρτανοντες. Cuius constitutionis ne quis aut insolentiam aut inaequalitatem miretur, *nihilo sc. maioris censeri ingenuos, quam seruos*, continuo exclamat praestantissimus Orator *c. Timarchum.* Τοῦτο πάντων ἄρισα ἔχει. Non quod de mancipiis sollicitus erat Legislator, οὐ γὰρ ὑπὲρ τῶν οἰκετῶν ἐσπούδασεν ὁ νομοθέτης, ἀλλὰ βουλόμενος ἡμᾶς εὖ ποιεῖν πολὺ ἀπέχειν τῆς τῶν ἐλευθέρων ὕβρεως, προσέγραψε, μηδ' εἰς τοὺς δούλους ὑβρίζειν. Inde cum Lex erat *de adulterum in uxore iusta deprehensum interficiendo*, οὕτω σφόδρα ὁ νομοθέτης, vt *Lysiae* verbis vtar, ἐπὶ ταῖς γαμεταῖς γυναιξὶ δίκαια ταῦτα ἡγήσατο εἶναι, ὥστε καὶ ἐπὶ ταῖς παλλακαῖς ταῖς ἐλάττονος ἀξίας τὴν αὐτὴν δίκην ἐπέθηκε. Easdem sc. poenas et in *Vxoris* et in *Pellicis* iniuria statuit, in vtraque grauissimas, vt adulterii semina quodammodo radicitus euelleret, *legitimique* connubii iura sanciret etiam custodia *vsurarii*. Neque videtur sapientissimus Legislator in ea poenae acerbitate istius Scholae auctoritatem commendare, quae *peccata*, vt cum *Cicerone* loquar, *non momentis rerum aut euentu, sed vitiis hominum metitur*, et quae argutius quam verius contendit, quod, *siquidem peccare est lineas virtutis transilire; quam longe progrediare, cum semel transilieris, id ad augendam transeundi culpam nihil pertineat.*

Nec vincet Ratio hoc, tantundem vt peccet idemque
Qui teneros caulis alieni infregerit horti,
Et qui nocturnus sacra Diuum legerit.

Nam et alibi, vti in vnoque delicto supplicium commensuratum esse voluit Solo, atque vt adesset

Regula peccatis, quae poenas inroget aequas,

namque

namque id prudentiſſima ſanctione legitimiſque verbis inſtituit: ita in hoc quoque criminis genere, vt loquitur *Lyſias*, *εἴ τινα εἶχε ταύτης μείζω τιμωρίαν, ἐπὶ ταῖς γαμεταῖς ἐποίησεν ἄν· νῦν δὲ οὐχ οἷός τε ὢν ταύτης ἰσχυροτέραν ἐπ' ἐκείναις ἐξευρεῖν, τὴν αὐτὴν καὶ ἐπὶ ταῖς παλλακαῖς ἠξίωσε γίνεσθαι.* Grauiſſimis ergo poenis aliquando *minora* delicta coercuit, quae ad *maiora* feneſtram patefacerent: haec vero iisdem, quoniam acerbiores excogitare nequiuerat. Draco quidem, qui pleraque nimis ſeuere cenſuit, inter alia ſanxit in iis legibus, quas tulit, *Furem cuiuſmodicunque furti ſupplicio capitis puniendum eſſe.* Gell. XI. 18. *Ἅπασι τοῖς ἁμαρτάνουσι, μίαν ζημίαν θάνατον* inrogauit, *τὸν λάχανα κλέψαντας ἢ ὀπώραν ὁμοίως τοῖς ἱεροσύλοις καὶ ἀνδροφόνοις κολαζόμενος*, vt ait *Plutarchus* in *Solone*. Ad quam ſeueritatem, quae modum et proportionem excedebat omnem, procul dubio reſpexit *Horat. I. Sat.* III. 115. verbis a me modo memoratis. Hoc igitur et pleraque alia vltimae immanitatis capita ſuſtulit Solo, et omnia impendio molliora decreuit, et ad rationis verique normam reuocauit. Mihi haec commentanti videtur omnino potior eſſe ſententia, Solonem non omnis Draconis leges ſuſtuliſſe, vt quidam tradidere, verum ſeueritatem eius per omnia exſtinxiſſe potius atque ad lenitatem inclinaſſe. Multa etenim a Dracone grauiter et ciuiliter admodum inſtituta legimus, quae, verum citra poenae acerbitatem, a Solone inſtituta fuiſſe vna diſcimus. Pro exemplo erit Conſtitutio Attica *de Ocioſo*. Quam memorat *Valer. Maxim.* II. 6. 3, 4. *Apud Athenienſis* Inertia *e latebris ſuis, languore marcens*, in forum, perinde ac delictum *aliquod, protrahitur, ſitque vt facinoroſae, ita erubeſcendae rei culpae. Eſt et eiuſdem vrbis ſanctiſſimum conſilium Areopagus: vbi quid quiſque Athenienſium ageret, aut quonam quaeſtu ſuſtentaretur, diligentiſſime in-*

quiri solebat, vt homines honestatem (vitae rationem memores reddendam esse) sequerentur. Eam ex *Laertii* auctoritate aiebat *Lysias* in oratione *c. Niciam*, Δράκοντα γεγραφέναι, Σόλωνα δὲ τεθεικέναι. Licet *Harpocrat.* in *Bibl. Reg. Cant.* in articulo inedito adfirmet id fragmentum *Lysiae* desumi ex eius deperdita oratione *c. Aristonem.* Ἀργίας δίκη. Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Ἀριστωνος φησί· Ὅτι Δράκων ἦν ὁ θεὶς τὸν νόμον, οὗθις δὲ καὶ Σόλων ἐχρήσατο, θάνατον οὐχ ὁρίσας, ὡς ἐκεῖνος, ἀλλ' ἀτιμίαν, ἐάν τις (corrige ἐαν τρις) ἁλῷ, τίσαι· ἂν δ' ἅπαξ, ζημιῶσθαι δραχμὰς ἑκατόν. Vtcunque ea res sit, liquet, Draconem, qui *furta* (vt cum *Alexandro ab Alexandro* loquar) *morosissime censitauit*, inertiam, non minus ac latrocinia, quae ab ea deriuantur, capitali supplicio coercere voluisse. Nam, quod ait *Diphilus* Comicus apud *Athenaeum* l. 6. de paupere sumptuoso, ad ociantem aequaliter spectat.

Οὐκ ἐνδέχεται γὰρ ζῆν ἄνευ κακῶ τινος
Τοῦτον· συνίης· ἀλλ' ἀναγκαίως ἔχει
Ἢ λωποδυτεῖν τὰς νύκτας ἢ τοιχωρυχεῖν,
Ἢ τῶν ποιούντων ταῦτα κοινωνεῖν τισιν,
Ἢ συκοφαντεῖν κατ' ἀγορὰν, ἢ μαρτυρεῖν
Ψευδῆ· τοιούτων ἐκκαθαίρομεν γένος.

Solo istam immanitatem poenae exosus, verum lentitudini occurrendum arbitratus, homines ociosos, ἄχθος ἀρούρης, non capite, sed infamia puniuit. Variant tamen Antiqui. Nam sec. *Poll.* VIII. 6. Draco infamia, non morte, Solo non nisi tertio ocii conuictum plectebat. Id institutum, vt erat ad Aegyptiacos mores accommodatum, (vnde deriuasse dicitur, qui Athenis tulerit. Vid. *Herodot. Euterp.* 117. *Diod. Sic.* 1.) ita Lacedaemoniorum Iurisprudentiae ex diametro contrariabatur. Aduersariae enim istae Resp. non *armis* magis, quam *institutis* inter se perpetuo dimicabant. Nam vt Athenis vnusquisque artem aliquam profiteri aut quaestum

stum facere tenebatur, ita et Lacedaemone vile semper habebatur id inglorium. Exstitit olim, dubito, annon hodie Romae exstet, in Cod. MS. *Lysiae* oratio κατὰ Νικίᾳ, ἀργίας. Laudantur ab Antiquis Orationes *Lysiae* κατὰ Νικίδᾳ, κατὰ Νικίᾳ, ἀργίας, et demum κατὰ Νικίᾳ, φόνᾳ. Ex his omnino eadem est κατὰ Νικίδᾳ, et κατὰ Νικίᾳ, ἀργίας. Quoniam legem *de Ocioso* laudat *Laertius* ex oratione κατὰ Νικίδᾳ, et vbicunque a ceteris laudatur Oratio ἀργίας, alii Codices Νικίᾳ, alii Νικίδᾳ legunt. Ad eam etiam causam iure referri possunt quaecunque laudantur ex oratione κατὰ Νικίᾳ. Optimo certe iure retuli voces κηττοι, οβολοστατει, ποταμος. Vel enim ita diserte laudantur, vel istorum vocabulorum vsus ostendit ea in istiusmodi actione locum obtinere. Hoc de Οβολοστατεῖ non negabis. *Sed vnde* Ποταμός; Κηττοὶ *vnde? Nomina sunt*, inquies, *pagorum Atticorum:* Τῷ *nomine* Ocii *insimulas.* Mane, id ipsum est, quod volim. Nam vt vnusquisque *pagus* siue *populus*, in quos tota Attica scindebatur, loco distinebatur situque, ita aliquando moribus, vitae genere et condicione, vsu et ingenio dirimi erat necesse. Αἰξωνεῖς ad mare habitabant, Phalerum inter et Sunium, vbi ob portus commoditatem vaenibant, non odores fortasse, sed ostrea, pisciculi, atque id genus edulia. Vnde Prouerbium Αἰξωνίδα τρίγλην de mullo praestantiori. *Naucrates* Comicus apud *Athenaeum* l. 7.

Μετ' αὐτῶν δ' εἰσὶν ἐκπρεπεῖς φύσιν
Αἱ ξανθοχρῶτες, ἃς κλύδων αιξωνικος
Πασῶν ἀρίστας ἐν τόποις παιδεύεται,
Αἷς καὶ θεὰν τιμῶσιν φωσφόρον κόρην,
Δείπνων ὅταν πέμπωσι δῶρα ναυτίλοι.
Β. Τρίγλας λέγεις.

Ad eum igitur locum, *Belini* veluti ad *ostia*, concurrebant vndique pueri, vetulae, salsamentariorum, baiulo-

iulorum, portitorum nautarumque familia. cui ſcholae ſua non deerat Rhetorica, aut naturalis color orationis. Inde *Aexonenſes* apud Antiquos maledici ſemper et ad mala multa ingerenda procliues. *Heſych.* Αἰξωνεύεσθαι, κατηγορεῖν. Minime, ſed κακηγορεῖν, vt alibi emendaui. *Harpocr.* Ἐκωμῳδοῦντο [Aexonenſes] εἰς βλασφήμους (l. ὡς βλασφήμοι) ἀφ' ἧς καὶ τὸ κακῶς λέγειν, Αἰξωνευεσθαι ἔλεγον — Πλάτων ἐν τῷ περὶ ἀνδρείας φησίν. Οὐδὲν ἐρῶ πρὸς ταῦτά γ' ἔχων εἰπεῖν, μή με εἴπῃς Αἰξωνέα εἶναι. Eodem modo *Proſpaltii* et *Thymoetadae* erant φιλόδικοι ſupra caeteros Athenienſis. *Acharnenſes*, qui in fodinis carbonariis aetatem exercebant, ita graphice a Comico in *Acharn.* 178. deſcribuntur,

Ἐστευδον, οἱ δ' ὥσφρεντο πρεσβύται τινὲς
Ἀχαρνικοὶ, ςιπτοὶ γέροντες, πρίνινοι,
Ἀτεραμονες, Μαραθωνομάχαι, σφενδάμνινοι,

Potamii denique, et vicini, ex ead. ſc. tribu, *Cettocenſes* exagitabantur perpetuo, vt homines *ignaui* et rem ſuam inſtrenue adminiſtrantes. *Harpocrat.* in Ποταμός. Ἐκωμῳδοῦντο δὲ ὡς ῥᾳδίως δεχόμενοι τὰς παρεγγράπτους, ὡς ἄλλοι τε δηλοῦσι, καὶ Μένανδρος ἐν ταῖς Διδύμαις. Sed iam tempus eſt, vt ad alia pergam.

CAP. XI.

Recenſentur Leges Atticae apud Lyſiam *repertae, et varia de ea re diſputantur.*

Recenſebo in hoc capite (ea tamen breuitate, qua decet Editorem, qui ex mole libri atque vendendi lege auguratur nihil quidquam fere ad ſexennis ſuos labores compenſandos reſtare, praeter memoriam iucunditatis, quam ex ipſo labore cepit) ea inſtituta Athenienſium, quorum notitiam cultiſſimo noſtro Scriptori debemus. Quae dum percurram, diiudicare poſſit eruditus lector, vtrum mea opera inutiliter necne fuerit

fuerit collocata in eo Scriptore expoliendo, qui ciuilibus Athenienſium officiis tantum lucis adtulit. Et ſi nonnulla a me vel recte animaduerſa, vel in melius reſtituta, vel feliciter explicata viderit, conſilium fortaſſe noſtrum non improbabit aut ſtudium Iuriſprudentiam antiquam magis indies demerendi. Eiuſmodi commentarium, quem Editioni ſuae Oratorum Graecorum ſubnecteret, meditabatur olim *H. Stephanus* vir maximus. Hoc ex eius praefatione liquet.

Adulterium grauiſſime ſemper excepit Maiorum noſtrorum ſeueritas. Nam illicitam illam et volgiuagam Venerem, familiarum iuriſque hereditarii ludibrium, ea ſupplicii acerbitate compeſci voluit prudentiſſimus Athenienſium legislator, vt in dolentis Mariti arbitrio modum poenae ſtatueret, eiuſque iras iuſtiſſimas armaret etiam auctoritate publica. Neque ei ſolummodo gladium conceſſit, ſed ab omni etiam vexatione Fori, quantum ſc. humana ſapientia praecaueri poterat, et ab Aduerſariorum vltione inmunem praeſtitit. Humaniſſimam eam cautelam ex duobus inſtitutis mihi videor eruiſſe, quorum vtrumque conſeruauit *Lyſias* in elegantiſſima oratione, quam pro Marito conſcripſit, qui Eratoſthenem moechum in vxore deprehenſum patrio iure vſus domiſuae occidit. Primum igitur eſto:

I.

Εαν τις μοιχον λαβῃ ο τι αν βουληται χρησθω.

II.

Τουτον μη καταγινωσκειν φονου ος αν επι δαμαρτι της εαυτου μοιχον λαβων ταυτην την τιμωριαν ποιησηται.

Quod ad priorem conſtitutionem adtinet, eam diſerte adſerit Noſter in legibus contineri. Κελεύουσιν, inquit ille, οἱ νόμοι, ἐάν τις μοιχὸν λάβῃ, ὅ, τι ἂν βούληται

λητας χρῆσθαι. p. 48. 7. Inde vbi Eratosthenes adulter a Marito deprehensus ἠντιβόλει καὶ ἱκέτευε μὴ αὐτὸν κτεῖναι, ἀλλ' ἀργύριον πράξασθαι, respondet ille, ὅτι ἐκ ἐγώ σε ἀποκτενῶ, ἀλλ' ὁ της πολεως νομος. p. 28. 9. Pergit deinde notabili euphemismo, Οὕτως, ὦ ἄνδρες, ἐκεῖνος τουτων ετυχεν, ὥνπερ καὶ Νομοι κελεύουσι τὸς τὰ τοιαῦτα πράττοντας: Et alibi Οὔτε χρημάτων ἕνεκα επραξα ταῦτα, ἵνα πλέσιος ἐκ πένητος γένωμαι, ὔτε ἄλλε κέρδες ἕδενὸς, πλὴν τῆς κατα νομους τιμωρίας. p. 7. 3. Eodem artificio propter *verbi inuidiam* vsus est *Cic. pro Milone.* Fecerunt *id Serui, dicam enim non deriuandi criminis causa, sed vt factum est, neque imperante, neque sciente, neque praesente domino, quod suos quisque seruos in tali re* facere *voluit.* Quod ad secundam adtinet, id eadem fide verborumque solennitate euincitur. Ανάγνωθι δέ μοι και τῦτον τὸν νομον ἐκ τῆς στήλης τῆς ἐξ Αρείᾳ πάγᾳ. Νομος. Ακέετε, ὦ ἄνδρες, ὅτι αὐτῷ τῷ δικασηρίῳ τῷ ἐξ Αρείᾳ πάγᾳ, ὦ καὶ πάτριόν ἐτι, καὶ ἐφ' ὑμῖν ἀποδέδοται, τῦ Φόνᾳ τὰς δίκας δικάζειν, διαρρήδην εἴρηται τῦτον μὴ καταγινώσκειν Φόνᾳ, ὃς ἂν ἐπὶ δάμαρτι τῇ ἑαυτῦ μοιχὸν λαβὼν ταύτην τὴν τιμωρίαν ποιήσηται. p. 34. 8. Auctoris verba exscripsi, vt diiudicet lector, vter nostrum Iurisprudentiam Atticam rectius attigimus, ego, qui binas constitutiones de eo facinore reuocaui, an *Petitus*, qui posteriorem neglexit. Prioris quidem legis naturalem quandam aequitatem pluribus confirmat *Lysias* p. 19. vbi contendit, *eos, qui alienas Matresfam. in adulterium pelliciunt,* (nam in eos Lex maritos armauit, non si quis inuitas vi compresserit) *ita earum animos contaminasse, vt amorem et necessitudinem omnem, quae maritis debetur, in se ipsos deriuent: domesticas omnis rationes in moechi arbitrio poni: liberosque demum incerta conditione nasci, omniaque hereditatis iura miscri penitus vel exstingui.* Pro *quibus*, inquit ille, *Legislator θανατον*

ἐπεί-

ἐποίησε τὴν ζημίαν. Vt alibi. Γυναῖκας τοίνυν τῶν πολιτῶν τοιοῦτος ὢν μοιχεύειν καὶ διαφθείρειν ἐλευθέρας ἐπεχείρησε, καὶ ἑλήφθη μοιχός. καὶ τότε θανατος ἡ ζημία ἐστί. p. 489. 1. Supplicium nempe, quod Maritus ipse *sumere*, non a Curia *exspectare* poterat. Ἐμοῦ τοίνυν, ὦ ἄνδρες, οἱ μὲν νόμοι ἐ μόνον ἀπεγνωκότες εἰσὶ μὴ ἀδικεῖν, ἀλλὰ καὶ κεκελευκότες ταύτην τὴν δίκην λαμβάνειν. Quod si deinde postularetur non iuxta legem fecisse, *quod* sc. *priuatas simultates ficta coniugis iniuria obtexuerit; quod vxorem ipse lenocinatus fuerit; hominemque nec opinantem in fraudem inlexerit;* quo pacto in h. causa contendebant Eratosthenis necessarii, ibi rursus intercessit Legislatoris sapientia, et, quae erat Constitutio altera, CAVSA COGNITA, inquit ille, CAEDIS OMNINO NE CONDEMNATOR, QVI MOECHVM IN VXORE DEPREHENSVM DOMI OCCIDERIT. Quia (vt ait Imp. Alexander *l.* 4. *C. ad L. Iul. de Adulter.*) *quod* legitime *factum est, nullam poenam meretur.* Memorabilem hanc dispositionem iuris, legibus nostris et vsui incognitam, Antiquorum Resp. plurimae siue naturali iure ductae, siue exemplo et fama Solonis permotae, sua etiam ciuitate donarunt. Μόνας γὰρ τὰς μοιχὰς νομίζουσι πολλαὶ τῶν πολεων νηποινει ἀποκτεινειν, δηλονότι διὰ ταῦτα, ὅτι λυμαντῆρας αὐτὰς νομίζσι τῆς τῶν γυναικῶν φιλίας πρὸς τοὺς ἄνδρας εἶναι. Xenoph. in *Hierone.* Quinetiam Veterum ante Resp. legibus confirmatas eadem fuisse videtur mens et sapientia. *Sophocl. Aiace*

Αὐτὸς δὲ μητρὸς ἐξέφυς Κρήσσης, ἐφ' ᾗ
Λαβὼν ἑπακτὸν ἀνδρὸς ὁ φυτεύσας πατὴρ
Ἐφῆκεν ἐλλοῖς ἰχθῦσιν διαφθοράν.

Pausan. in *Boeotic.* c. 36. Πρῶτος δὲ ἕτος ὁ Υηττος δίκην μοιχίας λαβὼν δῆλός ἐστι, καὶ χρόνῳ ὕστερον Δράκοντος Αθηναίοις θεσμοθετησαντος, ἐν τῶν ἐκείνῳ κατέστη νόμων, ὃς ἔγραφεν ἐπὶ τῆς ἀρχῆς ἄλλων τε ὁπό-

σων

σων αδειαν εἶναι χρὴ, καὶ δὴ καὶ τιμωριας μοιχευ. Xenarch. Comic. apud *Athen.* l. 13.

Πῶς ποτ', ὦ δέσποινα ποτνία Κύπρις,
Βινεῖν δύνανται, τῶν Δρακοντείων νόμων
Ὁπόταν ἀναμνησθῶσι προσκυνέμενοι.

Vt obiter id notem, legem illam Dracontis, quam memorat *Pausanias*, conseruauit *Demosth. c. Aristocrat.* qui etiam *Pausaniam* perperam aliquando intellectum egregie inlustrabit. Ὁ μὲν νόμος ἐστὶν ὅτος Δράκοντός —

Εαν τις αποκτεινῃ
Η εν αθλοις ακων
Η εν οδωι καθελων
Η εν πολεμωι αγνοησας
Η επι δαμαρτι
Η επι μητρι
Η επ αδελφῃ
Η επι θυγατρι
Η επι παλλακῃ
Η ην αν επ ελευθεροις παισιν εχῃ
Τουτων ενεκα μη φευγειν κτεινοντα.

Quid inter Romanos statuit olim Ius Papirianum, hodie fere nescitur. Leges enim Regiae in desuetudinem abeuntes citissime describi atque a peritis conquiri desiuere: vel in XII Tabularum complexionem et auctoritatem migrantes, fluuiorum ad instar in magno isto Oceano Iuris, et nomen et dignitatem penitus amisere. Romulus interea vnde vnde adripuit, nam et ante Solonem vixit, neque quidquam fere ea aetate Romae cum Graecis aut artibus aut disciplina commercii, ille, inquam, quantum ex *Catonis* oratione apud *Gell.* X. 23. augurari licet, adulterium Graeca seueritate pensitauit. *Verba M. Catonis adscripsi ex oratione, quae inscribitur de Dote, in qua id quoque scriptum est*, in adulterio vxores deprehensas ius fuisse maritis necare — *De iure autem*

autem occidendi ita ſcriptum. In adulterio vxorem tuam ſi deprehendiſſes, ſine iudicio impune necares: *Illa te, ſi adulterares, digito non auderet contingere; neque ius eſt.* Gell. l. c. Similia omnino de Romuli inſtitutis refert *Dionyſ. Halic. Antiq. Rom.* l. 2. Ἁμαρτάνουσα δέ τι [Vxor] δικασὴν τὸν ἀδικούμενον ἐλάμβανε, καὶ τῷ μεγέθους τῆς τιμωρίας κύριον. Ταῦτα δὲ οἱ συγγενεῖς μετὰ τῶν ἀνδρῶν ἐδίκαζον, ἐν οἷς ἦν φθορὰ σωματος καὶ εἴ τις οἶνον εὑρεθείη πιοῦσα γυνή. Hanc ſiue ſeueritatem ſiue neceſſariam iuſtitiam temperauit aliquatenus ſequioris aetatis humanitas, et maxime Lex Iulia. Ea enim armauit potius *Patrem:* et, cum Marito iſtud ius non conceſſit, niſi in infami adultero, (puta, ſi leno fuerit, quiue artem ludicram fecerit, iudicioue publico damnatus etc. v. *l. 24. in princ. D. ad leg. Iul. de adulter.* Quamobrem ab *Vlpiano l. 7. §. vlt. D. quod met. cauſ.* dicitur. *Non omnem adulterum licet occidere:)* Patri adulterum *quemlibet* ſiue domi ſuae, ſiue generi, in ipſa turpitudine deprehenſum occidere permiſit, modo vna iſtiam interfecerit. Quod explicat *Papinian.* l. 22. §. 4. *D. ad L. Iuliam de adult. Ideoque Patri, non Marito, mulierem et* omnem *adulterum permiſſum eſt occidere, quod plerumque pietas paterni nominis conſilium pro liberis cepit, ceterum mariti calor et impetus facile decernentis fuit refraenandus.* Remittet enim aliquid de ſeueritate, tardiusque ad caedem accedet, qui nonniſi per ſua quodammodo viſcera et domeſticum funus acceſſurus erit. Ceterum quod ius maritus *aliquando* in adultero, id nunquam Romanis in legibus videtur in vxore habuiſſe: ideoque qui vxorem occiderit, pro homicida habetur, verum lege Cornelia de Sicariis non tenebitur, quoniam iuſto eius dolori poenas *vltimas* condonarunt humaniſſimi Imperatores, in eamque ſententiam reſcripſit M. Antoninus et Commodus apud *Vlpian.* l. 38. §. 8. *eod.* et ante eos Antoninus Pius *ibid.* et *l. 1. in fin. D. ad l. Cornel. de Sicar.*

Cuius rescripti verba sic se habent: *Ei, qui vxorem suam in adulterio deprehensam occidisse se non negat, vltimum supplicium remitti potest, cum sit difficillimum iustum dolorem temperare: et quia plus fecerit, quam quia vindicare se non debuerit, puniendus sit: sufficiet igitur, si humilis loci sit, in opus perpetuum eum tradi: si qui honestior, in insulam relegari.* Recte ergo eam iuris benignitatem exprimit *Vlpian. l.* 3. §. 3. *D. de Senatusc. Silan. Si Maritus in adulterio deprehensam vxorem occidat, quia* ignoscitur *ei, non tantum mariti, sed etiam vxoris seruos poena liberari, si iustum dolorem exsequenti domino non restiterunt.* Eadem erat humanitas, si quis interfecerit adulterum noctu deprehensum eius condicionis, vt per legem Iuliam impune occidi non potuerit. *Si* legis auctoritate cessante *inconsulto dolore adulterum interemit, quamuis homicidium perpetratum sit, tamen quia et nox et dolor iustus factum eius releuant, potest in exilium dari. L.* 4. *C. ad legem Iuliam de adulteriis.* Ita *Iulius Paulus Recept. Sentent. l.* 2. *tit.* 26. §. 5. *Maritum, qui vxorem deprehensam cum adultero occidit, qui hoc impatientia iusti doloris admisit, lenius puniri placuit.* Profecto Romae ante Legem Iuliam Marito non videtur fraudi fuisse in adultero irae suae indulgere, vt plurimis exemplis confirmat, qui argumentum hoc summa cum eruditione tractauit, *Brissonius ad L. Iuliam de Adulteriis.* Varia, quae variae gentes de adulterio decernebant, congessere *Scheffer.* ad *Aelian.* V. *Histor.* XII. 12. et *Asinius* in *Comment. ad Tit. de Relig. et Sumpt. Funer. D.* pag. 119. Nationes certe, quae sapientiam et auctoritatem Iuris Ciuilis aemulari videbantur, antiqua seueritate continebantur. Ita in Wisigothorum legibus, quae in hac parte pene cum Solonis contendere videantur: *Lib.* 3. *Tit.* 4. *Lex* 3.

SI CVIVSLIBET VXOR ADVLTERIVM FECERIT ET DEPREHENSA NON FVERIT ANTE IVDICEM

CEM COMPETENTIBVS SIGNIS ET INDICIIS MARITVS ACCVSET. QVOD SI MVLIERIS ADVLTERIVM MANIFESTE PATVERIT, ADVLTER ET ADVLTERA SECVNDVM SVPERIORIS LEGIS ORDINEM IPSI TRADANTVR: *VT QVOD DE IIS FACERE VOLVERIT, IN EIVS PROPRIO CONSISTAT ARBITRIO.*

Et in lege proxima:

SI ADVLTERVM CVM ADVLTERA MARITVS VEL SPONSVS OCCIDERIT *PRO HOMICIDA NON TENEATVR.*

Gundebaldus, qui Burgundionibus legis tulit, non hoſpes in Romano iure, lege ſanciuit LXVIII. *de Adulteriis*,

SI ADVLTERANTES INVENTI FVERINT, ET VIR ILLE OCCIDATVR ET FEMINA.

Septentrionalium quidem iura, quibus vtimur magis, in compoſitione et argenti aeſtimatione plerumque conſiſtunt, vt Leges Salicas *Lindenbrogii* cura editas legenti patebit. Veterem tamen diſciplinam reuocauit Ius Baiwariorum *Tit. de Vxoribus et taufis, quae ſaepe contingunt, L. Si cum vxore alterius quis concubuerit.*

SIQVIS CVM VXORE ALTERIVS CONCVBVERIT LIBERA COMPONAT HOC MARITO EIVS CVM SVO WEREGELDO ID EST CLX SOL.

ET SI IN LECTO CVM ILLA INTERFECTVS FVERIT PRO IPSA COMPOSITIONE QVAM DEBVIT SOLVERE MARITO EIVS IN SVO SCELERE IACEAT SINE VINDICTA.

Supplicii ſeueritatem ſuſtulit Imp. Fridericus *Conſtitut. Neapol. l. 3. tit. 43. de adulteriis et lenociniis*, hiſce verbis. *Legum aſperitate lenita, non vt olim contra adulteratas et adulteros, ad aliorum coniuges accedentes, gla-*

dio est agendum, sed rerum ad eos pertinentium confiscatio inducetur, si filios legitimos ex eo matrimonio violato, vel alio non habuerit: periniquum enim eos successione fraudari, qui nati sunt eo tempore, quo huius thori lex legaliter seruabatur. At viro tradenda est mulier, nullatenus vitae periculum subitura, sed vltionem thori violati, nasi truncationis, quod saeuius et atrocius inducitur, persequutura: vltra enim neque viro, neque parentibus seruire (f. saeuire) licebit: Quod si vir eius in eam vindictam dare noluerit, nos huiusmodi maleficium non sinemus inultum, sed ipsam praecipimus publice flagellandam. Nam ante eum tulit Rogerius *l. 3. tit. 49. de poena vxoris in adulterio deprehensae,*

SI MARITVS VXOREM IN IPSO ACTV ADVLTERII DEPREHENDERIT TAM ADVLTERVM QVAM VXOREM OCCIDERE LICEBIT NVLLA TAMEN MORA PROTRACTA.

Fusius fortasse haec quam oportuit; verum non ingrata videbitur commentatio, si quis maiorum sensa de eo delicto perspicere cupiat, cuius vnius fere supplicium non a foro, sed dolore patientis aestimari voluere. Quod reliquum est breuiori ambitu concludam; memor me in hoc commentariolo non leges *Lysiacas* illustrare, sed recensere tantum.

III.

Εαν τις ανθρωπον ελευθερον η παιδα αισχυνη βιᾳ διπλην την βλαβην οφειλειν εαν δε γυναικας εφ αισπερ αποκτειναι εξεστιν τοις ενεχεσθαι. p. 34. pen.

Vbi primus reposui διπλην pro διπλουν. Longe inclementius de *illecebris*, quam de *violentia*, statuerunt leges Atticae, et quidem contra omnium fere gentium vsum et disciplinam. Apud Romanos enim, *Qui vacantem mulierem rapuit vel nuptam*, vltimo *supplicio punitur*. Marcian. l. 5. §. 2. *D. ad leg. Iuliam de vi publica.* Id quod sanci-

ſanciuit Imp. Iuſtinianus *l. vnic. C. de raptu Virginum: Raptores virginum honeſtarum vel ingenuarum, ſiue iam deſponſatae fuerint, ſiue non, vel quarumlibet viduarum feminarum, licet libertinae, vel ſeruae alienae ſint, peſſima criminum peccantes*; capitis ſupplicio *plectendos decernimus.* — *Et merito* mortis damnantur ſupplicio: *cum nec ab homicidii crimine huiuſmodi raptores ſint vacui.* Pergit Imp. *Quae multo magis contra eos obtinere ſancimus, qui* nuptas mulieres *auſi ſunt rapere; quia duplici tenentur crimine, tam adulterii, quam rapinae: et oportet acerbius adulterii crimen ex hac adiectione puniri.* Adde *Iul. Paul. Recept. Sent. lib. 2. tit. 26. §. 12. Qui maſculum liberum inuitum ſtuprauerit*, capite *punitur.* Apud Athenienſis quidem, qui momentum facinoris exitu aeſtimabant, vis adulterium releuabat. *Illa* enim, vt contendebant iſtius iuris periti, corpus ſolummodo, non animum ſtuprabat: qui vero dolo et *blanditiis* mulierem adulterauit, animum ipſum infecit atque a marito alienauit. Idcirco iſtud delictum pecunia, hoc capitis poena coercebant. Sanane id philoſophia et ciuiliter inſtitutum, diſquirendi tempus non competit: Legem interea, ſiue potius legis particulam, ita mecum interpretari et intelligere poſſis.

LEX *de Raptore et Moecho.*

QVI HOMINEM PVERVMVE INGENVVM VI CONSTVPRAVERIT DVPLVM LVITO: QVI ETIAM MVLIEREM MVLIERESVE IN DOMINIO MARITI POSITAS *(in quibus ſc. moechum deprehenſum lege occidere poſſis)* EODEM IVRE TENETOR. MOECHVS AVTEM ***

Fortaſſe autem quoniam de *vi* et *ſuadela* legem agere certum eſt ex *Lyſiae* argumentis et ratione legis laudandae, tota concinnatur ex *Lyſia* et *Aeſchine c. Timarch.* h. p.

Εαν τις ανθρωπον ελευθερον η παιδα αισχυνηι βιαι διπλην την βλαβην οφειλειν εαν δε γυναικας εφ αιστερ αποκτειναι εξεστιν (sc. γαμετας) εν τοις αυτοις ενεχεσθαι. Εαν δε τις ελευθερον παιδα η γυναικα προαγωγευσηι, θανατωι ζημιουσθαι.

Quid voluit Ius Atticum per διπλῆν βλάβην, fortasse expedient loci proxime a me laudandi. Οἱ περὶ τῆς βλάβης ἔτοι νόμοι πάντες — ἂν μὲν ἑκὼν βλάψῃ, διπλοῦν, ἂν δ' ἄκων, ἁπλοῦν τὸ βλαβος κελεύουσιν ἐκτίνειν. Demosth. *c. Mid.* Ἀλλ' οἱ νόμοι περὶ μὲν τῶν ἄλλων ἀδικημάτων τῶν εις αργυριου λογον ανηκοντων διπλῆν τὴν βλάβην ὀφείλειν κελευουσι. Dinarch. *c. Demosth.* Ἐὰν μὲν δοῦλον κτείνῃ νομίζων τὸν ἑαυτῷ διεφθάρθαι, τὸν τῷ τελευτήσαντος δεσπότην ἀβλαβῆ παρεχέτω καὶ ἀζήμιον· ἢ δίκην εις την αξιαν τῷ τελευτήσαντος ὑποσχέτω διπλην. Plato *de Legg.* l. 9. Atque haec fere sunt, quae apud *Lysiam* matronarum pudicitiam et connubiorum iura defendunt, ob inusitatum genus a *Plutarcho* in *vita Solonis* notata. Ὅλως δὲ πλείστην ἔχειν ατοπιαν οἱ περὶ τῶν γυναικῶν νόμοι τῷ Σόλωνι δοκοῦσιν· μοιχὸν μὲν γὰρ ἀνελεῖν τῷ λαβόντι δέδωκεν· ἐὰν δ' ἁρπάσῃ τις ἐλευθέραν γυναῖκα καὶ βιάσηται, ζημίαν ἑκατὸν δραχμὰς ἔταξε (ita enim a Solone olim institutum) — τὸ δ' αὐτὸ πρᾶγμα ποτὲ μὲν πικρῶς καὶ ἀπαραιτήτως κολάζειν, ποτὲ δὲ εὐκόλως καὶ παίζοντα, πρόσιμον ζημίαν τὴν τυχοῦσαν ὁρίζοντα, ἄλογόν ἐστι. Vt hunc titulum concludam, quanquam leges *generaliter* quodammodo loquantur, μοιχὸν ἀνελεῖν τῷ λαβοντι δέδωκε, et Εαν τις μοιχὸν λάβῃ, illud tamen ius interficiendi videtur semper ad *maritum* solummodo pertinere.

IV.

Ου νομιμον εξω του πραγματος λεγειν. p. 163. 2. Cautum hoc de actionibus Areopagiticis, quae maxima solennitate, addo quoque et severitate, instituebantur.

bantur. Εϛ ἂν μὲν περὶ τῦ πράγματος λέγωσιν, ἀνέχεται ἡ βυλὴ [Areopagitica sc.] καθ' ἡσυχίαν ἀκούσα· ἢν δέ τις ἢ προοίμιον εἴπῃ πρὸ τῦ λόγυ, ὡς εὐνουςέρυς ἀπεργάσαιτο αὐτὰς, ἢ εἶκτον, ἢ δεινωσιν ἔξωθεν ἐπάγοι τῷ πράγματι, οἷα πολλὰ ἑητόρων παῖδες ἐπὶ τὰς δικαςὰς μηχανῶνται, παρελθὼν ὁ κήρυξ κατεσιώπησεν εὐθύς, ἐκ ἐῶν ληρεῖν πρὸς τὴν βυλὴν, καὶ περιπέττειν τὸ πρᾶγμα ἐν τοῖς λογοις, ὡς γυμνὰ τὰ γεγενημένα οἱ Αρεοπαγῖται βλέποιεν. Lucian. in *Anacharfide.* Morem hunc tangit iterum *Lyfias* in principio Orationis *de Milite*, in *Oratione Areopagit. de Oliua*, et *Lycurgus c. Leocratem Edit. Steph.* p. 149. Καὶ ταῦτα, κάλλιςον ἔχοντες τῶν Ελλήνων παράδειγμα, τὸ ἐν Αρείῳ πάγῳ συνέδριον. ὃ τοσῦτον διαΦέρει τῶν ἄλλων δικαςηρίων, ὥςε καὶ παρ' αὐτοῖς ὁμολογεῖσθαι τοῖς ἁλιςκομένοις δικαίαν ποιεῖσθαι τὴν κρίσιν. πρὸς ὃ δεῖ καὶ ὑμᾶς ἀποβλέποντας μὴ ἐπιτρέπειν τοῖς ἔξω τῦ πράγματος λέγουσιν. Add. *Poll.* VIII. 10. Προοιμιάζεσθαι δὲ ἐκ ἐξῆν, ἀδὲ οἰκτίζεσθαι. et *Ariſtot. Rhetor.* init. Athenis quoque *vetari actorem affectus mouere, et reciſam fuiſſe orandi poteſtatem* memorat Quintilian. II. 16. et VI. 1. *Exemplo legis Atticae* Martiique iudicii *cauſae patronis denunciat Praeco neque principia dicere neque miſerationem commouere.* Apul. Neſcio, annon ex hac diſciplina profectum ſit, quod *Dionyſ. Halic.* obſeruet auctorem noſtrum ſaepenumero ἀπροοιμιάςως cauſas ſuas intuliſſe. Contrarium omnino *Caius* l. 1. §. 1. *D. de O. I. Deinde ſi in foro cauſas dicentibus* nefas, *vt ita dixerim, videtur eſſe, nulla praefatione facta, Iudici rem exponere, quanto magis*, et quae ſequuntur.

V.

Εν αρειωι παγωι ομολογων αδικειν αποθνησκει εαν δε αμΦισβητηι ελεγχεται. p. 210. vlt.

Nam *Confessus pro iudicato est, qui quodammodo sua sententia damnatur. L. 1. D. de Confessis.* Atque ita rescripsit Imp. Antoninus, *Confessos in Iure pro iudicatis haberi placet. L. vnic. C. de Confessis.*

VI.

Αν τις ανδρος σωμα τρωσηι κεφαλην η προσωπον η χειρας η ποδας αυτος κατα τους νομους τους εξ αρειου παγου φευξεται την του αδικηθεντος πολιν η τραυματος εκ προνοιας και εαν κατιη ενδειχθεις θανατωι ζημιωθησεται. p. 212. 3.

De vulnere *cum animo occidendi* inlato iudicabat inter alia Curia Areopagitica. *Lucian.* in *Anacharside. Aelian. V. H.* V. 15. *Demosth. c. Aristocr.* et *Maiam. Galen. Comment. 1. in Hippocr. Prognost.* (vbi verba transponi debent τοιοῦτον γάρ ἐστι καὶ τὸ παρὰ τῶ Σόλωνι: δικαζειν δε την βουλην την εν αρειω παγω φονου και τραυματος και πυρκαιας εκ προνοιας, και φαρμακων εαν τις αποκτεινηι δους. lege τραύματος ἐκ προνοίας καὶ πυρκαιᾶς) *Maxim. Prolog. ad Dionys. Areopagit. Heliad. Chrestomath. Poll.* VIII. 10. *Petit.* lib. 7. tit. 1. pagg. 504, 525, qui male binas leges procuderit de hac actione. vocabatur δίκη τραύματος ἐκ προνοίας. Hac lege *non exitus rerum, sed hominum consilia*, vt cum *Cicerone* loquar, *vindicantur*, aut cum D. Hadriano l. 14. *D. ad Legem Corneliam de Sicariis, in Maleficis voluntas spectatur, non exitus.* Nam qui alium verberauit per rixam aut in vino, ille tenebatur lege αἰκίας, quae actio erat *priuata*, et minoris aestimabatur. *Lysias* p. 159. 5. οἱ τὲς τόμες ἐνθάδε θέντες, ἐκ εἴ τινες μαχεσάμενοι ἔτυχον ἀλλήλων κατεάξαντες τὰς κεφαλὰς, ἐπὶ τέτοις ἠξίωσαν τῆς πατρίδος φυγὴν ποιήσασθαι — ἀλλ' ὅσοι ἐπιβελεύσαντες ἀποκτεῖναί τινὰς ἔτρωσαν, ἀποκτεῖναι δὲ ἐκ ἠδυνήθησαν, et quae sequuntur. Similiter in Iure Ciuili, l. 1. §. 3. *D. ad legem*

legem Corneliam de Sicariis. Diuus Hadrianus rescripsit, eum, qui hominem occidit, si non occidendi animo hoc admisit, absolui posse: et qui hominem non occidit, sed vulnerauit, vt occidat, pro homicida damnandum: *et ex re constituendum hoc. Nam si gladium strixerit, et in eo percusserit, indubitate occidendi animo id eum admisisse: sed si claui percussit aut cuccuma in rixa, quamuis ferro percusserit, tamen non occidendi animo, leniendam poenam eius, qui in rixa casu magis, quam voluntate homicidium admisit.* Itaque rescripsit Imp. Antoninus l. 1. C. eod. *Frater vester rectius fecerit, si se Praesidi prouinciae obtulerit. Qui si probauerit, non occidendi animo hominem a se percussum esse, remissa homicidii poena secundum disciplinam militarem sententiam proferet: crimen enim contrahitur, si et voluntas nocendi intercedat. Ceterum ea, quae ex improuiso casu potius, quam fraude accidunt, fato plerumque, non noxae imputantur.* Acute limites ponit inter causas Κακηγορίας, Αἰκίας, et Τραύματος ἐκ προνοίας Orator *contra Cononem*, qui locus omnino est conferendus. In hac lege primo restitui vocem παγου ex Cod. MS. deinde docui ista ἢ τραύματος ἐκ προνοίας margini fuisse adlita h. p. ἤγεν τραυμ. ἐκ προνοίας, vt offenderet adnotator aliquis, qualis esset lex Areopagitica, quam Orator laudat. Nihil ea emendatione verius.

VII.

Στρατευεσθαι μεχρι τετταρακοντα ετων ἀφ ἡβης.

Legem hanc *de aetate militari*, quanquam non ea diserte a *Lysia* laudetur, adduxi, quoniam in nota 36. ad p. 244. illam multo labore vindicaui. P. A. vsque ad annum 60. (siue, quod perinde est, ad annum 42. ἀφ' ἥβης) militiae operam dedit. Non ergo Quadragenarii *simpliciter*, vt omnes fere ante me sensere, sed Quadragenarii ἀφ' ἥβης a militia vacabant. Grauissima

ma erat *Petiti* in hac re hallucinatio, quam pluribus l. c. redargui.

VIII.

Δουλον μηνυσαντα ελευθερον γενεσθαι. p. 274. 8.

Quanquam Athenis *Seruo teſtimonii dictio non erat*, vt diſcimus ex *Comoedia:* quanquam itidem Romae, vel propter *lubricum conſilii*, vel *condicionis* infamiam raro ad *teſtimonii fidem* admittebatur (vid. l. 3. §. 5. *D. de Teſtibus.* Reſcripſerunt enim Impp. Diocletianus et Maximian. *Seruos pro Domino, quemadmodum aduerſus eum interrogari non poſſe: pro facto autem ſuo interrogari poſſe non ambigitur: L. vnic. D. eod.* Vnde *Cic. pro Deiotaro*, init. *Nam cum more Maiorum de ſeruo in dominum ne tormentis quidem quaeri liceat, in qua quaeſtione dolor veram vocem elicere poſſit, etiam ab inuito* etc) abunde tamen conſtat in *iure* Athenienſium *publico* atque in Reip. negotiis libertatem Seruis ſponderi indicia facientibus, dummodo vera eſſe comparuerint. Vid. *Lyſiam* pag. 187. et *Andocid.* p. 2, 3. *Edit. Steph.* vbi Alcibiadis facinora deferebant maxime Serui. Non poenitebat enim Remp. *admoneri* ſuae ſalutis vel ab infima plebecula: *fidem* rerum geſtarum non niſi ab ingenuis accipere voluit. Male hanc partem Iuris Attici neglexit, quem tamen ob diligentiam ſummopere miror, *Sam. Petitus.*

IX.

Εαν τις αρχην εν συνεδριοι λοιδορη ζημιουσθω. p. 320. vlt.

Vertitur, *Si quis Magiſtratui forum agenti maledixerit, multa ei inrogator.* Tu verte, *Siquis* omnino *in Foro conuicia fecerit, multa ei inrogator.* Quantum noſtro ingenio debeat Lex iſta, malui ex loco diſci adlegato, quam hic repetere. Repetam tamen perpauciſſima. (1.) Qui legem adducit, deferebatur, quod *in Foro* ἐλοιδόρησε, non quod Magiſtratui conuicia fecerit,

cerit. (2.) Cum legem alibi in h. oratione adducat, vel rem geſtam narret, de *loco*, (quod eſt praecipuum caput legis) omnia; de *perſona* nihil. Τῶ μὲν νόμῳ διαρρήδην ἀγορεύοντος τους εν τω συνεδριω λοιδορουντας ζημιῶν. Et rurſus p. 325. 8. εἰ γὰρ φανερός εἰμι μὴ ἐλθων εἰς το συνεδριον, ὁ δὲ νόμος τους εντος πλημμελουντας ἀγορεύει τὴν ζημίαν ὀφείλειν. (3.) Solo, qui *grauiſſimam* poenam ſtatuit eis, qui *vbiuis* Magiſtratui conuicia feciſſent, (erat enim vel ἀτιμία iuxta *Demoſthenem*, iuxta *Vlpianum* mors ipſa) non vtique *leuiorem*, (mulctam ſc.) ſtatueret eis, qui conuiciarentur eidem *in Foro* atque in iure dicundo. Nam ſec. *Paul. Sentent. Recept. §.* 10. *tit. de Iniuriis*, *Atrox iniuria aeſtimatur aut* loco, *aut tempore*, *aut perſona*. Et ſimiliter *Papian. Reſponſorum libro tit.* 5. *Si quis forte temerarie aut vulnus, aut fracturam oſſium inſlixerit, aut in conuicia atrocia forte proruperit, ſolutio vel vindicta pro facti ipſius qualitate in iudicis arbitrio et aeſtimatione conſiſtat ſecundum regulam Gaii ſub tit. de iniuriarum actione. Eſt enim grauis, quae in publico*, vel in foro, *vel ab humiliore perſona inluſtriori infertur*. Ita l. 7. §. *D. de iniuriis*. *Atrocem autem iniuriam aut perſona, aut tempore, aut re ipſa fieri Labeo ait. Perſona atrocior iniuria fit, vt cum Magiſtratui, cum Parenti, Patrono fiat. Tempore ſi ludis et in conſpectu. Nam* Praetoris in conſpectu, *an in ſolitudine* iniuria *facta fit*, *multum* intereſſe ait: quia atrocior eſt, *qua in conſpectu fiat*. Add. l. 16. §. 4. *D. de poenis*. (4.) Exſtat Lex Solonis a *Plutarcho* in eius *vita* laudata, quae *omnia omnino* conuicia ἐν δικαστηρίοις et ἀρχείοις repreſſit eodem poenae genere, quod hic memoratur. (5.) Denique ἀρχὴν vel τὴν ἀρχὴν commode exponi poteſt per *omnino*, vt pluribus l. c. oſtendi, quibus addas iſtud *Luciani V. Hiſt.* init. γράφω τοίνυν περὶ ὧν μήτ' εἶδον, μήτ' ἔπα-

θον,

θον, μήτε παρ' ἄλλων ἐπυθόμην· ἔτι δὲ μηδὲ ὀλως ὄντων, μηδὲ την αρχην γενέσθαι δυναμένων.

X.

Τον λεγοντα κακως ζημιουσθαι εαν μη αποφαινη ως εστι αληθη τα ειρημενα. p. 373. 2.

Videtur ergo ex hoc iure *veritas conuicii conuicianti excusare.* Quaedam autem fuerunt conuicia, quae diserte Lex vetabat, vt ex proxima constitutione discimus. Ea autem vocabantur απορρητα.

XI.

Τους λεγοντας τι των απορρητων πεντακοσιας δραχμας οφειλειν

εἶον

Ανδροφονον μη λεγειν.

Τους των αλλων πατερας μη κακως λεγειν τεθνεωτας.

Πατραλοιαν η μητραλοιαν μη ειπειν.

Εαν τις φασκη αποβεβληκεναι την ασπιδα υποδικον εναι.

Collegi haec capita τῶν απορρητων ex oratione κατὰ Θεομνήστου, p. 339. atque ibidem nonnulla vindicaui. Oratio illa plurimas leges continet alibi vix reperiundas. Sunt autem, quae sequuntur.

XII.

Ατιμον εναι τον τα οπλα αποβεβληκοτα.

Colligo ex his verbis, p. 342. 1. Λυσίθεος Θεόμνηστον εἰσήγγειλε τὰ ὅπλα ἀποβεβληκότα, ὐκ ἀξιῶν αὐτὸν (ita lego pro ἐξὸν αὐτῷ) δημηγορεῖν. Ita in lege, quae titulum habuit δοκιμασια ρητορων et laudatur ab *Aeschine c. Timarchum.* Et haec erat ἀτιμίας species. Porro *Andocides de mysteriis* cum recenset eos, ὧν τὰ μὲν σώματα ἄτιμα ἦν, τὴν δ' ὐσίαν ἔσχον καὶ ἐκέκτηντο, habet καὶ ὁπόσοι λίποιεν τὴν τάξιν, ἢ ἀστρατείας, ἢ δειλίας, ἢ ἀναυμαχίᾳ ὄφλοιεν, ἢ τὴν ασπιδα αποβαλοιεν.

λοιεν. Grauius adhuc in militia Romana. *Miles, qui in bello arma amisit vel alienauit, capite punitur: humana militiam mutat.* l. 3. §. 14. *D. de re militari.*

XIII.

Ο, τι εαν τις απολεσηι, εαν μεν αυτο λαβηι την διπλασιαν καταδικαζειν· εαν δε μη την δεκαπλασιαν προς τοις επαιτιοις· δεδεσθαι δ' εν τη ποδοκακκη τον ποδα πενθ ημερας και νυκτας ισας εαν προστιμηση η ηλικια προστιμασθαι δε τον βουλομενον οταν περι του τιμηματος η.

Primus hic restitui ποδοκάκκη pro ποδοκάκη. Male hic quoque in Editis *Lysiae* p. 356. vlt. pro ἡμέρας πέντε, ἡμέρας δέκα, et pro ἐὰν μὲν προσιμήση, ἐὰν μὴ προτιμήση. Exstat integra Lex apud *Demosth. c. Timocr.* vnde descripsit *Petitus L. 7. Tit. 5. de Furtis.* Nam de Fure diurno agitur, quem *dupli poena vindicari* voluit Solo, vt discimus ex *Gellio* XI. 18. Posterius membrum, quod solum apud *Lysiam* legitur, explicat, quatenus sc. per menda potuit, idem *Petitus L. 4. Tit. 9. de poenis*, ratus alterius legis fragmentum esse. Quod secus est.

Sequitur

Επεγγυαιν επιορκησαντα τον Απολλω· δεδιοτα δε δικης ενεκα δρασκαζειν.

Fide iubeto iuratus Apollinem — fugerit sibi metuens litis causa. Petit.

Nemo ex his sensum elicere quiuit. Memor esto *Lysiam* in h. loco p. 359. 5. non leges ad vsum forensem citare, verum legum particulas, quae antiquatas aliquas et vetustate obsitas continerent loquendi formulas. Ita in superiori ποδοκάκκη erat Soloni, quod in *Lysiae* aetate ἐν τῷ ξύλῳ δεδέσθαι. Hic ἐπιορκήσαντα est ὀμόσαι, et δρασκάζειν ἀποδιδράσκειν. Habes ergo duarum legum fragmenta.

XIV.

XIV.

Επεγγυαιν επιορκησαντα τον Απολλω.

XV.

Δεδιστα δικης ενενα δρασκαζειν.

Spectabat fortasse hoc postremum ad solennitatem iudicii Areopagitici, vbi Reus post priorem defensionem (nam bis dicere potuit) si causae suae diffidebat, tuto se fuga subduxit. *Τον πρότερον ἔξειν εἰπόντα λόγον μεταξῦναι· καὶ ἔθ' ὁ διώκων ἔθ' οἱ δικάζοντες, ἔτ' ἄλλων ἀνθρώπων ἐδεὶς κύριος καλῦσαι.* Demosth. *c. Aristocr.* Add. *Poll.* VIII. 9. tit. *περὶ Πωλητῶν.* et VIII. 10. init. Apud *Suid.* in *Εν ἄλλω δρασκάζειν* vox ea exponitur *latitare.* Apud *Hesych.* vtrumque et *aufugere* et *latitare*, *Δρασκάζειν κρύπτεσθαι, ἀποδιδράσκειν.* Corrige eundem in *Δραγκάζειν, κρύπτειν.* i. e. *Δρασκάζειν.*

XVI.

Οστις απειλῃ τῃ θυρᾳ ενδον του κλεπτου οντος.

Quicunque a ianua prohibuerit, cum fur intus esset. Vulg. *ἀπίλλῃ*, p. 359. vlt. quod emendauimus. Furtum facere videtur, qui furi exitum et salutem parat, ceteros a foribus arcendo.

XVII.

Το αργυριον τοκιμον ειναι εφ' οποσον αν βουληται ο δανειζων. p. 360. 3.

Vsurarum modus esto pro arbitrio foeneratoris.

Atticorum leges vsurariae, quarum haec videtur esse antiquissima, erudite a *Salmasio* explicantur, et maximo cum eruditionis apparatu. Quem tu interea consulas. Sequitur

Οσαι πεφασμενως πωλουνται και οικνος και βλαβης την δεκην ειναι οφειλειν. p. 361. 1.

Quae

Quae publice proſtant, etiam ſeruorum iniuriae obnoxiae ſunto. Petit.

Vulg. apud *Lyſiam* ὅσοι. Verum tu totum ita diſtinguas et corrigas.

XVIII.

Οσαι πεφασμενως πολουνται.

καὶ

XIX.

Οικηος και δουλης την βλαβην ειναι οφειλειν. p. 362. 1.

Prior particula pertinet ad iſtam legem, quam adduxit alicubi *Demoſthenes.* PRO MOECHO NE DEPREHENDITOR IN MERETRICE QVAE VEL IN LVPANARI QVAESTVM FECERIT VEL PVBLICE PROSTITVERIT. Vel etiam ſpectare poteſt ad aliam a *Plutarcho* laudatam, Εάν τις προαγωγεύῃ, ζημίαν ἔικοσι δραχμὰς ἔταξε [Solo] πλὴν οσαι πεφασμενως πωλουνται. Quod ad alterum pertinet membrum, id, cum tota lex nuſquam, quod ſciam, legatur, explicationem meam non admittit. Spectat procul dubio ad iura famulorum famularumque, Οἰκῆος καὶ δέλης. Nam prorſus vtique inficeta eſt lectio vulgata, Οἰκῆος καὶ βλάβης τὴν δέλην εἶναι ὀφείλειν.

XX.

Οσοι εαν μαχης ουσης εις τεπισω αναχωρησωσι και οσοι αν εν τη πεζη ςρατιᾳ μη παρωσι περι τουτων τους ςρατηγους δικαζειν. p. 520. vlt.

Solonis leges contra τὸν ἀςράτευτον, contra τὸν λελοιπότα τὴν τάξιν, et contra τὸν δειλὸν (εἰσὶ γὰρ καὶ δειλιας γραφαί· καίτοι θαυμάσειεν ἄν τις ὑμῶν, εἰ εἰσὶ φυσεως γραφαί· εἰσί. vt loquitur Orator. *c. Cteſiph.*) laudat idem *ibid.* Poena erat ἀτιμία. Ασρατείαν, Λειποτάξιον et Δειλίαν, vt quae ſpecie differant, recenſet *Andocides*, cuius verba legas ſupra Leg. XII.

XII. Vide, quae de hac re conscripsit eruditissimus *Marklandus* ad has orationes *contra Alcibiadem*. De legibus, quae ignauiam coerceant, nonnulla adnotauit *Spanheim.* ad *Iulian. Orat.* p. 239. De iurisdictione et potestate τῶν στρατηγῶν doctissimus *Perizonius* ad *Aelian. V. Hist.* V. 13. Ἀστρατείας lex erat apud Longobard. *L. 1. Tit. de Exercitalibus, l. 14.* SI QVIS LIBER HOMO, CONTEMPTA IVSSIONE NOSTRA, CETERIS IN EXERCITV PERGENTIBVS, DOMI RESIDERE PRAESVMPSERIT, PLENVM HERIBANNVM SECVNDVM LEGEM FRANCORVM, ID EST XL SOL. SCIAT SE DEBERE COMPONERE. Λειποταξίε apud eosdem lex proxima, SI QVIS CONTVMAX ADEO AVT SVPERBVS EXTITERIT, VT DIMISSO EXERCITV ABSQVE IVSSV ET LICENTIA REGIS DOMVM REVERTATVR ET QVOD NOS TEVDISCA LINGVA Herilit FECERIT, VT IPSE SIT REVS MAIESTATIS, VITAE PERICVLVM INCVRRAT, ET RES EIVS FISCO NOSTRO SOCIENTVR. Quid ea aetate fuerat *exercitum dimittere*, optime explicat *Capit. Karoli et Ludou. Impp. lib. 3. tit. 70.* QVICVNQVE ABSQVE LICENTIA VEL PERMISSIONE PRINCIPIS DE HOSTE REVERSVS FVERIT, QVOD FACTVM FRANCI Herislit DICVNT, VOLVMVS, VT ANTIQVA CONSTITVTIO, ID EST, CAPITALIS SENTENTIA, ERGA ILLVM PVNIENDVM CVSTODIATVR. Vice huius legis in nonnullis Exemplaribus leguntur, quae proxime ex Longobardorum constitutionibus descripsimus.

XXI.

Εαν τις αδοκιμαστος ιππευη ατιμος εστω. p. 523. 3.

Eadem poena, quae militiae munera detrectantem, quae ordinis sui desertorem in bello, quae ignauum et timidum sequebatur, in eos etiam inrogabatur, qui

ex

ex graui armatura, (vbi laboris et periculi plus erat) se in numerum Equitum sine legitimo delectu contulerint. Quae hic adduxi, verba sunt legis solennia: quae in superiori commate potius sunt Oratoris legem explicantis. Iussit sc. Lex, vt infamia notaretur, qui ἀδοκίμαστος ἱππεύῃ. Inde infit *Lysias*, eodem reatu teneri, qui in bello ordinem suum propter ignauiam deseruerit, et qui in graui armatura (ἐν τῇ πεζῇ στρατιᾷ) Equitibus nondum legitime adscriptus, non comparuerit.

XXII.

Μηδενα σιτον πλειω πεντηκοντα Φορμων συνωνεισθαι. p. 716. vlt.

Ne quis omnino vltra L *phormos frumenti mercetur.*

Lex erat contra annonam incendentis, et *capite* plectebat, si quis *annonam compressrit*. *Compressam* enim *annonam* vocat *Liuius* l. 48. quum precium per coemptionem auctum fuerit. συμπριαμένες καταθέσθαι vocat noster infra. *Annonam flagellare* Latini. Ita fere *Martial.* V. 13.

Quippe rogabatur fidusque vetusque sodalis,
Et cuius laxas arca flagellat *opes.*

Athenis ergo non licuit, coniuratione facta, vltra L. phormos coemere; ne obseruata caritate, mari intercluso, eam annonam, quam minoris coemissent, pro suo arbitrio venum darent. Solebant enim Dardanarii, vt auctoris nostri verbis vtar, nauigatione intercepta portubusque occlusis, ἐν τούτοις τοῖς καιροῖς ἐπιβουλεύειν τῇ πόλει ἐν οἷσπερ οἱ πολέμιοι. p. 722. 2. Obseruare Reipublicae calamitates id erat apud Romanos ICtos *Annonam adtentare*, quorum in iure ab huiusmodi insidiis et auaritia, non ea tamen seueritate, qua apud Athenienses, lege cautum erat. *Annonam adtemptare et vexare vel maxime Dardanarii solent: quorum*

auaritiae obuiam itum eſt tam Mandatis, quam Conſtitutionibus. Mandatis denique ita cauetur. Praeterea debebis cuſtodire, ne Dardanarii vllius mercis ſint: ne aut ab his, qui coemptas merces ſupprimunt, *aut a locupletioribus, qui fructus ſuos aequis preciis vendere nollent, dum minus vberes prouentus exſpectant, annona oneretur. Pœna autem in hos varie ſtatuitur: nam plerumque ſi negociantes ſunt, negociatione eis tantum interdicitur: interdum et relegari ſolent, humiliores ad opus publicum dari. l. 6. in prin. D. de extraordinariis crimimbus. Item l. vnic. C. de Monopoliis. Iubemus, ne quis — monopolium audeat exercere, neue quis illicitis habitis conuentionibus coniuret aut paciſcatur, Vt ſpecies diuerſorum corporum negociationis non minoris, quam inter ſe ſtatuerint, venundentur.* Crimine ſtellionatus tenebantur huiuſmodi malefici. *Qui merces ſuppreſſit, ſpecialiter hoc crimine poſſulari poteſt. l. 3. D. de crimine Stellionatus.* Placuit ergo extra ordinem plectere, vt ait *Vlpianus l. 2. D. eod. Pœna autem ſtellionatus nulla legitima eſt, cum nec legitimum crimen ſit. Solent autem ex hoc extra ordinem plecti, dummodo non debeat opus metalli haec poena in plebeiis egredi: in his autem, qui ſunt in aliquo honore poſiti, ad tempus relegatio vel ab ordine motio remittenda eſt.* Athenienſes, quibus contra annonae *incendium* prouidendum erat maxime, (quanquam enim frumenti *fationem*, vt gloriantur, ceteras nationes docuere, πλείῳ tamen ἀπάντων ἀνθρώπων ἐπεισάκτῳ σίτῳ vtebantur) ceteris rebus venalibus quibuſcunque magiſtratus, quos ἀγορανόμους vocabant, praefecere, ἐπὶ δὲ ταύτῃ μενῃ τῇ τέχνῃ χωρὶς Σιτοφύλακας conſtituebant: καὶ πολλάκις, inq. ille, παρ' ἐκείνων πολιτῶν ὄντων δίκην τὴν μεγίστην ἐλάβετε, ὅτι ὐχ οἷοίτ' ἦσαν τῆς τούτων πονηρίας ἐπικρατῆσαι. p. 722. vlt. Vnde elicitur, (quanquam et alibi conſtet, ſupra enim, Εἰπέ συ ἐμοὶ, μέτοικος εἶ; Ναί. Μετοικεῖς δὲ πότερον κ. τ. λ.) p. 715. 3. non-

nonnullos quaestus adeo ciuibus Athenienſibus interdici, cuiusmodi erat haec frumentaria, vt non niſi ab Inquilinis exerceri poterant: nonnullas item *mancipiis* ablegari. Ita in Veterum didaſcaliis auloedi vel tibicines nunquam ex Ciuibus. Inſcriptiones apud *Fulu. Vrſinum.*

Αιγηις ανδρων ενικα
Ευαγιδης Κτησιου Φιλαιδης εχορηγει
Λυσιμαχιδης επιδαμνιος ηυλει
Χαριλαος λακρος εδιδασκε
Ευθυκριτος ηρχεν.

Et alibi apud *eundem*,

Νικοκλης αμβρακιωτης ηυλει.

et

Ευιος χαλκιδευς ηυλει.

et

Θεων θηβαιος ηυλει.

Eiusdem condicionis procul dubio fuit, cuius memoriam conſeruauit Marmor apud *Sponium*,

Λυσικρατης Λυσιθειδου κικυννευς εχορηγει
Ακαμαντις παιδων ενικα θεων ηυλει
Λυσιαδης αθηναιος εδιδασκε ευαινετος ηρχε.

Ita, αυλειτωσαν ἔν ἔφη [Alcibiades] Θηβαίων παῖδες· οὐ γὰρ ἴσασι διαλέγεσθαι, ἡμῖν δὲ τοῖς Αθηναίοις etc. *Plutarch.* in *Alcibiade.* Ita Αντιγενίδας Σατύρου Θηβαῖος αὐλῳδὸς Φιλοξένῳ. Suid. in *v.* Videtur omnino idem eſſe, quem memorat Noſter in Orat. πρὸς Νίκαρχον τὸν αὐλητήν, vti laudatur ab *Harpocratione.* *Steph. Byzant.* v. Αραβία. Ως ἡ παροιμία Αράβιος αὐλητής, ἣν ἔταττον ἐπὶ τῶν ἀπαύστως διαλεγομένων. ἢ διὰ τὸ μηδένα Ελλήνων διασκευάσασθαι τὴν αὐλητικὴν, ὡς ἔσαν βάναυσον, καὶ παντελῶς ἀγελεύθερον,

ἁπλᾶ βαρβάροις αὐλητῶις χρῆσθαι· Διὸ καὶ Λεάβιος αὐλητὴς, ὃς

Δραχμῆς μὲν ἤυλει, τεττάρων δ' ἐπαύετο.

Vile ergo apud Antiquos Muſicae omnis miniſterium, vti praeſumit *Ariſtot. Polit.* L. 1. Οὕτως εἰ αἱ κερκίδες ἐκέρκιζον αὐταὶ, καὶ τὰ πλῆκτρα ἐκιθάριζεν, οὐδὲν ἂν ἔδει ὅτε τοῖς ἀρχιτέκτοσιν ὑπηρετῶν, ὅτε τοῖς δεσπόταις δούλων. Verum haec, inquies, extra oleas. Volui autem aliis diſpiciendum proponere, quare Athenis ſolis Dardanariorum quaeſtus illiberalis haberetur, et ingenuo homine indignus. Nunc redeo.

XXIII.

Τους τα αποκλυμενα τοις κλεπταις συνειδοτας τοις αυτοις ενεχεσθαι. p. 832. pen.

Quoniam videtur furti conſcius *opem* ſuam, aut ſaltem *conſilium* adhibuiſſe. Ait vero *Paulus Sent. Recept. l. 2. tit. de furtis.* §. 10. *Non tantum, qui furtum fecerit, ſed etiam is, cuius ope aut conſilio furtum factum fuerit, furti actione tenebitur.* Nam, *Paulus ait, ſicut nemo furtum facit ſine dolo malo, ita nec conſilium vel opem ferre ſine dolo malo poſſe. l. 50.* §. 2. *D. de furtis.* Atque ita in legibus Wiſigothorum *lib. 7. tit. de furibus et furtis* §. 7. *Non ſolum ille, qui furtum fecerit, ſed etiam quicunque* conſcius *fuerit, vel furtim ablata ſciens ſuſceperit, in numero furantium habeatur, et* ſimili vindictae ſubiaceat. Fruſtra hanc iuris particulam in *Petiti* commentario diutius quaeſiui.

XXIV.

Υπογραμματευσαν δε εξεσι δις τον αυτον τη αρχη τη αυτη. p. 865. 1.

Triginta dies, et quod excurrit, ſcribatus munere fungi cautum erat. Iterum ſub eodem Praetore ad id officium

ficium admoueri non poterant. Tam sedulo sibi ca uit a ministris publicis Ciuitas Athenienſium.

XXV.

Ορκος των βουλευτων.

Τα βελτιστα συμβουλευειν τη πολει.

Αποφαινειν ει τις τινα οιδε των λαχοντων ανεπιτηδειον ονται βουλευειν.

Habes haec capita p. 887. 5. Secundum a *Petito* negligitur.

XXVI.

Ει τις φευγοντι τι προδωκεν η ναυν η στρατοπεδον τι εν ω μερος τι ετυγχανε των πολιτων ταις εσχαταις ζημιαις ζημιουσθαι. p. 886. 2.

Quemadmodum in iure Romano, *Proditores, transfugae, plerumque capite puniuntur et exauctorati torquentur: nam pro hoſte, non pro milite habentur. l. 7. D. de re militari.* Quod Ius Atticum ἐσχάταις ζημίαις, Romanum *Capite.* Aliquando eadem loquendi ſolennitas in vtroque iure conſpicitur. *Celſus* enim *l. 21. D. de poenis*, ait, Vltimum ſupplicium *mortem ſolam interpretamur.*

XXVII.

Ατιμον ειναι τον εν στασει πολεως μηδετερα μεριδι προσθεμενον.

Memorat hanc legem Solonis, recte tamen ait a poſteris reprobari, *Plutarchus de ſolertia Animalium*, in libro *de ſera numinis vindicta et* in *Solone.* Memorat etiam *Cic. 10. Epiſt. ad Attic. 1. Ego vero Solonis popularis tui, vt puto, etiam mei, legem negligam, qui capite ſanxit, ſi quis in ſeditione non alterius vtrius partis fuiſſet.* Memorat etiam *Gellius* II. 12. et *Alexander Aphrodiſenſis* in *Topica Ariſtotelis.* In eo iure verti-

tur oratio *Lysiae c. Philonem*, qui tamen ius istud potius *moribus* fuisse receptum innuit, quam *scriptis* sancitum. Sed contrariae fuisse sententiae video *Gellium* l. c. *In legibus Solonis illis antiquissimis, quae Athenis axibus ligneis incisae sunt, legem esse Aristoteles refert* scriptam *ad hanc sententiam:* SI OB DISCORDIAM DISSENSIONEMQVE SEDITIO ATQVE DISCESSIO POPVLI IN DVAS PARTIS FIERET, ET OB EAM CAVSAM IRRITATIS ANIMIS VTRINQVE ARMA CAPIENTVR, PVGNABITVRQVE, TVM QVI IN EO TEMPORE IN EOQVE CASV CIVILIS DISCORDIAE NON ALTERVTRI PARTI SESE ADIVNXERIT, SED SOLITARIVS SEPARATVSQVE A COMMVNI MALO CIVITATIS SECESSERIT, IS DOMO PATRIA FORTVNISQVE OMNIBVS CARETO EXSVL EXTORRISQVE ESTO. Optima ratione videtur a Solone institui, ne quis publicam salutem priuatis suis rationibus posthaberet. Quid enim esse potest tam inciuile, quam domi desidem suis fortunis inuigilare, ab omni periculo semotum, et communi incendio patriae minime exturbatum; sibi soli se nasci arbitratum, et *περιμένοντα*, vt *Plutarchi* verbis vtar, *ἀκινδύνως τὰ τῶν κρατούντων*? Quibus si non Solo, communis hominum consuetudo et res ipsa *ἀτιμίαν* inussisset. Merito enim vtrisque displicet, qui vtrisque minime displicere satagit. Id suadet ratio et comprobauit vsus. Atque haec hactenus.

CAP. XII.

Lysias *emendatur saepius.* *Εἰς τὸν χλωρὸν τύρον. Emendatur* Hesychius, Philo Iudaeus, Marcianus *in* Digestis, *et* Terentianus Maurus *denique plurimis in locis.*

Supremus hic Commentarius et spicas leget, et veniam, si quid commerui, pro me deprecabitur. Nemo nostrum erat, quem non misere cruciauit desperа-

speratissimus ille locus in oratione, quae habita est *contra Alcibiadem*. Οὗτος γὰρ παῖς μὲν ὢν παρ' Ἀχεδήμῳ τῷ Γλαύκωνι, ὀκ ὀλίγα τῶν ὑμετέρων ἀφῃρημένα, πολλῶν ὁρώντων, ἔτι μὲν ὑπὸ τῷ αὐτοματι κατακειμενος, ἐκώμαζε μεθ' ἡμέραν, ἄνηβος, ἑταίραν ἔχων, μιμέμενος τὸς ἑαυτοῦ προγόνους, et quae sequuntur. p. 536. 1. Hodie hariolandi finem facio, ceterosque omnis vt vacuo sint animo iubeo. Lego etenim, ἔτι μὲν ὑπὸ τῷ αὐτῷ ιματιω κατακείμενος. Lucianus in *vitarum auctione*. Καὶ γὰρ οὐ τῶν σωμάτων ἐραστής εἰμι, τὴν ψυχὴν δὲ ἡγεμαι καλήν. ἀμέλει, κἂν ὑπὸ ταυτον ιματιον μοι κατακέωνται, ἀκέσῃ αὐτῶν λεγόντων μηδὲν ὑπ' ἐμὲ δεινὸν παθεῖν, et paucis interiectis, Καὶ ταῦτα, ὑπ' ἐξεσίας, ἐν τῳ αυτω ιματιω κατακειμενον. *Athenaeus* l. 1. non procul ab initio, Ἀριστέλης ἐν Τυῤῥηνῶν νομίμοις. Οἱ δὲ Τυῤῥηνοὶ δειπνέσι μετὰ τῶν γυναικῶν ἀνακείμενοι υπο τω αυτω ιματιω. Haec fueram commentatus, atque idem sibi in mentem venisse literis ad me datis significauit, adducto etiam *Luciani* loco, Vir praestantissimus, cui plurimum et Ego, et Tu, Lector, debemus, *Ier. Marklandus*. In fine orationis *c. Pancleonem* legitur. p. 738. 1. Ἐὰν γὰρ διαμνημονεύητε, εἶδ' ὅτι τά τε δίκαια καὶ ταληθῆ ψηφιεῖσθε, καὶ ὃ ἐγὼ ὑμῶν δέομαι. Quod et salue legitur, neque facile displicere potest, Ατικώτερον tamen longe *ευοιδ' ὅτι*. Familiarissimum loquendi genus, quod Oratores Attici non temere omittunt. Noster certe hoc in loco non omisit, vbi inter voces διαμνημονεύητε et εἶδ' infelix illa vocula εὖ sita (διαμνημονευητεευοιδ') describentis aciem facile effugit. Ita in altero loco consimili, in Orat. sc. *c. Agoratum*, p. 473. 6. Δεῖ γὰρ αὐτὸν ἀποδεῖξαι, ὡς ὁ κατεμήνυσε τῶν ἀνδρῶν τέτων, οὐδ' ἄτιος αὐτοῖς ἐστι τὸ θανατῳ, καν δύναιτο ὁδέποτε ἀποδεῖξαι. Vbi legendum esse

monui (literis non aliunde accerſitis, verum earundem quibusdam repetitis, quae propter adfinitatem cum proximis inter exarandum negligebantur) Δεῖ γὰρ αὐτὸν ἀποδεῖξαι, ὡς ὐ κατεμήνυσε τῶν ἀνδρῶν τούτων, οὐδ' αἴτιος αὐτοῖς ἐςιτῦ θανατυ· ο ὐκ αν δύναιτο οὐδέποτε ἀποδεῖξαι. Orationem c. *Tyrannum Eratoſthenem* habitam ad popularis ſuos hiſce verbis claudit *Lyſias*. p. 447. 1. Παύσομαι κατηγορῶν. ἀκηκόατε. ἑωράκατε. πεπόνθατε. ἔχετε. δικάζετε. Huc adludit procul dubio *Ariſtoteles Rhetoric.* 3. extrem. Τελευτὴ δὲ τῆς λέξεως· ἁρμόττει ἡ ἀσύνδετος, ὅπως ἐπίλογος, ἀλλὰ μὴ λόγος ἦ. εἴρηκα. ἀκηκόατε. ἔχετε. κρίνατε. Porro vt exempla mutuatus ſit magnus ille artifex dicendi ex Auctore noſtro (mutuatur autem ſaepenumero, neque tamen vel ſemel nomine laudat) ita aliquando imitari ſtuduit Romanae Eloquentiae princeps *Cicero*. Ita quod ineunte hac ipſa oratione dixit *Lyſias*, p. 381. 1. Οὐκ ἄρξασθαί μοι δοκεῖ ἄπορον εἶναι, ὦ ἄνδρες δικαςαὶ, τῆς κατηγορίας, ἀλλὰ παύσασθαι λέγοντι. id adumbrauit *Cic. pro lege Manilia* non procul ab initio, *Huius autem orationis difficilius eſt exitum quam principium inuenire.* Plura dabit *Victor. Var. Lect.* XX. 16, et *Muret.* XIX. 20. Eadem oratione locus iſte, p. 415. 7. καὶ Βάτραχος, καὶ Αἰσχυλίδης ὐ τἀληθῆ ὑπὸ τῶν τριάκοντα πλασθέντα εἰσαγγέλλυσι, ita emendabatur, me inſciente, ab *Herald. Animadu. in Salmaſ.* III. 7. 4. καὶ Β. καὶ Α. ὐ τἀληθῆ μηνύυσιν, ἀλλὰ τα ὑπὸ τῶν τριάκοντα πλασθέντα εἰσαγγέλλυσι. Acute quidem, neque incredibile eſt, iſtud τἀληθῆ repetitum fuiſſe ex ſuperioribus. De *Meurſio*, *Schotto*, et *Palmerio* nonnulla, qui ante me hoc ſaxum voluebant. *Meurſium* dixi, p. 271. not. 30. errore meo in *Attic. Lect.* IV. 7. et *de Archontibus* III. 16. Praetoris Athenienſis nomen apud *Lyſiam* emendaſſe. Quod ad priorem

rem locum ſpectat, id ſecus eſt, nam ibi neutiquam emendat. Ille tamen *Attic. Lect.* II. 14. qui locus me omnino latuit, lacunam in oratione *c. Alcibiadem* ſupplere voluit. p. 560. 4. Ὁ δὲ Πολέμαρχος καὶ οἱ τὰ δεήσονται. legendo nimirum Ὁ δὲ Πολέμαρχος καὶ οἱ παρεδροι δεήσονται. Ad quem locum conieci στρατηγοι, Marklandus ταμιαι. Nonnulla tentauerat ad *Lyſiam Andr. Schottus* in libro, qui inſcribitur, *Obſeruationes humanae*, qui mihi ſerius in manus venerat, quam vt ſingula ſuis in locis inſererem. Ille, vt videtur ex *Obſeruat.* IV. 5. poſtquam auctorem noſtrum *in gratiam Iod. Vander Heidii amici et contubernalis recenſuiſſet*, interea dum ſub prelo ſudaret, *loca tum intacta* his Obſeruationibus immiſcuit. Ille itaque l. c. *Harpocrationis* auctoritate adductus orationem *c. Andocidem* vindicauit, atque, vti nos olim, ab initio ſuppleuit. p. 188. Deinde ſua hariolatione non contentus, qua *Heidii* editionem beauit, locum iſtum aſperrimum in orat. *c. Theomneſtum*, p. 353. ita legit Οὐκοῦν ἄτοπον ἂν εἴη τον Φευγοντα Φάσκοντα ἀνδροφόνον εἶναι, δειξαι καὶ απολογησαι, ὅτι ὁ διώκων ὡς ἔκτεινε διωμόσατο: et ſtatim pro κατηγορίας, legit κακηγορίας, et pro εἴπέ τις σε, απεντι σε. Idem IV. 9. pro ἀιδηψον, p. 108. quae fuit *H. Stephani* importuniſſima coniectura, veterem lectionem mecum ex *Thucydide* confirmat. Cetera habes ſuis in locis. *Palmerii* denique veniam oratam velim, qui voces Πωρίνε Σελίνου in *Andocidis vita* ex *Plutarcho*, me neſciente, expediuerat: cui igitur laudem reſigno meae coniecturae, quae legitur harum *Lectionum cap.* 5. His igitur valere iuſſis, reſtat, vt cetera perſequar, quae habeo dicenda. In oratione *c. Pancleonem* fugitiuum ſeruum dicitur εἰς τὸν χλωρὸν τυρὸν, p. 733. 2. i. e. ad *Forum Caſei recentis*, locum ſc. vbi venum darentur, Attico dicendi genere

et eleganti. *Poll.* IX. 5. Βιβλία. οὕτω τὸν τόπον, οὗ τὰ βιβλία οἱ Αττικοὶ ὠνόμαζον· ὥσπερ καὶ τὰς ἄλλας τόπους ἐκ τῶν πιπρασκομένων, ὡς εἰ φαῖεν, ἀπῆλθον εἰς τὰψον, καὶ εἰς τὸν οἶνον, καὶ εἰς τὰλαιον, καὶ εἰς τὰς χύτρας, καὶ κατὰ τὸν Εὔπολιν, περιῆλθον εἰς τὰ σκορόδα καὶ τὰ κρομμυα, καὶ τὸν λιβανωτὸν καὶ εὐθὺ ἀρωμάτων, καὶ περὶ τὰ γέλγη. Et IO. II. Οἱ Αττικοὶ ἀπὸ τῶν πιπρασκομένων καὶ τὰ χωρία ὠνόμαζον· λέγοντες, εἰς τὰψον· καὶ εἰς τὰ μύρα καὶ εἰς τὸν χλωρὸν τυρόν: καὶ εἰς τὰ ἀνδράποδα. Ita *Aeſch.* c. *Timarch.* p. *Edit. Steph.* 9. Τίς γὰρ ὑμῶν ἐς οὐ πώποτε εἰς τὰψον ἀφῖκται καὶ τὰς δαπάνας τὰς τούτων ἐθεώρηκεν; *Alexis* Comicus apud *Athenaeum* l. 3. p. m. 53.

Τοῖς Ἰχθυοπώλαις ἔστιν ἐψηφισμένον,
Ὡς φησι, χαλκῆν Καλλιμέδοντος εἰκόνα
Στῆσαι Παναθηναίοισιν ἐν τοῖς ἰχθύσιν
Ἔχουσαν ὀπτὸν κάραβον ἐν τῇ δεξιᾷ.

Ariſtoph. Veſp. 784.

Δραχμὴν μετ' ἐμοῦ πρώην λαβὼν
Ἐλθὼν διεκερμάτιζέ μ' ἐν τοῖς ἰχθύσιν.

σχ. ad loc. ἐν τοῖς ἰχθυοπώλαις, ἀπὸ τῶν πωλουμένων τοὺς πωλοῦντας εἶπών. Id. *Av.* 13.

Η δεινὰ νὼ δέδρακεν οὐκ τῶν ἀρνειῶν
Ο πινακοπώλης Φιλοκράτης μελαγχολῶν.

σχ. Οὕτως ἔλεγον καὶ ἐπὶ τῶν τόπων, ἀντὶ τοῦ, ὀρνεοπωλείων. ὡς τῶν χυτρῶν, ἀντὶ τοῦ, χυτροπωλείων. Ita *Heſych.* Χύτραι, τὰ χυτροπώλια (l. χυτροπωλεῖα) Et in Ἰχθῦς. Αττικοὶ τὰ ἰχθυοπωλεῖα ἔλεγον. Id. *Ran.* 1103.

Κἀν

Κἂν ταῦτα λέγων ἐξαπατήσῃ παρα τους ἰχθυς ἀνέκυψεν.

σχ. Παρὰ τὰ ἰχθυοπώλια. τὸ δὲ τοιοῦτον Αττικόν. Εὔπολις

Περιῆλθεν εις τὰ σκορoδα καὶ τὰ κρομμυα.

Id. *Equit.* 1371.

Ποῦ δῆτα Κλεισθένης ἀγοράσει, καὶ Στράτων;
Τὰ μειράκια ταυτὶ λέγω τα'ν τῳ μυρῳ
Α σωμυλεῖται τειαδὶ καθήμενα.

Mala fide Interpres, *unguentis illitos*, cum adnotauit σχ. Οὕτως Αττικῶς, ἀντὶ τῦ ἐν μυροπωλείῳ, ἀπὸ τῶν πωλωμένων τὸς τόπους καλοῦντες. Theophr. περὶ βδελυρίας. Καὶ πληθούσης τῆς ἀγορᾶς προσελθὼν προς τα καρυα, ἢ τα μυρτα, ἢ τα ακροδρυα κ. τ. λ. Eodem modo *Euripid. Med.* 67.

Ηκουσά τε λέγοντος, οὐ δοκῶν κλύειν
Πεσσους προσελθών —

σχ. ad loc. Επεὶ ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς τόποις ὠνόμαζον τὸς τόπους· πεσσὸς γὰρ νῦν, τὸς τόπους τῶν κυβευτῶν, ὡς ὄψον καὶ μύρα, ἔνθα ταῦτα συνήθως ἐσίν. Consulendi sunt *Kuster.* ad *Suid.* in Τῦψον. *Fornerius Rerum Quotid.* II. 23. *Casaub.* ad *Theophrast. Charact.* περὶ ἀναισθησίας. *Graeu. Lect. Hesiod. cap.* XIX. *H. Steph. Append. de Ling. Attic.* c. 16. p. 211. *Meurs. Attic. Lect.* VI. 32. III. vlt. et *Ceramic.* c. 16. Pergo. In Orat. *c. Alcibid.* p. 531. et in altera, quae inscribitur Δήμε καταλύσεως p. 769. nota 25. notaui, qua facilitate Librarii descripserint πραττόμενα et πραττομένων pro προσαττόμενα et προσαττομένων. Adde, quae acutissime obserua-

seruauit de ea re Cl. *Marklandus* ad Orat. XIV. Ita vulgo legitur apud *Phil. de vita Mosis*, l. 2. Τέτων τοίνυν (i. e. librorum Mosis) τὸ μὲν ἐστιν ἱστορικὸν μέρος, τὸ δὲ περὶ πρὰς πραξεις καὶ ἀπαγορεύσεις. Vbi legit Cl. Editor, quem honoris causa nomino, προσαξεις καὶ ἀπαγορεύσεις, plane vti in initio eiusdem libri. Πρόσαξις δὲ τῶν πρακτέων, ἴδιον νόμου. Quemadmodum quoque legem definit *Chrysippus* apud *Marcian. l. 2. D. de legibus*, προσατικον μὲν, ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ, ὧν ἃ ποιητέον. Vbi accuratissima *Taurelii* Editio *Pandectarum* habet, vti debuit, προσακτικον. Verum nihil mirum, si Graeca, quae leguntur in Latinis scriptoribus a Latinis Librariis descripta, foeditissimis mendis scateant. Quantum hodie superfit in *Prisciano*, quantum in *Digestis!* Luculentissimum exemplum addam ex auctore, quem maximi semper feci, qui, vt cum *Murreto* loquar, *asperitatem Grammaticarum praeceptionum inusitata quadam numerorum suauitate condiuit.* Is est *Terentianus Maurus*, qui de diphthongis differens haec habet, 421.

Quin et Υ *loco priore* ἰῶτα *si subiunxeris,*
Effici Diphthongon vnam posse, nec pluris reor,
Υῆες *vt dicunt*, αἰειλογια μυῖα *et talia.*

Memineris tu primo pro Υ Latinorum scribendum esse Υ Graecorum, et ἰῶτα quasi *Giota* sonari, aliter versus constare nequit, vti nec pariter in iis Trochaicis, quae sunt in vicinia, 403.

Ἰῶτα *tantum et* Υ *videmus subditas vocalibus.*

vbi iterum scribe Υ et *Iota* pronuncies, et 451.

Scribimus siquando ὗκος, ἰῶτα *solum sufficit.*

Haec

Haec tamen obiter. Quid Tu tamen sentis de ista voce ἀεικλογία? Annon est quoddam praeclarum? Si adducatur, vt diphthongum υι repraesentet, (quo pacto hic adduci video Υῖες et μυῖα,) frustra est: quoniam repraesentat nihil minus. Si non exempli loco, sed veluti epitheton muscae, vt voluit Enarrator ad locum, quid est ab omni Graecismo alienius? Quocunque demum modo allegetur, legem metri violat. Nam praeterquam quod eius penultima nulla *libertate Graecorum*, nullo *musarum fauore* produci possit, tomen siue pausam metri Trochaici aperte violat. Vix enim *metricus* auctor in legibus condendis legem metri violaret, vix *suam*, qui v. 314. modum sibi ipsi constituisset,

Regulam seruans vbique finis *vt* quarti *pedis*
Nominis verbiue fine *(comma primum terminet:*
Hoc enim toma probatur) metron hoc trochaicum.

Quid ergo? Tu sanabis hoc pacto

Υῖες *vt dicunt* Achaei, *γυια, μυῖα* et talia.

Ita modo, sc. v. 464.

Sic et Αἰνείαν *Achaeus, noster Aenaean* vocat.

et similiter 664.

Quanquam ἴτυν dicunt Achaei, hanc βίτυν gens Aeolis.

Verum, vt cum *Sidonio* loquar Carm. IX.

Non Marsus, Pedo, Silius, Tibullus,
Non quod Sulpiciae *iocus Thaliae*
Scripsit blandiloquum suo Celeno,
Non Persi *rigor aut lepos* Properti,
Sed nec centimeter Terentianus,

quem

quem tamen in sinu quotidie fere gesto, hodie mihi tanti sunt, quanti *Lysias*, quem plurimi facio, tantique fecerim, vt eum millenis circiter in locis restitutum, nitidum et pene nouum, Tibi, Lector, tuoque genio commendem. Quaedam praeterea in schedis meis raptim video congesta de *Oberto Decembri*, qui, ex *Gesneri* auctoritate, Auctori nostro bonas horas impenderat: de *Philisco*, qui portentosum istud Epigramma de *Lysia* olim concinnauit: de *Zosimo* et *Zenone* antiquis *Lysiae* Commentatoribus: nonnulla de *Rutilio Lupo*, qui tot *Lysiae* Latine conseruauit, et cuius aetas, studium et condicio fere ignorantur. Verum instant Typographi; instant amici, vel de mea fide propter moram editionis solliciti, vel propter molem de fortunis. Tu his fruere.

AD LYSIAM TAYLORANVM ACCESSIONES REISKIANAE.

PRAEFATIO.

Exhibitis itaque, quae Taylori Lysias Londini in forma maiore editus tenet, praeter latinam interpretationem atque indices, omnibus, supereſt, vt nonnulla perficiam, in quibus Taylorus laborauit quidem, verum minus viſus eſt elaboraſſe. Planius rem dicam. Interpretationem orationum Lyſiae duarum et triginta (nam duo poſtrema fragmenta excludere viſum fuit) pro Taylorana prorſus nouam, a me conſcriptam, dabo, et indices item, quos Taylor affectos magis, quam perfectos dedit, dabo, non pleniſſimos quidem illos, neque perfectiſſimos, pleniores tamen haud paulo Tayloranis, atque fructuoſiores. De ſingulis ſigillatim pluribus agam, de indicibus poſtmodum; de interpretatione, hoc loco.

Interpretatio Lyſiae latina a Tayloro profecta, bis edita proſtat, primum A. 1739. in exemplari Londinenſi, tum anno poſt in Cantabrigienſi, quod eſt formae minoris. Latinum, more nempe atque ore ſuo, cur Lyſiam Britannus fecerit ſecundum Brabantini, vt ipſe appellitat, interpretis operam, ipſe non vno loco ſignificauit, haud diſſimulans, cum Heydenius ſibi vehementer diſpliceret, tum ſe in ſua noua interpretatione haud minus ſibi placere. Vt mirifice ſenſus hominum diſcrepant! Prodendum mihi ſi eſt id, quod vt prodam, non modo nemo dubitabit mihi licere, qui Lyſiae editorem me geram, ſed etiam nemo non aiet meam perſe-

personam decere, vt sine simulatione atque verecundia, simpliciter, id profitear, quod rem esse sensus me meus docuit; aio, conscientia subiiciente, non inuidentia quadam actus, non obtrectandi libidine, non liuore in Britannicam nationem, quam magni facio; tametsi audio in Britannis esse, qui cum illa a me passim locorum in Taylorum et Marklandum, re ita ferente, iactata, vera quidem, ni fallor, sed fortassis ita non dissimulata, neque ea verborum lenitate conuellita, qua alius quicunque vsurus fuisset, ferant aegerrime, tum illam meam simplicitatem atque sinceritatem veros animi sensus e pectoris penetralibus, haud raro in fraudem adeo meam, promentem, turpissimis vitiosae mentis morbis tribuant; in quo atrocem mihi faciunt iniuriam; sed hoc aio, in quo non vereor ne sit vnus vnquam futurus, homo quidem graece latineque callens, qui me mendacii reum agat; non enim tam nullo famae atque existimationis ipse meae sensu moueor, neque tam sum reuerentiae immemor, quam lectoribus, iudicibusque iisdem meis debeo, non his modo, qui nunc sunt, sed illis quoque, qui post erunt, vt in causa, qua fama viri clarissimi agitur, temere iactem non certo explorata, eaque, quae minus confidam iudici cuique callo et incorrupto a me probatum iri; hoc igitur aio, quam versionem orationis graecae Lysiacae latinam Taylor edidit a se conscriptam, pro fida, et perspicua et tersa venditans, eam versionem saepe locorum a sententiis graecae orationis longissime discedere; tum ipsa adeo graeca Lysiae oratione, quae haud assuetis est impeditissima, multo esse impeditiorem, et sententia saepe humana prorsus carere videri, vbi graeca tamen a sedulo et attento meditationis contentione indagari possunt; denique eam horrere totam soloecismis aio tam foedis, tam intolerabilibus, vt nemo, latinitati non omnino ferreae adsuetus, facere possit, vt

eam

eam ſine nauſea legat, ſed neceſſe ſit eam negare latinam eſſe. Seueritatem huius iudicii, quae multis acerbitas et merum fel videbitur, examinaturis autem conſtabit vocem veritatis eſſe, documentis poſſim quam plurimis approbare. Sed ſparſis per totum terrarum orbem Taylorani Lyſiae exemplaribus facile cuique eſt, cauſae huius diſceptationem oculorum ſuorum arbitrio delegare; meumque non eſt ex alius cuiuscunque dedecore gloriam quaerere, nedum e Taylori; quem ob ſtudium, quo arſit, de graeca literatura, et de ſcientia iuris attici inprimis, bene merendi, vt par eſt, ſummi facio. — Ergone, ait, tuam interpretationem Tayloranae ais praeſtare, et vitiis eius carere, et laudibus abundare, quae ſunt illis vitiis contrariae? Haud vtar diſſimulatione. Niſi ſperaſſem poſſe fieri, vt ſcopulos euitarem, illos quidem, in quos Taylor impegit, nunquam huic me cymbae commiſiſſem. Tantum tamen abeſt, vt confidam ita me rem praeclare proſpereque egiſſe, vt certus eſſe poſſim ſuffragii publici; vt multo ſim certior, fore permultos, qui hanc, quam ego feram, interpretationem eſſe Lyſiae, plane negent eſſe. Quos equidem ſenſu ſuo frui aequus patiar. Quicquid eſt, dedi certe operam, vt a veris Lyſiae ſententiis nusquam aberrarem, ſed eas, aliter ſi illuminare non poſſem, face ſaltim circumlocutionis admouenda, clara in luce collocarem; tum vt oratorem atticum veſte latina, ſi non ſplendida, at munda tamen, nauſeamque non ciente, amictum producerem. Periit quidem, haud enim diffitebor, ſed vltro ignaris, ſi qui ſint, ſubiiciam, eosque hac de re palam admonebo, periit in hac interpretatione mea color omnis, quo Lyſias noſcitatur, h. e. nulla iam eſt illa breuiloquentia, et Laconiſmo ſimilis parſimonia quaſi verborum, qua Lyſias nobilitatus eſt. Verum qui annumerari paene ſibi verba volunt, et cum perſpicuitate copulatam

poſcunt breuitatem, coloremque graecitatis in latinitate deſiderant hominis non in Latio nati, hi mihi iniqui videntur eſſe, eaque poſcere, quae interpreti praeſtare perinde negatum ſit, atque nefas ſit poſcere, extra prouinciam eius ſita. Lyſiae latinum interpretem, ni fallor, non numeros Lyſiae, ſed ſententias poſcemus, aequi et intelligentes rerum ſi volemus haberi. Numeros enim, neque fuit, mea ſententia, neque erit in rebus humanis vlla alia lingua, praeter eam, qua vſus eſt Lyſias, quae exaſciate reddat. Cernens itaque, a me vno illa omnia teneri nullo modo poſſe, vt dictio mea et latina eſſet, et plana, et conciſa, ſatius duxi, contrariam Lyſiae viam inire, qui breuitatis gratiam laudi perſpicuitatis praehabendam ſibi duxit. Mihi contra lectores, quotquot erunt, meae interpretationis perſpicuitatem videbantur magis et deſideraturi et a me exſpectaturi eſſe, eoque facile carituri, quod multo melius ex orationis graecae primigenia veritate ſint cognituri, quam ex vllius quamuis laconicae interpretationis adumbratione. Breuitatem itaque Lyſiacae orationis redundantia quadam mea mutaui, quae, in loco quidem, non minor virtus eſt, quo laudem alteram ſaltim, quae eſt perſpicuitatis, adipiſcerer, neſcio an multo etiam illam breuitati praeſtantiorem. Quod ſi erunt, quos praeuideo futuros eſſe, qui minus probent a me factum, aequo patiar animo conuerſioni meae nomen verſionis denegari; dummodo paraphraſis habeatur non prorſus contemnenda. Profecto non liuor Tayloro obtrectare geſtiens, non pruritus aliquis meam latinae ſcriptionis facultatem iactandi, non leuitas animi, non ignoratio conditionis, in quam me demitterem, me impulit ad diſcedendum ab eo conſilio, quod ceperam, ab hac editione mea graecorum oratorum latinas interpretationes omnes excludendi; et a quo me diſceſſurum, aliquoties me publice negare memini;

mini; sed ipsa dura et ineuitabilis necessitas me coegit rei periculum facere, a qua, grauissimis ductus causis, abhorreo tantum, vt ab alia paene nulla re magis. Nae, graecos auctores latinos facere, praesertim oratores et historicos; nam in plerisque poetis argumenti natura negotium facit expeditius; res est perardua, sudorisque et taedii, et discriminum atque offensionum plenissima, vnde gloriae perparum, inuidiae atque ignominiae referas quam plurimum, etiamsi rem ita prospere atque praeclare gesseris, quam geri ab homine nato potest. Quanto itaque spissius existimatis capessere negotium eum, qui oratorem illum graecum latinum reddere conetur, cuius affectatio breuitatis sententias caligine perfundat haud raro impenetrabili, vinculaque conclusionum abscondere contendat. Quam in Lysia in latinam orationem conuertendo sudasse, quam trepidasse haud raro consentaneum est hominem, ipsum haud dissimulantem, sacraria Themidis sibi semper clausa et inaccessa fuisse, et qui melius, quam alius quispiam suspicetur, quotidie sentiat, quam parum latine calleat, qui denique otio caruerit, a se tumultuarie confectam interpretationem limandi et aliquoties iteratis retractationibus exasciandi. Huic quidem interpretationi meae vix mensem impendi, cum quod natura paulo sum impatientior, vt eidem rei diutius inhaerescere taedeat; tum, quod fatale propemodum mihi, nescio quomodo, est, vt, quaecunque in lucem edo, ea, ad sensum quidem meum, paene cruda et inchoata solummodo effundam. Verum non delectus noster, sed fors saepe inconsulta studia nostra literaria gubernat. Mihi satis ad laudem est, si in non paucis lapsibus, tamen operam praestitisse non omnino poenitendam videbor, tametsi post venturis, quod corrigant, reliquero. Quod idem vsu venisse vel summis quibusque ingeniis video. In oratoribus quidem

graecis edendis me ſubinde lapſum eſſe, ipſumque memet errores meos retractare, et vineta mea, quod aiunt, caedere, nemo, paulo quidem aequior, neque mirabitur, neque grauiter feret, in iſtam intuens tantam rerum agendarum ſiluam, in quam, ſtudio graecis de literis bene merendi accenſus, ipſe memet conieci, imprudens, quam late fuſa illa eſſet, ignorans. Neque enim praeuidere, aut exiſtimare mens humana poteſt negotia illa tot numero, et tam moleſtiae atque taedii plena, otii edacia, minuta, baiulo, quam editore, digniora, quae editorem profeſſus deuitare nullo modo poteſt. Quorum qui recordabitur, nae is ad ignoſcendum lapſibus noſtris, et ad commiſerationem ſortis humanae facilis erit. In illo ergo vortice rerum agendarum, quo circumagor, in illa breuitate temporis, qua concluſus ſum, ſi trepido, ſi trepidans labor, ecquis vitio dabit, ecquis veniam denegabit, homo qui ſit, non bellua? Lyſias a latina interpretatione deſtitutus, noſtratibus certe, vt nunc ſunt tempora, prorſus inacceſſus et imperuius eſt. Nam ab hac aetate liber mere graecus, praeſertim orator, intelligi nequit, cui aetati cum ipſa latina ſordere coeperint, multo magis graeca ſunt aliena. Ipſorum adeo illorum, qui graece haud parum callent, vix eſt centeſimus quisque, qui ſine Latina interpretatione Lyſiam intelligat, niſi ſi multo vſu, diuturnaque meditatione Lyſiae veluti numen imbiberit. Lyſiam itaque dare cum decreuiſſem adminiculis iis omnibus tam copioſe, atque fieri poſſet, inſtructum, quibus adminiculis via ad eius intelligentiam complanaretur, cum diſpliceret interpretatio Taylorana, quam antehac editis aliis omnibus praeſtare bona fide Tayloro aienti credebam, ipſe nouam marte meo conſcripſi, quam haud infitiabor ſaepe locorum magis circumlocutionem, quam verſionem eſſe. Videbatur tamen ſedulitas mea Lyſiacarum ſententiarum

per-

perplexitatem e breuitate natam enucleandi, verbositatem hanc esse excusaturа. Hominem natura pumilum in fluxa et syrmatosa veste inambulare vtique haud decet, et parum abest, vt risum cieat. Praestabat tamen, nisi multum fallor, et ad ipsius Lysiae decus, et ad nostrorum vsus hominum, vestem ei circumponi eam, quae, si laxa et pendula esset, parumque artubus congruens, tam incommoda tamen, tam parum habilis, tam deformis, tam denique maculosa non erat futura, atque ea est, qua Taylorus ipsum amiciuit. At tironibus interpretationem meam conuenire negas. Recte mones. Ipse praeuideo multos eorum, in componendis latinis meis cum graecis Lysiae alsuros atque sudaturos esse, cum, quae graeca quibus latinis respondeant, mirifice dubitabunt, et neque caput, neque calcem inuenient. Ego vero te nescire nolim, quisquis es, non me magis latina mea, quam Lysiam sua graeca, eo scripsisse, quo a tironibus legerentur. Pari modo, atque in Lysia latine conuertendo, in Demosthene pridem versatus sum in vernaculum sermonem transferendo. Quo factum est, vt operam istam a me Demostheni nauatam homines, non dicam graece, sed ne germanice quidem satis docti, tam iniquis exciperent prodeuntem censuris, tam acerbis vrgerent calumniis, vt piratarum me pigeat, atque pudeat illorum, portubus rei literariae in Germania insidiantium. Hi sunt illi a se vitio creati censores atque iudices causarum, quas non satis tenent, forum agentes illis in chartis, quarum proh dolor Germania, quam bonae frugis, est feracior. Quamquam ista probrorum obscoenitas, et istud maleuolentiae virus, neque effecit adhuc, neque efficiet vnquam, vt germanica mea Demosthenis interpretatio studiosis oratoris attici minus sit vtilis, paraphrasin vna atque commentarium exhibens. Stultum est, mea sententia, interpretem graecorum,

seu latinum, seu vernaculum, numeros graecos poscere. Sententias posce, numeros ex iplis graecis pete. Satisfecit interpres partibus suis, ita opinor, si auctoris sententias reddidit, modo suo, de ordine formaque verborum nil sollicitus. Interpretationes Lysiae superiores, Heidenianam et Tayloranam, quarum illam, Taylori fretus auctoritate, nunquam inspexi, malam esse atque aspernandam non raro satis supercilioſe dictitantis, hanc vt nunquam inspicerem, facere non poteram, vt qui de ea publice iudicare et vellem, et deberem; has igitur interpretationes, et si qui alii singulares Lysiae orationes latinas fecerunt, vt constat H. Stephanum, Canterum, Grularium, alios, feciſſe; has igitur si diligentius inspexiſſem, atque in consilium adhibuiſſem, nullus dubito futurum fuiſſe, vt interpretatio mea passim locorum tersior prodiret. Verum moleſtam illam interpretum inter se collationem, illam circumspectionem nimis crebro cum illis conferendarum deliberationum, illam suspicionum atque diffidentiae plenam, semper meditabundam et suspensam cunctationem, neque necessitas festinandi, qua vrgeor, ferebat, et quaedam natura mihi insita seruitutis impatientia, sitisque libertatis, qua ardeo, dedignabatur; quae mea libertatis atque *αὐτεξουσίας* sitis, et, vt ita dicam, contumacia quaedam atque cerebrositas, quaecunque ago, arbitratu meo agendi, tam est indomita, vt mihi permissus interdum labi etiam malim, dum modo grauissime atque turpissime ne labar, quam, veluti sub ferula magistri trepidare, ab exemplo maiorum latum vnguem non discedere, nusquam peccare quidem, at rursus nusquam vltra mediocritatem assurgere, et rem gerere, sic satis tolerabiliter, sed auspiciis alienis. — Duas et triginta solummodo Lysiae orationes latinas feci, praeteritis illis duobus fragmentis, quae numeris XXXIII. et XXXIV. signata, codicis, qui

hodie

hodie supereſt, Lyſiaci, velut agmen claudunt. Nimis enim curta, et praeterea perceptu ſatis facilia videbantur illa fragmenta eſſe, in quibus interprete latino nil admodum opus eſſet.

Supereſt, quod hoc loco dicam, nihil, praeter hoc vnum. Anno ſuperiore, quartum volumen oratorum graecorum prelo tradere excudendum parans, decernebam Wolfii latinam interpretationem orationum Aeſchinis eo in volumine exhibere. Quo decreto, conſcribebam praefationem, illi interpretationi Wolfianae praemittendam. Verum interueniente viſo neſcio quo, (nam in huiusmodi conſiliis capiendis ipſe mihi parum conſto) conieci in calcem quarti illius voluminis alia, certus, aut nunquam, id quod equidem malim fieri, aut, ſi neceſſe tamen ſit, alio certe loco atque tempore Wolfianas illas Demoſthenis atque Aeſchinis interpretationes exhibere. Quod tempus quia in incerto eſt, quando ſit venturum, cauebo, vt illa mea ad Wolfianam interpretationem Aeſchinis accommodata praefatio ne pereat; non amore commentationum mearum, quarum ingens aceruus cum exceſſu meo periturus videtur; ſed quod intereſſe lectorum cenſeam, illam ſupereſſe, quae locos quosdam agitet, ab hac cauſa non alienos, quam hac attigi praefatione, qua nunc ſtatim defungar, ad meam Lyſiae interpretationem. Qui loci quia non indigni videbantur cognitione atque meditatione publica, cenſebam rem me facturum non prorſus alienam, ſi eos hoc loco, qui videri poſſit alienior, iudicio lectorum traderem. Scripſi die 17. Iulii 1772.

I. I. R. PRAEFATIO
AD HIERONYMI WOLFII
LATINAM INTERPRETATIONEM OPERVM AESCHINIS.

Mei si res esset arbitrii, latinas interpretationes ab editione mea graecorum oratorum plane arcerem, existimans latinas graecorum auctorum interpretationes, vel optimas quasque, nedum malas, pestem esse graecarum literarum; negatumque his esse, vt efflorescant prius, quam vermem illum illis intus insidentem, earumque medullas exedentem exterminemus; hoc est, abiectis latinis interpretationibus incipiamus libros graecos meros et edere et lectitare. Dici vix potest, quam noceant hae versiones literarum graecarum culturae. Desidiam nutriunt, et vanitatem eorum, qui, quo imperitis graece doctissimi videantur atque admirationi sint, scripta sua sententiis graecis, tanquam flosculis quibusdam, perspergunt, quas sententias ne ipsi quidem sine magisterio latinae interpretationis neque inuenturi vnquam sint, neque intellecturi. Bonae perinde malaeque fouent graecarum literarum ignorationem et animorum ab iis alienationem. Sed malae praeterea quae sunt, et ab auctorum sententiis abhorrentes, eae corrumpunt etiam iuuenes graecis literis deditos eo, quod prauas interpretum sententias et absurdas, pro bonis et concinnis subiiciunt, famam veterum auctorum minuunt, eosque in risum et contemptum adducunt, peruersas de vi atque significationibus verborum graecorum opiniones animis ingerunt, quae vbi semel in animos alte descenderint, atque radices egerint, aegerrime rursus euellantur.

lantur. Satis ad calamitatem erat, si versiones vitiosa graecitatis intelligentia recentes adhuc animos imbuerent. Sed addunt adhuc aliud vulnus, illo haud leuius. Assuefaciunt enim ieiunae et incomptae atque rusticae et vitiosae illi latinitati, quae libros scholasque nostras omnes perstrepit, e culinis et stabulis ducta. Quam latinitatem, hoc quidem illam nomine indignam, donec patiemur in scholis nostris regnare, eaque vtemur ad tradenda disciplinarum elementa, nunquam illa barbariei scabie liberabimur, nunquam ad bonae probataeque latinitatis facultatem perueniemus. Ego versionem libri graeci latinam, quamcunque, etiamsi vulgo bona habeatur, ideo tamen nego bonam esse, quod neque satis callemus latine, neque per rerum naturam datum nobis est, vt calleamus. Oratione latina vtentes cum scribimus libere, ipsa nostrorum animorum sensa satis perspicue, cum vi et neruis, cum gratia et concinnitate exprimere haud valemus. Qui valebimus ergo interpretantes, e graecis latina facientes, sentientes atque scribentes, non nostro, sed alieno arbitratu? Vitemus imposterum pontem hunc ruinosum. Relinquamus hanc pueris arundinem longam, cui viros haud decet inequitare, nisi hactenus, vt, in locos vbi incurratur mendosos, perplexos, quae fuerint doctorum interpretum de iis sententiae atque coniecturae, illinc colligant. Non eo neque interpretibus lauream de fronte detractum magnis ipsorum partam laboribus, quorum nos ipsis gratiam referre par est; neque adolescentibus baculum hunc extortum eo, quo stadium graecitatis ingredientes nitantur. Praestabat tamen ita comparatam esse ludorum inferiorum disciplinam, vt tirones ad maiores non prius emitterentur, quam didicissent a magistris, auctores graecos atque latinos, si non omnes, plerosque tamen et praestantissimos quosque, ipsi per se, sine interprete, in-

telligere. Verum optantis hae quidem sunt voces magis, quam sperantis, id vnquam in euentum exiturum esse. Contingit mihi quoque nunc, quod multis aliis saepe et contigit et continget imposterum. Meliora videns probansque, deteriora sequor, inuitus et conuicio publico victus. Oratores graecos qui edam, non in vsum doctorum solummodo virorum, sed in iuuenum quoque, et horum quidem praecipue, committendum haud duxi, vt iuuenes graece discere cupientes adminiculo carerent, in his oratoribus hoc magis necessario, quo hi sunt impeditiores et perceptu, etiam doctissimis quibusque, difficiliores. Demosthenicarum orationum interpretatio latina Wolfiana insequetur aliquando seorsim, vbi reliqua, quae mihi supersunt, pensa Demosthenica profligauero. Aeschinis autem interpretationem ab eodem Wolfio conscriptam hoc loco dare placuit.

Bonam eam esse, non tam vsu meo, quam auctoritate atque fide aliena, auctor haud dubitem fieri, qui sciam Wolfium vtriusque linguae fuisse intelligentissimum, saepius eam ad incudem reuocasse, praetereaque calculum publicum tulisse, vt dicatur eius interpretatio, fida, perspicua et latina, h. e. elegans et tersa esse, verbo, probabilis. Videnti mihi interpretationem hanc interdum a Iurino et Marklando, item a Tayloro quoque vellicari, allubescebat eam cum oratione graeca contendere. Sed mutaui statim in ipso limine consilium. Coepit operae et iniucundae, et periculosae, et ingratae denique, h. e. parum fructuosae suique pretium haud referentis, poenitere atque pudere. Non ita abundo otio, vt eo liceat abuti. Alia sunt haud pauca mihi agenda, et iucundiora mihi, et publice acceptiora, magisque e rep. futura, quibus quod otii operaeque debeo, si id iis subtraham, in meaque priuata et in publica commoda sim peccaturus. Alii si

qui

qui erunt, ab oportunitatibus bene de literis merendi desertiores, his relinquam hanc operam, necessariam hercle, (ecquid enim ego vera dissimulem?) attamen stercorariam, si dignam suis personis iudicabunt. Denique quam versionem Wolfius non puer conscripserit, sed vir magnam vtriusque sermonis facultatem diuturna exercitatione adeptus, et in qua limanda et perpolienda multos contriuerit annos, quam denique constet ab omnibus vniuersam probari, cur in ea naeuos, si qui insunt pauci et leuiculi, non feremus? Illi ipsi, qui eam vexant, an certi sunt, an affirmare pro certo ausint, nunquam sibi eueniisse in ea emendanda id, quod vulgari prouerbio dicitur catillorum aeneorum sartoribus euenire, vt pro foraminibus singulis, quae sarciunt, bina noua hiantia relinquant? Profecto locus hic est lubricus, et mihi quidem ἄδυτος. Impius profecto sim in manes Wolfii futurus, magistri mei, et in cineres patris minxero, si velut tiro, superficiario quodam et horno modo literarum rore adspersus, magistrum veteranum, dudum oblitum eorum, quae mihi adhuc discenda supersint, vbique reprehendere, eique oggannire sustineam. Pudore potius dissimulationis celemus, si quae sunt, labes haud grauissimas, et taciti emendemus; in scenam producere stigmatibus inurendas, caueamus, rem improbam, flagitiosam, ab honesto viro, et graui, atque humanitatis memore, communisque humano generi sortis, alienam. Arbitratu meo, clam furtim Wolfianam interpretationem interpolare, multo etiam magis reformidaui. Feceritne Taylorus, haud inquisiui. Honesti viri haec non est persona, sed furis. Relinquenda sua cuique sunt, ferenda, si quodammodo tolerabilia, quo fides publica constet. sin autem corrupta sint, prorsus abiicienda. Mea cum alii obtrudo, inscio, et, si sciret, inuito, atque aegre laturo, non ea modo impostura est, sed est

quoque

quoque violentia. Non iam haec, neque Wolfii, neque mea sit futura interpretatio, sed aut nullius, aut nescio cuius. Noui, quam acriter animum meum iniuria vlserit a Doruillio mihi tum facta, quum inuitum me atque reluctantem cogeret, eam interpretationem, quam, ipso auctore, conscripsissem, Charitonis Aphrodisiensis, ad ipsius dictatus mutare. Cuius ego iniuriae diutius impatiens, quum ad primi libri calcem peruenissemus, rotundis atque disertis verbis negabam me vlterius manum calamumque detorsionibus atque deprauationibus operis mei accommodaturum, quas per imperiorum impotentiam minarumque terrores extorqueret. Meam si minus probaret interpretationem, si vti ea nollet, qualem exhibuissem, ipse nouam faceret, meam mihi relinqueret. Sic discessimus animis inter nos alienatis. In libris primo posterioribus Charitonis num quid, absente me, Doruillius mutarit iure suo, necne, haud laboraui inquirere. Tanti non erat Sophista. Reconciliati postmodum fuimus. Sed memoriam contumeliae, quam tum accipiebam, et seruitutis, nunquam exui. Egone alii facerem iniuriam, quae ab homine amico cum ipsi fieret mihi, tam alte fauciauit animum meum, vt nondum, tanto tempore post, cicatrix coaluerit? Fraus ea est publica, qua fides historica monumentorum omnium labefactatur. Tabularum et aeris publici corruptores dextra manu mulctantur et furca luunt. Literatis, humanitatis artes exercentibus, licebit in aliena scripta grassari, inuenta aut commenta sua aliis insciis, inuitis, dudum iam e rebus sublatis subiicere, affingere, obtrudere? Alienum quisquis interpolat, quamcunque in partem, opus semper dat insincerum. Lector, vbi dubitatio incidit, cum quo res sibi sit, ignorat, vetusto cum interprete graeci auctoris, an cum nouo eius interpolatore.

Melio-

Meliora cum ſubſtituis, ſtultus es, et in ipſum temet iniurius, qui laude te tua fraudes, alienum in caput corollam transferens, tuo capiti tuis manibus detractam. Peiora autem ſubſtituens, et interpreti, quem corrumpis, maculam inuris immeritam, et imponis lectoribus atque cenſoribus, illudisque neſcientibus, te peccaſſe, illum plecti inſontem. Quae audacia non ſibilis, ſed ſcutica erat caſtiganda. Praeterea, tametſi nihil puduiſſet, aut lubuiſſet etiam, aut otium fuiſſet, Wolfianam interpretationem ſeu interpolandi, ſeu per annotatiunculas corrigendi, inanis tamen haec futura fuiſſet opera, molem libri et ſumtus exaggeratura, magno cum meo diſpendio, exiguo lectorum compendio. Examinato quisque, qui volet, Latina Wolfiana et cum graecis Aeſchinis comparato, et cum Iurini annotationibus, qui pene hoc vnum ſibi datum exiſtimaſſe videtur, vt Wolfium caſtigaret. Ipſe ego quoque, ſed caſu magis, quam conſilio, prorſus aliud agens, et neſcius adeo, atque tacitus, in indice graecitatis aeſchineae, vereor, ne Wolfiana, quae nunquam hoc fine inſpexi, vt cum graecis conferrem, ſaepenumero correxerim. —

Haec anni ſuperioris 1771. vere commentantem me conueniebat Ioannes Samuel Sammetus, adoleſcens haud contemnendam de ſe ſpem faciens; quem antea vſu nullo cognitum habueram. Cognatus eſt Sammeti, ICti, ſcientia Iuris elegantioris et applauſu ſtudioſae iuuentutis frequentiſſimo penes nos nobilitati. Ipſe Sammetus, iunior, de quo hic dicere inſtitui, nunc apud Thorunenſes publice humaniores literas profitetur. Is ergo tum me conueniens exponebat de conſilio, quod cepiſſet, Aeſchinis epiſtolas rurſus edendi. Quanquam ipſa res parum placebat, (ecqui enim probare poteram, meam in meſſem falcem ab alio immit-

ti, et

ti, et eodem anno sub oculis paene meis opusculum recens a me editum ab alio denuo recentari, cum exiguo graecae literaturae emolumento, quod opusculum ego ipse paene contemnerem) tamen, auditis Sammeti rationibus, sic satis probabilibus, vt soleo conatus adolescentium in hoc genere literarum magis laudando et cohortando incitare, atque consiliis regere, quam reprehensionibus retardare aut supprimere, ita Sammeto quoque, quoad potui, consilio operaque praesto fui. Addidit ad epistolas Aeschini oratori vulgo tributas, aliam Aeschini philosopho imputatam, e collectione epistolarum graecarum, quae Socratis alumnis vulgo tribui solent, quam collectionem superiori seculo Leo Allatius Parisiis vulgauit; propediem (vt amici in Belgio confirmant) Ruartus, Professor Dordracenus, curis suis perpolitum denuo vulgabit. De opusculo Sammetiano, quod in omnium manibus est, alienum haud erat me tribus verbis hoc loco commemorare, iudicare autem non vna de causa supersedeo. Scripsi hanc superioris praefationis, dudum ante scriptae, appendicem die 11 Augusti 1772.

LYSIAE ORATIO PRIMA,

eaedem Eratoſthenis moechi defendens,

Permagni faciam, viri, hac vos mea in cauſa de me pari modo ſtatuere, atque veſtra ipſi ſitis in cauſa iudicaturi, in fortuna mecum pari. Certus enim ſum, animo ſi ſitis erga alios eodem, quo erga vosmet eſtis affecti, neminem facile fore, qui non ſuper caſu meo grauiter indignetur. Omnes potius poenas a legibus in deſignatores huiuſmodi flagitiorum conſtitutas, vel maximas quasque, meritis tamen inferiores ſitis iudicaturi. Neque exiſtimandum eſt, apud vos ſolos ita ſancitum eſſe. In vniuerſa enimuero Graecia ita ſtatutum eſt. Huius enim vnius ſolius criminis, adulterii, poenae eaedem tam iis in populis, qui legibus et libertate ciuili vtuntur, quam in his, qui optimatum in poteſtate ſunt, vel infimis quibusque atque infirmiſſimis ſcriptae ſunt, atque veluti debitum aliquod ius attributae, quod vel ab editiſſimis atque potentiſſimis exigant. Quo fit, vt vbique locorum infimus quisque cum nobiliſſimo pari iure gaudeat. Humanum genus in hoc tam conſentit, vt hanc vnam contumeliam omnes omnium longe exiſtiment atrociſſimam. Criminis igitur de magnitudine quidem vos ego equidem vniuerſos paria mecum ſentire arbitror, negoque veſtrum cuiquam tantum ineſſe torporem animi, atque ſupinitatem, vt aut venia donandos, aut modica certe poena cenſeat afficiendos eos, a quibus eiuſmodi dedecora profecta ſint. Iam vero oportere arbitror haec me docere, Eratoſthenem vxorem meam conſtupraſſe, et, praeterquam quod illam vitiauit, liberos quoque meos ignominia affeciſſe, ipſi mihi contumeliam obtuliſſe clandeſtinis meam in domum ingreſſibus, praeter

ter hanc vnam, alias nullas simultates inter nos vnquam interceſſiſſe. Non quaeſtus gratia hoc auſus ſum, quicquid id eſt facinoris, vt paupertatem opum amplitudine commutarem, neque vllius alius commodi reſpectu, ſed ſola ductus legitimae vindictae cupiditate. Statim igitur a principio vobis omnes meas aperiam fortunas atque rationes, nil diſſimulans, ſed veritati ſtudens, qui hanc ſolam mihi patere viam ſalutis exiſtimem, vt mihi liceat totam rem, vt acta eſt, ordine enarrare. Ego itaque, ex quo viſum fuit matrimonium inire, vxorem duxi domum, atque ita me erga eam geſſi, vt neque ſeueritate et importunitate moleſtus ei eſſem, neque rurſus ipſi liceret admodum pro arbitrio ſuo agere, quaecunque vellet, ſed obſeruabam eam, quam poteram diligentiſſime, animumque ei, qua decebat, attendebam. Vt autem puerulum ex ea ſuſceperam, iam fidere ei coepi, et omnia mea eius fidei commiſi, exiſtimans hanc fiduciae demonſtrationem familiaritatis vinculum arctiſſimum et certiſſimum eſſe. Initio quidem igitur, Athenienſes, vxor erat omnium optima, quippe quae rem domeſticam ſedulo ſolerterque adminiſtraret, frugalitati dedita, diligentiaeque atque ordini rerum omnium tuendo. Verum ex quo mater mihi deceſſit, mutata vxor in peius eſt. Mors matris malis meis omnibus portam aperuit. Vxor enim funus ſocrus proſequens, ab hoc homine, Eratoſthene, forte fortuna conſpicitur, a quo poſtmodum corrupta eſt et peſſumdata, miniſterio ancillae, qua nos ad obſonandum e foro vtebamur. Hanc ancillam Eratoſthenes cum obſeruaſſet domo exeuntem, ſermonibus aggreſſus, internunciam habuit ad heram. Ad quam initio quidem aditus erat paulo impeditior; habitabat enim primitus in editiore tabulato. Praefari enim hoc me ad vos neceſſe eſt, iudices, domunculam mihi eſſe duarum contignationum, rebus omnibus

bus ita inter se similium, vt superius secretum mulieribus consecratum esset, inferiora spatia negotiis marium gerendis paterent. Ex quo autem vxor filiolum peperisset, permutare visum fuit habitationes; ne toties necesse haberet cum periculo suo per scalas ad infantem descendere, aut lauandum, aut lacte satiandum. Vber enim ipsa mater dabat. Sic factum est, vt rerum ego mearum satagerem in superiori tabulato, mulierculae in plano. Tractu temporis ita insueueramus huic mori, vt vxor saepe totas noctes inferiori in tabulato penes puerum maneret, quo praebendo vbere vagientem sopiret. Morem hunc diu cum teneremus, ego tamen malae fraudis nihil vnquam suspicatus sum, sed, qua eram tarditate mentis, vxorem matronarum huius ciuitatis omnium longe pudicissimam esse confidebam. Verum temporis processus errorem hunc mihi detraxit. Rure enimuero aliquando praeter exspectationem meorum redieram domum, Eratosthene intus latente. A coena vagire puerulus, pertinacius querulus, vellicatus de industria ab ancilla, id quod postmodum comperi, quo vxori mei relinquendi atque discedendi praetextus speciosus daretur. Ego tum imperare vxori, vt descenderet ad puerulum, eumque dando vbere pacaret. Simulare illa initio recusantem, quasi ab amplexibus meis auelli nollet, quem e diuturna absentia reuersum libenter et cum congratulatione spectaret. Vbi autem ego illi discessum per iracundiam et cum minis imperaueram, illa, Vt tu nempe interim, ait, ancillam tentes. Etiam haud ita pridem temulentus eam vexabas. Ad quae ego, velut ioco dicta, ridere, illa vero surgere, abire, fores adducere, per ioci simulationem, et clauem secum aufferre. Quorum ego omnium nihil quicquam ad animum reuocans, neque de fraude suspicans, somni dulcedine cupide perfruebar, rure reuersus, et e via fessus. Il-

luceſcente ſenſim die, vxor rediens oſtium referabat, et a me interrogata, quid fores de nocte concrepuiſſent, cauſſabatur lychnum ad caput puelli ardentem exſpiraſſe. ita neceſſe fuiſſe, vt e vicinia lumen arceſſeretur. Tacere ego, ſic ſe rem habere autumans. Verum tamen videbar mihi os vxoris ceruſſatum videre, tametſi dies illi nondum trigeſimus ab exceſſu fratris exiſſet. Nihil tamen eo motus ego domo exii, ne hiſcens quidem. Tempore poſt accedit ad me, o viri, a ſenſu et conſcientia malorum meorum longiſſime diſtantem, anus a matrona quapiam immiſſa, quam matronam Eratoſthenes antehac, id quod poſtmodum comperi, ſtupro cognitam habuerat. Illa igitur, iniuriam ſibi factam rata ab eo, a quo non tam aſſidue, atque antea, frequentaretur, ſpeculari et inſidiari, donec cauſam ſui contemptus inueſtigaret. Anus igitur illa, quam dico, cum domo exeuntem me diu praeſtolata tandem cerneret, Euphilete, ait, propius congreſſa, nolim tibi videri male feriata quadam ſedulitate res alienas ſcrutandi congreſſum tecum venata eſſe. Vir enim, qui teque tuamque pariter vxorem dedecorat, inimicus nobis eſt. Ancillam veſtram, quam obſonatum ad macellum miſſitare, aliisque minutis negotiis foris exſequendis adhibere ſoletis, ſeorſim ſi ſumſeris, ex eaque confeſſionem veri tormentis extorſeris, rem vniuerſam intelliges. Eratoſthenes, Oeenſis, horum eſt, ait, facinorum architectus. Is non tuam ſolummodo corrupit vxorem, ſed aliorum quoque multorum multas. Hanc enim artem factitat. His anus dictis, o viri, diſceſſit; quibus ego confeſtim conturbabar, omnibus ſimul in mentem redeuntibus, et ſuſpicionibus implebar, recordans, me in cubiculo concluſum fuiſſe, binasque fores concrepuiſſe, tam eas, quae e ſemita in aedes, quam quae ex aedibus in cauaedium ducunt; id quod antea nunquam factum fuerat.

item

item os vxoris mihi visum fuisse cerussatum. Haec omnia simul in mentem redeuntia suspicionibus eam implebant. Istaec in via. Domum sic reuersus, per speciem ancillae imperabam, vt in forum me comitaretur. ego vero illam ad amicorum aliquem adducebam, vbi ei significabam, quae domi meae fierent, ea me omnia tenere. Vtrumuis igitur, inquam, optare penes te est; siue mauoles loris secta in pistrinum detrudi, vbi malis septa teneberis finem nunquam habituris; siue confessione veri, quicquid id est, immunitatem a poena, et veniam delictorum redimere. Sed caue mentiaris. Vera proloquere. Ancilla initio infitiari. agerem, quae vellem. nam rerum se omnium ignaram esse. Eratosthenem autem vt commemoraueram, affirmans, eum ad vxorem meam itare, consternabatur ancilla, existimans, me totam rem tenere, et sic demum, ad genua mea prouoluta, accepta fide impunitatis, denuntiabat, ab exsequiis Eratosthenem se conueniisse. primo se recusasse. tandem importunitate hominis victam eum ad heram nunciasse. heram aegre, sed tandem tamen aliquando precibus eius concessisse. congressus quoque illius cum hera indicabat, quomodo processissent: item, vt Thesmophoriis, me rure agente, vxor vna cum Eratosthenis matre in templum Cereris processisset. Breuis vt sim, quaecunque euenissent, ea omnia ancilla diligenter edebat. Ibi ego, haec tu, inquam, caue vt hominum quisquam resciat. Secus si faxis, pactorum inter nos ratum nihil esto. Sed postulo, in rem praesentem vt me ducas, et delinquentes flagrante in delicto mihi commonstres. Verbis nil indigeo, rei flagito, si quidem sic habet, vt tu ais, liquidam euictionem. Recipiebat ita facturam. Intercedebant quatuor, aut quinque admodum dies, et ego Eratosthenem in adulterio vxoris meae deprehendebam. id quod vere a me dici, magnis et perspicuis argumentis demonstratum dabo. Sed praemittam

die nouissimo gestorum enarrationem. Sostratus erat, amicus mihi atque familiaris homo. Huic ego sub occasum solis rure redeunti cum forte in via occurrissem, videns eum, qui istud temporis rediisset, dapum nihil esse domi reperturum, mecum coenatum ire iubebam. Haud is recusare. Ibamus itaque domum meam, ascendebamus in tabulatum superius, coenabamus, quoad satis vtrique esset. Tum ille quidem domum suam abibat, ego vero somno me dabam. Interim Eratosthenes ingreditur. Statim ancilla me suscitat, certioremque facit moechum intus esse. Ego, mandato, vt ostium seruaret, descendi, silenter domo me proripui, ad hunc, ad illum amicorum accessi, quorum alios domo abesse audiebam, alios vrbe, peregre profectos. Adscitis igitur eorum, quorum copia esset, quamplurimis, facibus e proxima caupona sumtis, per ostium patens, ab ancilla ex composito sic comparatum, ingrediebamur. cubiculi ianuam impetu inuecti perrumpebamus. Sic nos, qui primi irrupissemus, adhucaccubantem vxori meae videbamus Eratosthenem; posterius autem ingressi stantem in lecto viderunt. Ego vero vt vna plaga hominem prostraueram, manus ei pone tergum religaui, interrogans, quanam re elatus eo excessisset insolentiae atque arrogantiae, vt meam in domum, inscio et inuito domino, ingredi auderet. Fassus iniuriam a se mihi factam, orabat supplex, vt se ne occiderem, sed mulcta quadam pecuniaria mihi satisfieri paterer. Non ego te, inquam, Eratosthene, occidam, sed occidet te patriae lex, quam tu legem migrando declarasti, te eam hisce tuis libidinibus postposuisse, atque maluisse tantum scelus in vxore liberisque meis committere, quam legibus obsequi, et pudorem prae te ferre. Sic demum ille mercedem facinoris a me tulit eam, quam leges decernunt talia audentibus; non intro raptatus de via, neque a foco per

vim

vim abſtractus, ad quem non confugit, tametſi hi, neceſſarii et vindices eius, aiunt factum. Ecqui enim ad aram confugerit is, qui ſtatim ab inflicta plaga, in cubiculo, vbi ara nulla eſt, conciderit, et cuius ego manus retroactas conſtrinxerim, et qui tot numero homines ingreſſos haud effugiſſet, ſi conatus eſſet auffugere, non ferro, non fuſte, non alio quopiam armorum genere inſtructus, quo ingreſſos forſitan profligaſſet, ſi liberis vti manibus potuiſſet? Verum enim vero ipſos vos, viri, haud fugere arbitror, iniqua deſignantes non ſolere confiteri, aduerſarios vera dicere, ſed mendaciis potius a ſe confictis, aliisque malis artibus inuidiam atque odia iuſti et aequi ſtudioſis conſciſcere laborare. Ante omnia legem tu mihi recita. *Lex.* Non repugnabat Eratoſthenes de iniuria mihi facta, ſed fatebatur eam; at offerebat mulctam, quae crimen lueret, caedemque ſuppliciter deprecabatur. Ego vero haud concedens aeſtimationi criminis ab ipſo criminoſo ſibimet conſtitutae, aequum ducebam legem ciuitatis potius obtinere. Quocirca vindictam ſumſi eam, quam vos aduerſus omnes huiusmodi flagitiis deditos edixiſtis atque legitimam ſanxiſtis. Aſcendite huc vos, qui teſtaturi eſtis de veritate rei ſic, vt a me narrata eſt, geſtae. *Teſtes.* Auditis, viri, tribunali illi Areopagitico, cui ius in cauſis capitalibus de ſpiritibus ciuium pronunciandi, et ex antiquo maiorum more proprium, et memoria veſtra reſtitutum atque contributum eſt, planis et expreſſis verbis legis imperatam atque praeſcriptam hanc eſſe iuris formulam, vt illum caedis reum factum nefas ſit damnari, qui, cum moechum deprehenderit vxoris ſuae amplexibus implicatum, eiusmodi poenas de eo, quas ego de Eratoſtheue repetii, repetat. Legis huius auctor de matribus familias tam ſeuere voluit haec iura aequa et ſancta eſſe, vt, quamuis pellices illis multo ſint loco et dignitate

inferiores, tamen illis ipſis quoque iuris eandem arrogarit praerogatiuam; tametſi paret, legislatorem, ſi maiorem poenam ſuper violatis matribus familias ſancire potuiſſet, quam ſuper pellicibus, facturum fuiſſe. Iam vero negatam ſibi videns copiam alius poenae, quae poena mortis eſſet atrocior, qua poena crimen in vxore legitime deſponſa domumque ducta commiſſum lui vellet, neceſſario ſtatuit eandem poenam harum violationi, atque pellicum. Recita tu mihi hanc quoque legem. *Lex.* Auditis, viri, legem ſic edicere: Hominem liberum, puerumue ingenuum, ſi quis per vim ſtupret, duplum mulctae illius dependito, quam debet is, qui ſeruum corpus vitiarit. Sin autem matres familias per vim ſtuprarit, ſuper quibus deprehenſum moechum occidere licet, iisdem ille poenis tenetor. Minori ergo poena dignos, o viri, legislator ſtatuebat ſtupratores violentia vſos, quam ſi qui blanditiis et lenociniis verborum pudicitiam quorundam expugnaſſent. His enim callide et blande ſubrepentibus extremum irrogauit ſupplicium, illis autem importunis graſſatoribus duplum ſolummodo mulctae, exiſtimans, violatores vi vſos a violatis abhorreri; perſuaſionibus autem ſi qui rem confeciſſent, eos alienarum vxorum mentes ita corrumpere atque faſcinare, vt corruptores ſibi cariores magisque familiares habeant, quam ipſos maritos. quo fiat, vt vniuerſa res familiaris in poteſtatem arbitriumque moechorum deueniat, de liberisque minus conſtet, vtrorum ſint, maritorumne an moechorum. Horum itaque malorum ergo, quae moechi creant, poenam illis legislator mortem ſanxit. Leges igitur, o viri, non ſolum me abſoluunt, ſed imperabant adeo quoque mihi, vt hanc poenam repeterem. In vobis autem ſitum eſt, vtrum leges oporteat validas et efficaces eſſe, an inertes et nihili faciendas. Ego enim ideo ciuitates omnes exiſtimo dare operam,

ram, vt scriptae sibi sint leges, quo, si quid occurrat, in quo dubitetur, quid sequendum nobis sit, has ad leges, velut ad oraculum, accedamus, ab iisque docti, quid agendum nobis sit, statuamus. Leges igitur huiusmodi in causis praecipiunt iniuriam passis, vt huiusmodi poenam a reis repetant. Quibus cum legibus, ego pro iure meo postulo, dignumque censeo, vt vestra quoque sententia consentiat. Quod si secus euenit, tantam vos impunitatem dabitis moechis, vt furibus ipsis iniecturi sitis cupiditatem audaciamque, furta adulterii praetextu excusandi, certi si sint, neminem fore, qui manus sibi violentas inferat, aientibus, alienas in domos moechandi causa se irrepsisse. Scient enim tum omnes, leges de corruptelis matronarum latas flocci non faciendas, sed vestram solummodo sententiam esse reformidandam, quippe quae rerum in ciuitate sit arbitra omnium. Videte hoc, viri. Ancillae me aiunt illa die mandasse, vt iuuenem arcesseret. Ego vero, etiamsi vera dicerent, negaturus tamen sim male me feciſſe. Quacunque enim tandem fraude corruptorem vxoris meae cepissem, viderer mihi tamen aequum seruasse. Eum enim si arcessi iussissem, qui, cum per literas et per internuncios vxorem meam ad flagitium sollicitasset, perlicere haud potuisset, iniuste vtique egissem. Eum autem si quocunque tandem modo venatus essem, qui nullum sceleris pensum sibi reliquum feciſſet, domumque meam eius causa saepenumero esset ingressus, viderer mihi partes viri cordati peregisse. Verum videte, viri, quam impudenter illi haec quoque mentiantur. Sostratus, homo, id quod paulo ante me dicere memini, amicus mihi atque familiaris, vespere rure reuertens cum mihi occurrisset, mecum coenauit, satisque sibi cum videretur cibisque et sermonum hilaritate pastus, domum se suam recepit. Atqui existimate vos ipsi, iudi-

ces, hoc primum, illa ego nocte si Eratosthenis comparassem insidias, vtrum e re mea fuisset magis, foris coenare, an adducere conuiuam, cuius metu moechus ingredi minus fuisset ausurus. Alterum hoc spectate. Conuiua dimisso, videorne vobis solus, et ab adiutore destitutus mansisse, an potius illum mecum retinuisse, vt operam mihi daret, hostem vlturo? Non porro vobis, viri, videor de die amicos fuisse cohortatus et iussisse, in domos amicorum in proximo habitantium coire, quam commisisse, vt de nocte, a primo mali mei sensu, circumcurrerem, ignorans, quemnam domi, quem minus essem reperturus, et ad Harmodium quidem, illumque atque illum contenderem, peregre agentes, id quod me fugiebat, aliosque frustra requirerem, in vrbe quidem illos agentes, domo autem tum absentes, temereque, quos possem, fortuito oblatos corraderem? Atqui, si praesensissem, non videor vobis, et seruos comparaturus atque instructurus, et amicos conuocaturus fuisse, quo et quam tectissimus atque tutissimus in domum meam ingrederer: (ecquid enim nosse poteram, ferrone futurus esset Eratosthenes quoque armatus?) et in conspectu testium quamplurimorum poenas ab hoste repeterem mihi debitas. Ego vero nil praescius eorum omnium, quae illa nocte essent euentura, quos poteram per trepidationem corradere, socios assumebam. Ascendite vos huc, qui horum mihi testes eritis. *Testes.* Audiuistis, viri, testimonia testium. Iam expendite vobiscum ipsimet hanc rem ita, vt inquiratis, aliane quaepiam mihi cum Eratosthene simultas vnquam, praeter hanc vnam, intercesserit. Atque nullam inuenietis. Neque enim ille me vnquam maiestatis aut perduellionis reum egit, id quod sycophantae facere solent; neque patria me expellere studuit; neque priuatis de caulis in foro mecum certauit; neque facinoris cuiusquam mihi fuit

consci-

conſcius, quod ego metuens ne per eum ad hominum quemquam emanaret, illum de medio tollere ſtuduiſſem; neque tandem, vbi pollicitationibus ſilentium eius mihi obligaſſem, vt ſcelera mea occulta penes ſe haberet, ſpem eius pecunia promiſſa fraudaui. Nam ſaepe fit per huiusmodi cauſas, vt alii aliis exitium machinentur. Tantum porro abeſt, vt aut conuicium, aut rixa per temulentiam, aut vllum aliud diſcidium, nobis interceſſerit, vt potius hominem hunc nunquam antea, quoad commemini, his oculis viderim, ſed illa demum nocte primum et nouiſſimum. Quonam igitur ego conſilio tantum diſcrimen adiſſem, niſi iniuriam tantam, quantam homo ab homine maximam accipere poteſt, ab eo accepiſſem? neque ſatis habuiſſem ipſe me clandeſtino ſcelere polluere, ſed etiam alios vltro impietatis meae teſtes futuros conuocaſſem? vbi licuiſſet ſcelus ſine teſte patrare, ſi quidem animus ſemel geſtiret eum de medio tollere. Ego equidem, viri, vindictam hanc mihi videor exſecutus eſſe iniuriarum non mihi ſoli oblatarum, ſed vniuerſae ciuitatis mnoine. Dediti enim malis huiusmodi ſtudiis cum videbunt, qualia parata ſint huiusmodi facinoribus praemia, minus audebunt in alios inſolentia atque iniuriis graſſari, videntes, vos quoque parem in ſeueritatem exarſiſſe. Sin autem minus, multo erat ſatius leges fixas refigi atque expungi plane, aliisque commutari, quae cum maritos mulctari iubeant, ſi qui vxores cuſtodiant, tum liberam iis decernant poteſtatem impunemque licentiam, ſi qui matronas ſtupris polluere audeant. Multo enim hoc foret aequo iuri conuenientius, quam ciues ab iis legibus, quibus ſeruiunt, in laqueum pertrahi, ſancientibus quidem illis atque edicentibus, quicunque moechum deprehenderit, ei licere, quicquid voluerit, in eum ſtatuere; verumtamen certamina forenſia in huiusmodi cauſis decertanda proponentibus multo

acerbiora iniuriam passis, quam his, qui, legibus inuitis et interdicentibus, alienas vxores comminxerint. Ego enim nunc de capite fortunisque meis, et quaecunque mihi cara sunt, ideo periclitor, quod patriae legibus obsecundaui.

ORATIO SECVNDA.

Quae est in funere dicta ciuium Atheniensium in bello caesorum, cum Corinthiis auxiliatum veniissent.

Fieri si posse iudicem, o corona, vt vlla oratio virtutem virorum hoc monumento conditorum exaequet, questurus de iis sim, si qui laudes eorum ex apparatu paucorum dierum praedicandas demandent. Quoniam vero toti generi humano vniuersum, quam latissime patet, aeuum haud sufficit ad comparandam orationem praeclaris horum factis parem, ideo resp. quoque mihi videtur hoc e loco dicturis sapienter consulere eo, quod, munus dicendi breuissimo ante mandando, praeparationis otium excludat, existimans, hac potissimum ratione futurum, vt dicentes audientium veniam adipiscantur. Est itaque mihi de his dicturo certamen propositum, non cum horum praeclaris facinoribus, sed cum praeconibus eorum, si qui ante me de iis pro concione verba fecere. Tantam enim rerum dicendarum copiam suppeditauit horum virtus, et carmine potentibus, et oratione soluta vtentibus, vt, multa praeclara de iis cum praedicassent maiores, multa tamen nobis reliqua fecerint, et post nos quoque sat multa sint superfutura, quae posteri verbis exsequantur. Nullius enim sunt neque continentis, neque pelagi exsortes, sed in populis sunt, qui, cum propria et priuata sua mala lugeant, tum horum virtutes celebrent. Primo itaque loco vetusta maiorum certamina persequar, memorias a fama proditas nactus. Decet enim omnes homines eorum quoque memi-

meminiſſe, alias in carminibus cantantes eorum nomina, alias appellantes in recitandis ſapienter dictis virorum excellentium, alias debito proſequentes honore in locis et temporibus huic noſtro ſimilibus; quo ſuperſtites exemplis defunctorum doceantur. Amazones igitur, antiquum genus, Martis filiae, quibus olim ad Thermodontem fluuium ſedes erant, gentium circa omnium ſolae ferro armabantur, primaeque gentium, quotquot vsquam ſunt, omnium in equos inſcendebant, ſuper quibus ſubito inuectae aduerſarios nec opinantes cum oppreſſiſſent, eo vecturae genere vti neſcientes, et facile conſequebantur hos fugientes, et effugiebant perſequentium manus. Qua animi fortitudine hoc ſunt conſecutae, vt viris ſimiliores, quam mulieribus, quas natura eas fecerat, haberentur. Viris enim per animorum vim antecellere magis, quam per corporum infirmitates cedere videbantur. Multis itaque populis imperitantes a ſe ſubactis, cum fando de patriae noſtrae magnis laudibus inaudiſſent, ſtimulatae cum gloriae illecebris, tum ſpe praemiorum, bellicoſiſſimis quibusque gentibus in ſocietatem belli adſcitis, aduerſus hanc vrbem mouerunt. Vbi cum fortibus occurriſſent viris, rediere ipſis animi naturae ipſarum ſimiles, opinionemque ipſae ſibi ſuis factis contraxerunt priſtinae famae contrariam, qua factum, vt minus e natura, quae ipſis contigiſſet, quam e ſpeciminibus animorum, quae dediſſent in certaminibus bellicis, mulieres haberentur. Solae hae caruerunt eo fructu, quem alii ab erroribus ſuis referunt. Reſipiſcere quamuis e malis ſuis didiciſſent, non tamen licuit ipſis illa in poſterum ſapientia in capiendis conſiliis vti, neque domum reuerſis licuit et ſuam cladem, et maiorum noſtrorum virtutem renunciare. In acie enim cum pugnantes occubuiſſent, easque dementiae ſuae meritas dediſſent poenas, ciuitati gloriam virtutis immor-

immortalem peperere, ſuae autem patriae e clade hic accepta dedecus ignobilitatis. Sic illas quidem iniuſta bonorum alienorum appetitio iure merito fructu ſuorum multauit. Adraſto autem et Polynici, et ſi qui alii cum illis infeſta Thebis arma intuliſſent, cum acie victis Cadmei ſepulturae denegarent honores, Athenienſes, rati illos quidem, ſi quid deliquiſſent, eius poenas obeunda morte dediſſe, quae dari poſſent maximae; deos autem, et inferos iuſtis fraudari, et ſuperos violari impietate, quippe quorum fana polluerentur; miſſis ad Cadmeos fecialibus, rogabant veniam iacentes ad ſepulturam tollendi; exiſtimantes, ſortes quidem decere viros, ab inimicis adhuc ſuperſtitibus iniuriarum poenas repetere, imbelles autem, ipſosque ſibi diffidentes in exanimis corporibus animorum vim oſtentare. Verum repulſi, Cadmeos adorti ſunt, neque horum odio, quibuscum nullas ante ſimultates exercuiſſent, neque Argiuorum ſuperſtitum gratia, ſed cenſentes, in bellis caeſos oportere iuſta ferre. Quapropter aduerſus alteros pro ambobus dimicabant; pro Cadmeis quidem, vt impoſterum iura defunctorum violando ſuam erga deos impietatem aliis ex aliis modis exaggerare ne pergerent; pro Argiuis autem, vt in patriam ne redirent, honoribus e ritu patrio ſibi debitis fraudati, legisque graecae exſortes, et ſpe communi excluſi. Haec noſtri ſpectantes animisque agitantes, bellorumque fortuita nemini non mortali communia cenſentes, multorum quidem in ſe odia et arma conuertebant, verumtamen vincebant dimicantes, vtpote ius et fas velut in auxiliis habentes; neque a ſecunda fortuna inflati, poenas a Cadmeis acerbiores repetere, aut ſuperba imperare audebant, ſed illorum impietati, velut aduerſariam, ſuam pietatem animique celſitudinem, in exemplum quaſi opponebant, adeptique ſuorum certaminum illa ipſa praemia, quorum cauſa venerant,

domum

domum reuertebantur; Argiuorum puta corpora, quae in oppido suae ditionis, Eleusine, contumulabant. Ad hunc ergo modum erga illos quidem e numero septem ad Thebas ducum, qui cecidissent, maiores nostri sese gesserunt. Tempore autem interiecto post cum liberi Herculis, e rebus humanis sublati, ab Eurystheo exagitati, et a graecis quibusque populis reiecti, non illis quidem nullo motis pudore tantae turpitudinis, at reformidantibus Eurysthei potentiam, huc igitur delati liberi Herculis, cum in aris deorum consedissent supplices, Athenienses eos reposcenti Eurystheo tradere recusarunt, virtutem Herculis magis verecundantes, quam periculum suum extimescentes, suaque censebant persona dignius, infirmiores, quibuscum ius et fas staret, armis tueri, quam gratiae potentiorum condonare, per iniurias eorum oppressos; Eurystheoque cum totius Peloponnesi, qui tum erant, incolis, vim et arma prope admouente, iudicii sui poenitentia non ducebantur, periculo cominus vrgente, sed constantes ipsi sibi in proposito perseuerabant, tametsi neque a patre Heraclidarum priuato quodam emolumento fuissent ornati, neque nossent, quales ipsi Heraclidae, olim aliquando, ad virilem aetatem adulti, erga se essent futuri; neque simultas ipsis antea cum Eurystheo intercessisset, neque aliud sibi viderent lucrum propositum, quam gloriam bonae existimationis. Sed sola moti eius ratione, quod ius et fas esset, tantum discrimen adibant, parique vim passorum commiseratione atque odio vim inferentium, hos reprimere conabantur, illis auxilium ferre festinabant, existimantes, notam libertatis hanc esse, vt nil coactus facias, iustitiae autem, vt per nefas vexatis succurras, fortitudinis denique, vt pro vtraque laude, si necesse sit, ipsam adeo mortem oppetere haud detrectes. Tanti erant vtrinque spiritus, vt Eurystheo quidem addicti conditiones a volentibus oblatas aspernarentur, ab inuitis

uitis iniquissima exprimere laborantes; Athenienses autem Eurystheo legem hanc praescriberent, vt, qui ipse aliquando supplex receptum ad aras suas habuisset, homines sibi supplices factos tutelae suae ne contenderet eripere. Collatis itaque signis copias ex vniuersa Peloponneso collectas suis domesticis vincebant, Heraclidarumque non corpora modo in tuto collocabant, sed mentes quoque, metu detrahendo, in libertatem vindicabant, memoria moti virtutis eius, qua pater ipsorum inclaruisset, suisque illos periculis victoriae corona induebant. Quo liberi Herculis patre fiebant hoc fortunatiores, tametsi adhuc pueri, quo pater quidem, quamuis nulli non hominum generi bona quam plurima peperisset, vitam tamen ipse sibi molestiis exercitam, contentionumque atque certaminum plenam constituisset, et aliorum vltus scelera, vnum Eurystheum, inimicum hominem et in ipsum sese infanda ausum, vlcisci nequisset; liberi autem Herculis eadem die per ciuitatem hanc et libertate sua potirentur, et vltione inimicorum. Saepe quidem vsu venit maioribus nostris, concordia copulatis, pro aequo et iusto decertare, quippe quibus vitae principium ipsum iure fundatum esset: non enim, id quod multi passim locorum dicuntur ausi, vndecunque collecti et in globum congressi miscellaneum, in alienum solum, eiectis legitimis incolis, inuaserunt; sed eandem glebam, vtpote Aborigines, matremque et patriam habuere. Primi autem, et tum quidem temporis adhuc soli, democratiam instituerunt, principatibus, quorum sub iugo ad id temporis fuissent, exterminatis, exiltimantes, libertatem omnium consensione animorum coalitam finem esse felicitatis humanae. Spes e periculis cum proposuissent omnibus pares, liberis animis gerebant rem et publicam, et priuatam quisque suam, e legis praescripto, bonisque honores tribuentes, et

poenas

poenas malis irrogantes. Existimabant nempe illi, belluarum quidem esse, vt alii aliis per vim inuitis imperitent, homines autem decere, vt ipsi sibi ferenda certa lege terminos rerum figerent, blandaque orationis persuasione argumentorumque euidentia alii aliis assensum extorquerent, iisque famularentur, legi puta, ceu regi, rationi autem verbis declaratae, ceu magistro. Quo factum est, vt maiores virorum hoc monumento conditorum antiquissimi, ingeniique sui adiuti praestantia, et concordiae neruis firmati, multa ediderint praeclara atque admirabilia facinora. Verum fuit eorum posteris quoque ea virtutis excellentia, vt eius monumenta, et ingentia, et ad nullius non aeui memoriam euictura, et nusquam non locorum a se condita relinquerent. Hi enim, tametsi soli essent, pro cuncta Graecia aduersus multas barbarorum myriadas dimicarunt. Asiae nempe rex, bonis praesentibus haud contentus, sed Europae quoque sperans se iugum impositurum, quingenta hominum armatorum millia huc misit. Rati hi, hanc vrbem solam si aut volentem sibi adiunxissent, aut inuitam subegissent, facile se reliquos quoque Graeciae populos sub potestatem esse habituros, escendebant ad Marathonem, autumantes, tum maxime futurum, vt nostros a sociis desertos opprimerent, cum, Graecia adhuc ipsa secum dissidente atque dubitante, quanam expeditissima ratione inuasores depellendi sint, discriminis adeundi necessitatem ipsis admouerent. Praeterea inhaerescebat adhuc eorum animis haec de republica nostra opinio, e glorioſis maiorum factis enata, vt praeuiderent futurum, quamcunque aliam rempublicam graecam priorem aggrederentur, vt vna cum illa et cum Athenienſibus certamen haberent decertandum. Athenienſes enim prompte, sine cunctatione vim passis quibusque esse subuenturos; hos autem in primos si incurrerent,

rent, neminem fore reliquorum graecorum, qui ſtudio ſeruandi atque tuendi alios, illorum in gratiam, auderet apertae ſecum ſimultatis ſemina ſpargere. Sic Perſae ſecum ratiocinari. Noſtri autem maiores, non illi quidem conſilia ſequentes prudentiora, atque tutiora, quippe bene gnari periculorum bellis cognatorum, attamen arbitrantes, mortem glorioſam immortalem virorum fortium famam relinquere, nil extimeſcebant hoſtium multitudinem, ſed ſua magis fidebant virtute, ſibique pudori ducentes, a barbaris agrum ſuum perſultari, non ſunt morati, donec eius rei fama ad ſocios permanaret, eosque ad ſuccurrendum excieret, neque ſe dignum putarunt, committere, vt aliis ſuam deberent ſalutem, ſed operam dare, vt reliqui omnes Graeciae populi ſuam aſſertam ſibi deberent. Hac ſententia rata, et animis pariter omnium infixa, occurrebant pauci multis, exiſtimantes decere ſe, fatalem diem cum omnibus obire, cum paucis autem partes virorum fortium agere, ſpiritumque ſibi eſſe temporarium et quaſi mutuo acceptum, neceſſitate mortis fatalis obſtrictum, praeclaram vero memoriam e certaminibus a ſe obitis collectam, laudem ſuam eſſe propriam ad poſteros tranſituram. Quos ſoli vincere non poſſent, deſperabant eos a ſe vincendos fore, etiamſi acceſſione ſociorum firmatis. Si ſuccumberent, (ita ſtatuebant) non deteriore ſe loco futuros, quam alios, hoc vno diſpares, quod paulo ante alios eſſent occubituri. Sin autem ſuperiores e praelio diſceſſerint, non ſibi ſolis, ſed reliquis quoque libertatem aſſertam eſſe reportaturos. Virorum itaque fortium partes tuentes, corporibusque et ſpiritibus nil parcentes, dummodo virtutem proferrent, legesque patrias magis reuerentes, quam diſcrimen confiictus cum hoſtibus reformidantes, monumentum pro vniuerſa Graecia, domi ſuae, ipſis in finibus agri ſui, ſtatuerunt barbarorum

barorum a se deuictorum atque profligatorum, eorum, qui cupiditate bonorum alienorum allecti, alienos in fines inuasissent. Tanta quoque celeritate discrimen hoc exantlarunt, vt alios graecos iidem nuncii et de barbarorum has in terras aduentu, et de maiorum nostrorum victoria certiores facerent. Quo factum est, vt nemo de futuro periculo trepidaret, sed omnes quo tempore de illius aduentu inaudirent, eodem tempore ab illius metu se quoque liberatos gauderent. Nil itaque mirum est, haec tanta facinora, tametsi vetusta sint, tamen adhuc etiam nunc, perinde ac si recentissima sint, omnium hominum admirationem erigere, praedicationem exercere, aemulationem accendere. Xerxes inde, rex Asiae, multis impulsus grauibusque causis, cum quod contemneret graecum nomen, tum quod spei falsus fuisset, item, quod acceptae cladis vreretur dedecore, nec non quod damna aegre ferret, iisque succenseret, a quibus ea accepisset, denique quod malorum adhuc esset expers, naturasque virorum fortium nondum haberet vsu suo cognitas atque perspectas; copias per decennium conscriptas, alias super mille ducentis nauibus adducebat, alias pedestres per continentem, tam numerosas, vt arduum sit, nationes signa eius tum secutas vel nominatim solummodo percensere. Iuuat vnum, sed palmarium, multitudinis argumentum indicare. Potuerat pedestres copias per Hellespontum, qua fretum est angustissimum, super mille nauibus ex Asia in Europam traiicere. Sed noluit, ratus, illam moram sibi, quam vellet, diuturniorem fore. Quapropter et terminos a natura rerum fixos, et coelestia ostenta, deorumque admonitiones, et humanas auctoritates aspernatus, viam sibi per mare communiuit, et inuitae continenti per agros suos nauigationem extorsit, Hellesponto ponte iuncto, et Atho monte perfosso, nemine resistente, sed aliis ne-

ceſſitati cedentibus, aliis vltro commune decus prodentibus. Illi enim depellere vim, cum vellent, ſuis viribus non poterant; hi corrumpi ſe largitionibus paſſi fuerant; metu illos, hos lucri ſpe ducente. Athenienſes autem, in rebus Graeciae tam conclamatis, cum claſſe ad Artemiſium occurrebant, ad ſiſtendum incendium; Lacedaemonii vero, cum nonnullis ſociorum ad Thermopylas hoſti ſe opponebant, ſperantes per locorum anguſtias futurum, vt meatum tuerentur. Diſcrimine defungentes ſub idem tempus ambo, Athenienſes quidem e praelio nauali ſuperiores diſcedebant, Lacedaemonii autem infortunio percellebantur, non virtutem illi quidem ſuam paſſi deſiderari, verumtamen falſi opinionis, quam concepiſſent de numero et eorum, aduerſum quos erant certaturi, qui numerus ipſorum exſpectationem longiſſime exſuperabat, et eorum, quos a ſe tuendos ſperauerant, qui numerus multis partibus erat ſperato minor. Sic, ab hoſte non victi, occubuerunt in ſtatione quisque ſua. Alteris itaque ab aduerſa fortuna ſubuerſis, alteri per fauces patefactas infuſi, aduerſus hanc vrbem procedebant. Maiores autem noſtri, audita Lacedaemoniorum clade, trepidantes in iſta rerum, quibus ſepti deprehenderentur, procella, certi cum eſſent futurum hoc, vt, ſiue pedeſtri itinere hoſtibus occurrant, hi claſſe mille nauium inuecti vrbem viris denudatam occupent, ſiue in naues ipſi inſcendant, vrbs pedeſtribus hoſtium copiis praeda fiat; negatum autem ſibi videntes, muniis ambobus vna fungi, hoc eſt, et hoſtem defendere, et in vrbe praeſidium idoneum relinquere; propoſita gemina conditione, vtrinque dura, et patrio ſolo excedendi, et in caſtris hoſtium operam nauandi iugo ſeruitutis Graeciae ceruicibus imponendo: ſatius exiſtimantes eſſe, cum virtute libertate gaudere, tametſi ieiuna et inope, quam ſeruitutem tolerare turpem, tametſi

tametsi splendidam et copiis rerum affluentem; maluerunt, in Graeciae gratiam, vrbe exsulatum ire, quo possent altera cum parte hostium seorsim dimicare, neue cogerentur ambabus cum partibus simul decertare. Liberis itaque atque vxoribus matribusque in Salamine depositis, congregabant reliquorum quoque sociorum nauales copias. Diebus non multis post adueniebat hostium quoque et pedester exercitus, et classis. O quanto tum, et quam diro discrimine super Graeciae libertate decertatum est! quam existimatis tum fuisse mentem aut e continente classiarios illos spectantibus, quibus perinde et sua salus, et exitus accedentis cominus periculi infidus esset; aut iis ipsis, quibus pugna naualis iamiam pugnanda instaret pro carissimis pignoribus, pro praemiis victoriae in Salamine depositis; quos tanta nubes hostium vndique cingeret, vt mortem suis tolerare corporibus minimum esset in malis praesentibus, quippe quam praescirent sibi imminentem; maximum vero hoc, quod indignitates metuerent acerbissimas, quibus paterent depositi in insula, si ad barbaros belli fortuna inclinaret. Fieri profecto non potuit, quin in illa circumstante trepidatione atque desperatione saepe mutuos in amplexus ruerent, suamque ipsi sortem, vt facile iudicatu est, lamentarentur, quippe qui probe et classis suae mediocritatem nossent, et hostilis magnitudinem coram oculis cernerent, postremo vrbem suam scirent ab incolis desertam, agrum deuastatum plenumque barbaris, fanis deorum ardentibus, nullis denique non terroribus cominus ingruentibus, audientes item graeco paeani barbaricum obstrepentem, ambabus partibus suos ad dimicandi fortitudinem adhortationum contentione acuentibus, mixtosque fremitus et eiulatus vtrinque cadentium, mari cadaueribus obsito, multisque inter se collisis quassatarum nauium, et amicarum, et hostilium,

ſtilium, ruderibus, ſorteque pugnae nauali ad multum temporis ancipite extracta atque natante, ſic vt ſibi viderentur modo cum victoria ſalutem recuperaſſe, modo victi funditus periſſe. Credibile hercle eſt, metu mentes occoecante et ludente, eos tum opinatos eſſe multa cernere, quae nulla cernerent, et multa audire, nusquam audita. Quae non tum fiebant deorum ſupplicationes! quae non concipiebantur victimarum vota! quae non ſubibant animos vxorum liberorumque deſideria! quae non inceſſit patrum matrumque miſeratio! quae non recordatio malorum, auris reflantibus exhauriendorum! Ecquis deorum in tanta magnitudine diſcriminis non eos ſit miſeratus? Ecquis hominum ſorti eorum non illacrimauerit? aut fortes eorum fidentesque animi ecquem non admiratione defixerint? Profecto reliquis illi mortalibus omnibus antecellebant virtute et capiendorum conſiliorum, et tolerandorum in bellis laborum; vt qui, relicta vrbe patria, in naues commigrauerint, capitaque ſua, numero illa quidem perpauca, innumerabili turbae Aſiaticae, tanquam aggerem oppoſuerint, victoriaque nauali potiti planum vniuerſo generi humano fecerint, ſatius eſſe inter paucos ſecum concordes, et iure ciuili aequo vtentes pro libertate dimicare, quam pro ſeruitute inter multos imperia regia reuerentes. Aſſertae autem graecae libertatis momenta, et numero plurima, et re grauiſſima atque ſplendidiſſima hi vni contulerunt haec: imperatorem puta, Themiſtoclem, virum vnum omnium et facundia et conſiliorum felicitate, et ſtrenuitate manuum in rebus gerendis praeſtantiſſimum, maximeque idoneum; tum naues multo plures, quam reliqui omnes ſocii, virosque rerum gerendarum peritiſſimos. Cum his igitur ecquis vnus reliquorum Graecorum omnium de principatu, ſiue prudentiae, ſiue numeri, ſiue virtutis contenderit? Tulerunt ergo meriti

riti ab vniuerſa Graecia ſine controuerſia praemia atque teſtimonia rei optime atque praeclariſſime in pugna nauali geſtae. Sed et felicitatem ſibi pepererunt iſtis tantis laboribus parem, virtutemque non aduenticiam, neque inſiticiam, ſed genuinam, e ſuoque prognatam patrio ſolo, exemplo luculento barbaris ex Aſia aduenis teſtatam fecerunt. Tales itaque ſe in pugna nauali cum exhibuiſſent, partemque periculorum longe maximam ſoli toleraſſent, virtute tamen ſua ſibi propria libertatem reliquis quoque communem peperererunt. Tempore poſt, cum Iſthmum obducendo muro ſepire atque intercipere inſtituerent Peloponneſii, et in ſalute ex inſperato oblata gratulabundi acquieſcerent, ſibique iam metu liberati viderentur periculorum a parte maris imminentium, conſiliaque iam agitarent de non intercedendo, quominus reliqui ſub barbarorum poteſtatem venirent, exardeſcentes nobili quadam indignatione Athenienſes, auctores illis fiebant, ſi quidem ita facere in animos induxiſſent, non Iſthmum ſolummodo occludendi, ſed vniuerſam quoque Peloponneſum moeniis circumuallandi. Ipſi enim ſi, a Graecis proditi atque deſerti, ſe barbaris adiunxerint, neque claſſe mille nauium his opus fore, neque murum Iſthmo obductum illis eſſe profuturum. Imperium maris enim penes regem Perſarum eſſe futurum controuerſiae atque diſcriminis expers. Meliora itaque ab Athenienſibus docti Peloponneſii cum ſibi perſuaſiſſent, et iniqua ſe patrare, et praua capeſſere conſilia, Athenienſes contra aequa omnia ſuadere, eademque ſaluberrima; auxiliatum ad Plataeas conuenere, vbi, tametſi ſociorum plerique ſtationes ſub noctem deſeruiſſent, ab hoſtium expauefacti multitudine, Lacedaemonii tamen, a Tegeatis firmati, Perſas profligarunt, Athenienſes autem, vna cum Plataeenſibus, armis deuicerunt Graecorum eos, quos deſperata li-

bertate seruitutem sub *ie* haud puduissent. Illa die superioribus laboribus cum splendidissimam coronidem imposuissent, firmam Europae stabilemque asseruerunt libertatem, nulloque non in discrimine virtutem suam cum publice approbassent, et soli per se, et vna cum aliis, et in continente, et in salo, et aduersus barbaros, et aduersus graecos barbaris addictos dimicantes, ab omnibus, tam quorum in commilitio dimicassent, quam aduersus quos arma gessissent, digni sunt habiti, qui principes atque duces Graeciae constituerentur. Tempore autem post, intestino inter Graecos oborto tumultu, cum ob excellentiam fortunae secundae, qua nostri vsi aemulationem omnium concitassent, tum ob inuidiam e rerum gestarum magnitudine collectam, magnos quidem spiritus alentibus omnibus, minutarum autem criminationum et praetextuum quibusque egentibus, commissum est inter Aeginetas eorumque socios, et inter Athenienses nauale praelium, quo nostri triremes hostium septuaginta ceperunt. Sub idem tempus Aegyptumque Aeginamque infestantibus nostris, et iuuent[illegible]e, alia in nauibus, alia in castris, procul a domo, militante, incessit Corinthios, eorumque socios, cupido agrum Atticum inuadendi, quem facili opera sperarent a se occupandum, vt a suis desertum; aut haec si se spes fefellisset, hoc certe futurum sperabant, vt classem nostram ab Aegina sic reuocarent. Quapropter egressi domo cunctis cum copiis, Geraneam ceperunt. Verum Athenienses, tametsi suorum alteri iam in reditu domum essent, alteri prope abessent, abs se tamen non impetrarunt, vt eorum quemquam arcesserent, sed ipsi suis freti animis, et aggressores aspernati, senioresque, et militaribus annis inferiores, sibi certamen deposcebant, illi quidem vsu rerum virtutem adepti, hi autem natura magistra; et illi quidem recordatione acti fortium factorum saepe multisque in locis

a se

a'se editorum, hi autem istorum aemulatione accensi, periti seniores imperandi, iuniores autem ardentes imperata exsequi, Myronide duce, cum ipsi sese hostivltro in Megarica obiecissent, vicerunt vniuersas illorum copias suis, tametsi pars iam fessa laboribus atque defuncta esset, alia nondum matura capessendis, eosque, qui agrum suum infestare ausi essent, non domi suae exspectarunt, sed vltro ipsis alieno in solo occurrerunt, in quo tropaeum de ipsis fixerunt fugatis, suae quidem gloriae monumentum splendidissimum, dedecoris autem aeterni hostibus insessuri; tametsi ipsis affecta senio et marcida corpora, partim nondum satis habilia tractandis armis atque valida essent, animi tamen ambobus supererant fortiores, quam aut ab illa aut ab hac aetate postulari exspectariue posset. Quo facto domum reuersi, gloria cumulati amplissima, iuniores quidem ad consueta disciplinae puerilis munia redibant, seniores autem ad solitas functiones atque consultationes de salute reliquorum ciuium tuenda se recipiebant. Est quidem haud facile factu, viri, id quod cernitis, vt singula quaeque decora multorum contentione elaborata vnius oratio exsequatur, vtue omni aeuo gesta vnius diei breue spatium complectatur. Ecquod enim tempus, quae oratio, qui orator par tandem sit futurus virtuti virorum hoc monumento conditorum declarandae? Laboribus enim hi suis quam plurimis, certaminibusque splendidissimis, et discriminibus honestissimis libertatem Graeciae asseruerunt, suamque patriam inter omnes excellere testatum fecerunt, quippe quae septuaginta per annos principatum maris obtinuerit, sociosque in pace tumultuum expertes retinuerit, non postulando, vt plebs optimatibus seruiret, sed necessitatem aequi iuris seruandi omnibus imponendo, neque debilitando socios, sed illis quoque robur addendo, atque demonstrando, suae ipsorum potentiae tam validos inesse neruos, vt magnus rex non iam aliena

appeteret, sed, cum de suae ditionis parte decederet haud contemnenda, tum de reliquis tamen metueret, nę ea male tueretur. Neque triremes per id temporis infestae ex Asia inferebantur, neque tyrannus e Graecia exsistebat, neque graeca quaepiam ciuitas a barbaris in seruitutem redigebatur. tantum reuerentiae, tantum metus horum virtus reliquis omnibus hominibus iniecerat. Quae sunt eae laudes, ob quas oporteat solos iis ornatos Graecorum protectores liberarumque ciuitatum principes constitui. Verum etiam aduersis in rebus virtutem suam extulerunt. Amissa enim in Hellespontо classe, siue per imperatoris ignauiam, siue deorum arbitrio, quo vulnus impressum est grauissimum, et nobis ipsis illa calamitate afflictis, et reliquis vna Graecis, paulo post testatum maiores nostri fecerunt, in ciuitatis nostrae potentia salutem Graeciae versari. Aliis enim principatum Graeciae adeptis, factum est, vt, qui barbari antehac mare ingredi ausi haud fuissent, hi nunc in Europam classibus aliis ex aliis inueherentur, Graecosque pugnis naualibus vincerent; vt ciuitates olim liberae seruirent; vt tyranni ipsis imponerentur, alii statim secundum cladem illam, qua res nostrae conciderunt, alii secundum victoriam, qua barbari res Graecas perculerunt. Quo constat, dignum fuisse Graecia, vt super hoc tumulo in funere tum caesorum, tonsa capillos et pullata hic compositos lugeret, velut eos, quorum cum virtute sua quoque libertas elata et contumulata fuisset. Orbatae sic tantis viris Graeciae conditio fuit miserrima; rex Asiae contra secundis rebus efflоruit, ex quo ei cum nouis Graeciae ducibus contendere licuit. Graeciae enim vindicibus denudatae iugum seruitutis est impositum; regem autem, ex quo alii graecis praeesse coepissent, admiratio atque aemulatio incessit illorum consiliorum, quae maiores eius olim agitassent. At enim.

enimvero ad hos queſtus et ad hanc miſerationem fortis vniuerſae Graeciae communis, magnitudo mali, et patriae caritas, et animi mei me perturbatio imprudentem atque inuitum euexit. Quare ad alios age progrediamur. Conuenit itaque illorum quoque et publice et priuatim meminiſſe, fortium virorum, qui ſeruitutem fugientes, et pro iure ſuo pugnantes, et pro iure ciuili aduerſus dominos illegitimos atque nefarios inſurgentes, Peloponneſiis omnibus nequicquam aduerſantibus, in Piraeeum rediere, non a lege coacti, ſed a natura inuitati, nouisque diſcriminibus vetuſtam maiorum virtutem imitati, corporum ſuorum contentione animorumque fortitudine remp. cum reliquis, quamquam repugnantibus, communicarunt, mortem cum libertate praeferentes vitae in ſeruitute degendae. Cladium, ſi quas ab hoſtibus acciperent, non minus eos pudebat, quam iracundia in hoſtes exarſerant. Malebant mortem patrio in ſolo oppetere, quam in alieno fortunarum fixas habere ſedes, quippe qui pactis ſanctiſſima iurisiurandi fide confirmatis, veluti copiis quibusdam auxiliaribus, fiderent, tametſi ad priſtinos hoſtes noui, ciues ipſorum, acceſſiſſent. verumtamen aduerſariorum non reueriti multitudinem, capita cum periculis obieciſſent, de hoſtibus a ſe deuictis tropaeum condiderunt. Cuius ſuae virtutis teſtes adhuc ſuperſtites habent tumulos Lacedaemoniorum huic tumulo aſſitos. Et profecto, quae respublica ad iſtud temporis deiecta et contempta fuiſſet, eam hi rurſus ad ſuperiorem maieſtatem extulerunt, expulſaque diſcordia pacem et concordiam ei reddiderunt, atque effecerunt, vt pro moenibus dirutis moenia rurſus ſtantia conſpicerentur. Reduces enim domum ab exſilio facti, conſilia ſua conſiliis maiorum hic conditorum accommodarunt, non ad vltionem inimicorum, ſed ad ſalutem patriae conuerſi. Impetrare a ſe cum non poſſent, vt aequis animis

mis ſua iura minui, iisque ſe fraudari paterentur, neque rurſus vlla cauſa ad plus ſibi, quam conueniret, arrogandum mouerentur, perinde libertatem ſuam his ipſis adeo, ſi qui ſeruitute delectarentur, impertiebant, atque ſeruitutem horum participare dedignabantur, rebusque geſtis et maximis, et ad laudem ampliſſimis, priores reipublicae clades excuſabant, vt iam conſtaret inter omnes, rempublicam antehac non ignauia ſua, neque hoſtium virtute concidiſſe. Qui enim, tametſi inter ſe diſſidentes, tamen inuitis et ringentibus Peloponneſiis, caeterisque hoſtibus, a quibus ſepti tenerentur, in patriam reditum extorquere potuiſſent, liquet eos facile, ſi animis conſpiraſſent, hoſtes debellare potuiſſe. Laboribus igitur illi quidem in Piraeeo exantlatis hoc conſecuti ſunt, vt in eorum admiratione atque praedicatione omnes homines verſentur. Sed et mercenarios milites hic ſitos par eſt a nobis collaudari, qui ſtrenua opera plebi praeſtita patriam recuperare contendenti, pro noſtra ſalute cum dimicaſſent, ibi rati patriam ſibi eſſe, vbi virtuti proferendae locus eſſet, huiusmodi exitum vitae ſortiti ſunt. Cuius rei cauſa respublica eos quoque et luxit publice, et extulit, atque hoc tribuit, vt omne in aeuum paribus honoribus, atque ciues ipſi, afficerentur. Qui autem nunc a nobis humantur, hi ope Corinthiis ferenda illuſtre totique humano generi ſpectabile ſuae virtutis documentum ediderunt. Corinthios enim cum priſtini amici, Spartani, oppreſſum irent, hi, noui ſocii facti, aſſertum ibant, diuerſa Lacedaemoniis ſentieutes. Lacedaemonii namque Corinthiis bona eorum inuidebant, noſtri vero vim et iniurias, Corinthiis a Lacedaemoniis illatas, miſerabantur, neque priſtinas eorum ſecum ſimultates recordabantur, ſed nouam caritatem magni faciebant. Virtutem ecquis hanc neget eſſe, ab his demonſtratam, qui Graeciam ornare conantes, eiusque caritate

ducti

ducti, non pro ſua ſolummodo ſalute pericula adire, ſed pro libertate inimicis adeo hominibus reſtituenda mortem oppetere nulli dubitarint? Lacedaemoniorum cum ſociis confligebant, quo hos ipſos, quibuscum confligebant, in libertatem vindicarent. Victoria enim ſi potiti fuiſſent, victis paria ſecum iura contribuiſſent. Aduerſa autem fortuna ſubuerſi certam ſeruitutem ſtabilemque Peloponneſi incolis pone ſe reliquerunt. Illis itaque quidem, Peloponneſiis puta, hac ſorte vtentibus vita quidem fuit miſerabilis, mors autem optabilis. Noſtri vero, et adhuc cum ſupereſſent, et nunc fato ſuo defuncti, beati ſunt habendi, atque ſuſpiciendi, vt qui in bonis virtute maiorum partis educati, eorumque exemplis inſtituti, poſtmodum adultiores facti, maiorumque gloriam ſaluam conſeruarunt, et ſuae virtutis documenta ediderunt. Multis enim ſplendidisque decoribus patriam ornarunt, acceptas aliena culpa labes ſuſtulerunt, bellum a finibus longe ſubmouerunt, vitae denique finem impoſuerunt eum, quo virum quemque bonum decet ſuam obſignare, perſoluta patriae educationis mercede, quamquam moerore et luctu educatoribus relicto. Quapropter eorum deſiderio angi ſuperſtites par eſt, ipſosque ſuam ſortem lamentari, cognatosque defunctorum de vitae poſtmodum degendae caligine atque triſtitia miſerari. Ecquae enim illis reliqua facta eſt hilaritas? qui eos extulerint tantos viros, qui prae virtute penſi nil habentes, vitam ipſi ſuam proiecerint, vxores maritis viduarint, liberos patribus orbarint, fratres cum patribus atque matribus deſertos et deſolatos reliquerint. Ego vero in tanta malorum et multitudine et atrocitate, liberos tamen eorum nullus dubito beatos praedicare, eorumque ſorti inuidere, quos aetatis infirmitas iacturae ſenſu in eiusmodi patribus factae priuet. At parentum, a quibus hi, nunc humati, procreati

ſunt,

sunt, me miseret, natu grandiorum, quam vt obliui-
sci suorum damnorum possint. Ecquid enim excogi-
tari queat acerbius, quam hoc, vt, quem tu genueris
atque educaris, eundem ipse tute tuis manibus vbi
humaueris, spe omni careas, inualido corpore, de-
sertus ab amicis, necessariis vitae adminiculis exutus,
et, a quibus antea beatus fuisses praedicatus, eorun-
dem nunc commiseratione grauatus? Eccui mors non
sit tali vita desiderabilior? Quo enim illi viri erant for-
tiores, hoc superstitibus luctus fit acerbior. cui luctui
ecquid tandem vnum est, quod modum imperare de-
beat? vbinam eos oportebit moestitiae finem facere?
Reine publicae in malis? Atqui refricabunt haec pu-
blica mala haec priuata vlcera. Num publicis in gau-
diis? Atqui satis ad moestitiam ciendam hoc est, vt
e liberorum tuorum tibi ereptorum virtute alios videas
fructum laetitiae percipientes. Num in malis priua-
tis cuique suis? ecqui laetentur, videntes, quibus
olim amicis vsi fuissent, eos nunc paupertatem atque
solitudinem suam deuitare, inimicos autem calamita-
tibus suis illaetari, ab iisque ad insolentiam efferri?
Vna haec mihi superesse videtur ratio, qua et illos
quodammodo solemur, et hic compositis parem vt-
cunque gratiam referamus; si nempe parentesque eo-
rum non minoris faciamus, atque illi adhucdum su-
perstites eos facere insueuerant, liberosque pari cari-
tate complectamur, atque si ipsimet eos suscepissemus;
vxoribus denique viduatis si nos haud minus sedu-
los praestemus tutores, atque illi olim fuere. Quos-
nam enim maioribus merito prosequamur honoribus,
quam hic sitos? et ex superstitibus quosnam maiori,
quam horum necessarios, caritate complectamur? qui
cum ex virtute suorum, quos nunc lugent, olim, illis
adhuc superstitibus, non ampliorem, atque alii, fru-
ctum perceperint, nunc, sublatis illis, soli, si verum
volu-

volumus, infortunii onus perferunt. Verum enim vero, non video, quo expediat in huiuſmodi lamentationes effundi. Non enim nos vtique fugiebat, nos omnes legi naturae natos eſſe obnoxios, cui ſemel parendum atque moriendum eſt. Quid opus ergo eſt, quae fata dudum exſpectatione praecipiebamus, ſuper iis angi? aut tam impatienter ferre mala a natura imperata, qui ſciamus mortem ignauiſſimum atque infimum quemque perinde manere, atque fortiſſimum et nobiliſſimum. Mors enim non magis praeteruidet imbelles, quam ſtrenuos reueretur, ſed aequam ſe communemque praebet omnibus. Datum ſi foret, deuitatis bellorum fortuitis, vitam ſic tandem immortalem agere, deceret vtique ſuperſtites, donec in viuis ſupereſſent, caeſos in bellis perpetuo deflere. Iam vero et humana natura morbisque ſenioque eſt obnoxia, eorumque plagis ſuccumbit, et ſors naſcentem quemque ſortita ad preces ſurda eſt, flectique recuſat. Quapropter eos oportet ducere beatiſſimos, ſi qui periculis defungentes ob res grauiſſimas, easdemque honeſtiſſimas, ſic tandem vitam cum morte commutarint, arbitrio ſui non incertae cuidam fortunae permiſſo, neque exſpectato mortis genere ſponte ſua obueniente, ſed cum delectu generis nobiliſſimi. Sunt igitur eorum memoriae ſenii expertes, honoresque illis habendi omnium hominum commouent admirationem atque aemulationem. Cum enim ob naturam, quam ſortiti ſunt mortalem, lugentur, tum ob virtutem, qua exſplenduerunt, pro immortalibus celebrantur. Etenim efferuntur publice, ludique ſuper iis eduntur, habentes locum et robori corporis demonſtrando, et ingenii ſolertiae proferendae, et opulentiae expromendae. Id quod teſtimonio eſt, ſi qui in bellis pro patria dimicantes occubuiſſent, eos dignos haberi honoribus iisdem,

iisdem, qui numinibus deorum immortalium consecrati sunt. Quamquam igitur eos ego equidem vitae perinde mortisque beatos praedico, admirorque, existimans illis solis nasci expetisse, si qui virtute hoc sint consecuti, vt corpus mortale sortiti, in fama viuant immortali: necesse tamen video nobis esse, vt morem antiquo ritui gerentes patriisque institutis, hic compositos lamentationibus prosequamur.

ORATIO TERTIA,

quae est aduersus Simonem sui defensio.

Tametsi, Senatores Areopagitae, Simonem noui multa alia atque atrocia ausum, nunquam tamen eum eo speraſſem audaciae esse processurum, vt, quarum rerum par erat eum poenas dare, earum reos ipse alios, quasi indigna passus, ageret, dictoque iureiurando tanto et tam sancto ad vos prodiret. Quod si ergo iudices quidem mihi essent alii, de me pronunciare iussi, periculum hoc ego vehementer perhorrescerem, qui saepe in iudiciis versari plurimumque valere cernam, alias dudum ante a litigantibus comparata aduocatorum praesidia, iudices auctoritate, gratia, precibus, minis denique et conuitio flectentium atque obruentium, alias alios mirabiles fortunae casus, vt alia omnia saepe eueniant, quam iure certantes speraſſent. Ad vos autem ingressus, spero futurum, vt ius mihi debitum a vobis recuperem. Inprimis hoc, senatores, aegre fero, quod agendum mihi coram vobis sit iis de vulneribus, quorum cum me puderet multos mihi esse conscios, idcirco malui acceptam iniuriam tacitus invltam perferre. Quoniam vero Simon ad hoc necessitatis eo me adegit, quod vos nihil celauit, ego rem totam, vt gesta est, a capite ad calcem vobis enarrabo, sed hac conditione, vt ego si reus iniuriae datae deprehendar esse, veniam nullam impetrem; sin autem planum

num vobis fecero, criminibus illis me non teneri, quorum me Simon cum iureiurando insimulauit, ita vt vobis solummodo videar amore erga adolescentem [Theodotum] exarsisse animi quadam leuitate, aut si mauultis, dementia, grauitatem vtique aetatis meae non decente; tum vt vos, id quod maiorem in modum vos rogo atque obtestor, ideo me nil improbiorem habeatis, bene memores, mortalium omnium esse neminem, qui non sensu quodam amoris afficiatur; at illum esse honestissimum atque sapientissimum, qui huiusmodi labes humanae naturae cognatas quam decentissime perferat. Simon autem, quem coram cernitis, his omnibus in rebus mihi offecit; id quod planum vobis faciam. Ambo nos [ego, et Simon,] eundem erga Theodotum, adolescentulum quendam Plataeensem, exarseramus, o Senatores. quem ego equidem beneficiis ducebam mihi obstringendum, ille vero contumeliis et iniuriis hoc se sperabat perfecturum, vt puer imperata quaeque coactus exsequeretur. Longum fit, quae Theodotus a Simone mala pertulit, enarrare; in me ipsum autem quae Simon ausus est, ea vos arbitror ex me audire oportere. Simon nimirum, comperto puerum penes me esse, noctu meam in domum temulentus irrupit, effractis foribus, in foeminarumque secretum se ingessit, tametsi soror mea intus esset, cum filiabus eius, quae omnem ad hoc diei aetatem ita egerunt pudicam, vt vel necessariorum quoque conspectum verecundarentur. Neque (videte, obsecro, quo petulantiae processerit) abscedere prius voluit, quam homines, et qui fortuito interuenissent, et illi ipsi adeo, qui eum illuc comitati fuerant, per vim eiicerent, quod illis videretur vim et stuprum oblaturus esse puellis virginibus, patre orbis, quarum in receptaculum irrupisset. Verum aberat tantum, vt Simonem huius tantae insolentiae facinorumque tam contu-

contumelioſorum poeniteret, vt loco, vbi coenaremus, explorato, facinus auderet inprimis abhorrens dictuque incredibile, niſi ſi quis furorem eius iam dudum cognitum atque perſpectum habeat. Immiſſo enim, neſcio quo, foras me euocauit. Prodii. Vix prodieram, cum ille in me inuolat, et pugnis me verberibusque concidit. Ego vero inimicum vlciſcebar par referens, et in fugam vertebam, fugientemque vrgebam. Ibi lapidibus ille me petit, quorum vnus aliquis a me aberrans, Ariſtocriti frontem fauciauit, qui Simonem ad domum meam euntem proſecutus fuerat. Haec ego quamuis grauia atque indigna mihi viderer paſſus, toleranda tamen duxi pudore metuque dedecoris, ſi factum palam fieret, id quod memini me paulo ante dicere, maluique horum delictorum poenas exigere nullas, quam apud ciues dementiae opinionem mereri, bene gnarus, neminem fore, qui in Simone iſtaec miretur, reliquis eius notis et ſolitis flagitiis conſentanea; me autem qui riderent ita mulcatum, fore permultos ex eorum numero, qui, ciuium ſi qui ſint probitati ſtudentes, iis inuidere conſueuerunt. Verumtamen ita me ſollicitum habuit illius ſceleroſitas, dubiumque, quibus ei modis occurrerem, aut eam deuitarem tractaremue, vt tutiſſimum mihi videretur eſſe ex vrbe diſcedere peregrinatum. Aſſumto itaque puero, (conuenit enim me nihil verorum vos celare) ſolum verti. Temporis interuallo poſt, quod ſatis diuturnum videbatur ad iniiciendam Simoni et obliuionem pueri, et poenitentiam ſuperiorum auſorum, redii, ſed in Piraeeum me abdidi. At ille tamen ſtatim Theodotum animaduertit, atque reſciuit penes Lyſimachum diuerti, qui Lyſimachus prope illas aedes habitabat, quas Simon mercede conductas incolebat. Familiarium itaque nonnullos ad prandium atque compotationem inuitat. Coëpulones autem hi cuſtodes in tecto conſti-

conſtituunt, puerum domo egredientem obſeruaturos, quo ipſi ab his cuſtodibus admoniti puerum intro raperent. Interim ego e Piraeeo in vrbem redeo, et in tranſitu ad Lyſimachum ſalutandi cauſa deuertor, pauloque poſt eximus. Illi autem iam temulenti prorumpunt, et in nos inuolant. Erant quidem in illo globo Simonem comitante, qui ſcelus participare recuſarent. Simon autem et Theophilus et Protarchus et Autocles raptabant puerum, qui, abiecto pallio, in fugam ſe coniiciebat; qua ego eum ſperans elapſurum, hos autem, vt primum hominibus eſſent occurſuri, a coepto eſſe deſtituros; haec igitur ego ſperans animoque verſans, alia via diſcedebam. tam vehementer eos cauebam, omniaque eorum coepta magnum mihi fore malum exiſtimabam. Quamquam tum quidem temporis, quo Simon primam inter nos ait pugnam eueniſſe, neque illorum, neque noſtrum cuiquam comminutum eſt caput, neque mali quicquam accepit quisquam, vt auctores vobis erunt, quos ego teſtes ad vos producam, qui rei tum geſtae interfuere. *Teſtimonia.* Simonem itaque, non me, auctorem fuiſſe iniuriae, inſidiatumque, non me illi, ſed illum nobis eſſe, confirmatum audiſtis, ſenatores, a teſtibus, qui rei geſtae interfuerunt. Verum, vt rei proceſſum et exitum enarrare pergam, puer in fulloniam quandam confugerat; verum hi eodem delati vna cum puero irrumpebant, et vi abſtractum abducebant clamantem et vociferantem, hominesque, ad clamorem frequentes et curſim congregatos, obteſtantem, quos hi ſpernebant, ſuccenſentes facto atque ſtomachantes, indignitatemque rei grauiter ferentes. Molonem autem, fullonem, aliosque quosdam, qui eos cum rapto iuuene auffugientes conſectati erant, vindicandi eius atque rurſus eripiendi gratia, verberibus commulcabant. Lamponis ad aedes iam proceſſerant, cum ego ſolus inambulans illis

occurro. Existimans igitur nefas et turpe esse, inultum si paterer puerum ita contumelioſe raptari, manum vindicem ei iniicio. Hi autem, a me interrogati, cur istaec auderent tam legibus contraria, nullo reddito responſo, verbera mihi ingerebant, omisſo puero. Coorto sic praelio, senatores, puero quippe saxorum coniectu eos eminus feriente, atque a corpore suo arcente, in nos autem his contra saxa iactantibus, et prae temulentia lapsantibus, me denique vim defendente, caeterisque item, qui, cum rixae interuenissent, nobis, quibus iniuriam oblatam esse iudicarent, opem ferebant: ita factum est in hoc tumultu, vt capita nobis omnibus comminuerentur. Et reliqui quidem, qui Simoni in ista per temulentiam commissa pugna sociam praestitissent operam, vt primum congressi mecum postmodum sunt, veniam erroris sui a me deprecati sunt, velut non a me laesi, sed aggressores ipsi, atrocia ausi; totoque quadriennio, quod inde effluxit, nemo eorum fuit vnquam, qui de me quicquam quereretur. Simon hic ipse adeo, qui vnus haec mihi mala omnia conscivit, quietum se toto illo tempore tenuit, ipse sibi metuens. Vt autem comperit in causa quadam priuata, quae mihi e fortunarum permutatione cum alio quopiam faciendа esset conflata, me rem sinistre gessisse, ita me coepit contemnere, vt, qua est proteruia, nullus dubitaret in hoc me forense certamen coniicere. Haec ipsa quoque vere a me affirmari, quo certiores sitis, senatores, testes ad vos adducam eos, qui his quoque interfuerunt. *Testes.* Rem iam, vt gesta fuit, tenetis, et a me, et a testibus edocti. Verum Simoni, senatores, o quam velim eandem esse, atque mihi, mentem. Sic enim facile fiat, vt vos a nobis ambobus vera docti ex aequo et iusto sententiam pronuncietis. Quoniam vero Simon iurisiurandi ore suo dicti nulla ducitur religione, conabor

eius

eius mendacia refutare, atque vos meliora docere. Asseuerare nempe illum nil puduit, drachmas trecentas a se Theodoto esse datas ex pacto cum illo inito, me autem animum pueri malignis et insidiosis suggestionibus a se abalienasse. Atqui, si verum hoc erat, oportebat eum aduocatis testibus quamplurimis, hanc causam iure secundum leges exsequi. Verum paret, eum horum nihil fecisse, contra vero iniurias mihi quam maximas obtulisse eo, quod ambos nos modis excepit contumeliosis, quod verbera nobis ingessit, quod comissabundus in nos grassatus est, quod fores meae domus effregit, quod noctu in aedes mulierum ingenuarum irrupit. Quae omnia vos oportet, senatores, pro certis habere argumentis eum hoc agere, vt mendaciis vos circumueniat. Totam suam substantiam ipse trecentis drachmis aestimauit, tanti ad censores professus. Ecquotus iam erit, qui non miretur, eum pluris, quam vniuersis in bonis ipse habeat, puerum conduxisse, sodalitii et amoris ergo. Verum non habet satis hoc comminisci, de dato argento; eo quoque procedit audaciae, vt id argentum se aiat a me recuperasse. Atqui, qui consentaneum est, tum quidem nos tantum facinus commisisse, quanti nos Simon insimulat, vt trecentis eum drachmis fraudare conaremur; nunc autem, pugna depugnata, tandem pecuniam reddere, non ea vsos cautione, vt Simonem syngrapham poscceremus, qua is testaretur sibi a nobis esse satisfactum, omnemque se inter et nos obortam simultatem et querimoniam sublatam; nullaque coactos reddendae pecuniae necessitate. Verum enimuero, senatores, versutiae sunt hae omnes Simonis atque imposturae, callide ab ipso excogitatae atque constructae. Dedisse ait pecuniam, quo infanda facere ne videretur, si, cum nullum interueniisset aeris mutuo crediti negotium, tamen in puerum modis grassari tam in-

dignis auderet; et rursus recuperatam simulat pecuniam, quia inter omnes constat. nunquam me ab ipso pecuniae fuisse postulatum, neque ipsum vnquam aeris a me sibi debiti mentionem fecisse. Porro queritur ille quidem, se verberibus ante fores aedium suarum a me mulcatum esse, ab iisque graue damnum corpore accepisse. Atqui constat, eum saluum et incolumem stadia plus quam quatuor cursu emensum esse, cum puerum persequeretur. Quae cum viderint homines plus quam ducenti, tamen infitiatur. Tum nos ait ad aedes suas venisse, testa vinaria armatos, necemque sibi minatos esse; hanc autem esse προνοιαν, *necem praemeditatam.* Ego vero, senatores, facile perspectu arbitror esse eum mentiri, non vobis solummodo, huiusmodi causas cognoscere solitis, verum etiam quibuscunque aliis. Eccui enim credibile videbitur, me Simonis ad aedes cum proposito caedis, paratisque insidiis, accessisse, de die, cum puerulo, tot hominibus penes eum rogatu ipsius congressis, nisi si cui videar eo furoris processisse, vt in mentem mihi veniret, certamini cum tanta multitudine me, qui solus essem, committere; praesertim qui bene nossem, mire eum cupere ante suas aedes inermem me nancisci; quippe qui vltro meas in aedes irrupisset, pensi non faciens neque sororem meam, neque filias eius, cognitoque loco, vbi tum forte coenabam, euocatum me pugnis concidisset. Et tunc quidem ego me ab vltione repetenda continuerim, ne populi fabula fierem, quod existimarem, humani quid, in quod vel honestissimus quisque incurrere possit, me passum esse, qui in hominis impuri atque audacis furorem, velut in scopulum quendam, impegissem; tum vero, multo post, libido me, id quod hic ait, incesserit, rursus de me popello fabulam praebendi! Habiturum vtique sit commentum hoc speciei non nihil, si puer penes eum haesisset;

fuisset; quasi ego, cupiditatis impatientia actus, insolentius quid atque calidius, quam par esset, patrassem. Iam vero nulli cum puero congressus ei erant, nil commune; quin imo puerum odio, quam vllum alium hominem, acerbiore prosequebatur. Puer penes me versabatur. Eccui iam vestrum, senatores, erit credibile, me, qui conscensa naue cum puero ex vrbe ideo excessissem, quo mihi omnis cum Simone digladiandi amputaretur necessitas, rursus, post reditum in vrbem, vltro ipsum ad aedes Simonis adduxisse puerum, vbi viderem mihi quamplurimum molestiarum atque discriminum esse propositum? Egone, illi cum insidiarer, (insidiatum enim me sibi Simon queritur) sic venirem imparatus, vt neque amicos, neque seruos, neque vllum alium hominem mihi praesto esse iussissem? praeterquam hunc vnum puerulum, qui cum ferre mihi opis nihil posset, tum, si quid ego fraudis commisissem, prodere me, tormentis subiectus, posset? At enimuero dementiae processeram eo scilicet, vt locum tempusue minus obseruarem, quo Simonem, cuius vitae dicor insidiatus esse, solum et inermem nanciscerer, siue noctu, siue interdiu; sed illum scilicet in locum me demisi, vbi futurum erat, vt a quam plurimis et conspicerer, et plagis vsque ad necem conciderer; quasi meummet ipsius in caput fraudem hanc praemeditatae necis excogitassem, quo acerbius atque crudelius ab inimicorum insolentia exagitarer. Praeterea, ex ipso quoque conflictu, senatores, colligatis eum mentiri. Puer enim, vt primum Simonem noscitauit, eiusque globum, et quid designarent sensit, abiecto pallio, in pedes sese dedit, quem Simon cum satellitio suo insectatus est. Ego autem diuersa via aufugiebam. Vtris iam decet culpam attribuere? fugientibusne, an insectantibus, deprehendere illos contendentibus? Ego equidem constare inter omnes ar-

bitror, metuentes saluti suae fugere, malum autem dare properantes insectari. Iam caussari non licebit, probabilia quidem haec dictu audituque esse, verumtamen ipsos multo secius, atque ego aiam, egisse. Imo vero, puerum vt consecuti sunt, de via raptum vi abducebant. Interueniens ego fortuito, non his quidem manus inieci, at puerum tamen eripere tentabam; quem illi pergentes vi agere, me pulsitabant; id quod ex hominum, qui rei gestae interfuerunt, testimonio constitit. Graue igitur et acerbum fuerit, quae hi tam infanda iurique ciuili tam repugnantia perpetrarunt, ea me videri per fraudem dudum ante praemeditatam exercuisse. Ecquae tandem erat mea futura sors, si res contra fuisset gesta, atque nunc reapse est! si nimirum ego, multis stipatus familiaribus occurrissem Simoni, manus cum eo conseruissem, verberassem, persecutus essem, puerum deprehensum vi abducere laborassem; cum nunc ab eo, qui istaec omnia patrauit, tantum in discrimen coniectus sim, vbi patrio de solo fortunisque meis omnibus periclitor? Sed maximum videte, senatores, argumentum, omniumque luculentissimum. Iniurias a me accepisse, insidiisque petitus esse, qui videri vult, (quas enim rebus approbare nequit insidias, eas oratione iactat) toto ille quadriennio ausus non est ad vos suas de me querelas deferre. Alii quidem homines ab amicorum consortio abstracti, atque insuper plagis commulcati, statim, ira stimulante, animum vltioni adiiciunt; hic autem annis demum aliquot post! Satis mihi videor, senatores, per ipsam rei gestae veritatem verbis meis declaratam, planum vobis fecisse, culpa me vacare, fraudisque nihil imputandum mihi esse, et praeterea in iurgiis ex huiusmodi causis enascentibus tam placido sum atque tam composito animo, vt, quamuis alias multas a Simone contumelias acceperim, caputque ab eo con-

eo contusum retulerim, ad vos tamen ea de re referendum haud duxerim, belluis, non hominibus, dignum ratus ardorem vindictae, si super amoribus mihi contractum cum quopiam iurgium fuisset, eum patria eiicere molientis. Tum si quis te, sine proposito interimendi, vulneret, ea mihi nulla videbatur *πρόνοια caedes deliberata* esse. Ecquis enim tam sit vecors, vt dudum ante secum deliberet atque constituat, quomodo inimicorum cuipiam vulnus imponat? Liquet enimuero, qui leges hoc in tribunali obtinentes primi sanxerunt, eos exsilium non in hos decreuisse, si qui, fortuita commissa pugna, capita inter sese ruperint; (nam profecto id si iuris illi statuissent, o quam multos in exsilium exterminassent!) sed in eos, si qui ex insidiis quempiam vulnerent, quem occidere gestientes et parantes haud potuissent. His illi prisci legislatores poenas constituere tam seueras, existimantes, non impositorum vulnerum, sed agitatorum consiliorum, atque machinationum funestarum illos poenas debere. Nam, etsi cupitis minus essent potiti, caedem tamen illos nihilominus, quantum in ipsis fuisset, patrasse, neque per ipsos stetisse, quo homicidium minus committeretur. Sic vestri maiores. At enimuero vos ipsi quoque saepenumero temporibus praeteritis ad hunc modum in causis *προνοίας* pronuntiastis. Et profecto, si qui per temulentiam, aut per contentionem, aut ob amores, aut ob ingesta conuicia, aut super meretrice, digladiati vulnera acceperint, aut denique super eiusmodi rebus, quarum omnes, vbi resipuerint, poeniteat, graue sit atque saeuum, vos ab iis poenas tam atroces repetere, vt eos ciuitate exterminetis. Prae caeteris in hoc Simone inconstantiam et mutabilitatem animi miror. Non enim mihi videtur eiusdem esse, vt amoris vna calumniandique morbo teneatur; sed amare quidem animorum est simplicio-

rum, calumniari autem verſutiſſimorum. Velim licere mihi reliquas quoque nequitias eius coram vobis explicare, quo intelligeretis, multo eum eſſe digniorem, qui capitis ſui cauſam ipſe dicat, quam vt alios in diſcrimen amittendae patriae coniiciat. Ego vero reliqua quidem omittam, quod vero et veſtram flagitare audientiam, et documentum fore videtur audaciae atque inſolentiae huius Simonis, de hoc vno commemorabo. In caſtra ad Corinthum cum veniſſet pugna iam depugnata, et finita ad Coroneam expeditione, Lacheti, cohortis tribuno, repugnauit, et verbera ingeſſit, eoque meruit, vt totius ciuitatis, quae tum illis in caſtris vniuerſa agebat, ipſe vnus negligentiſſimus diſciplinae miliraris atque nequiſſimus iudicatus, cum infamia, voce praeconis, iuſſu imperatorum, expelleretur. Multa forent alia praeterea, quae de Simone praedicarem; verum, quoniam ex antiquo ritu non licet in iudicio veſtro, ſenatores, a cauſa aliena proferre, haec pauca vobis proponam diligenter conſideranda. Hi meam in domum per vim irruperunt, hi nos ſunt inſectati, hi nos per vim raptarunt. Haec recordati pronunciate id, quod ius et fas eſt, neque patimini ea me patria per nefas extrudi, pro qua multa certamina decertaui, multisque functus ſum muniis cum largitionibus pecuniariis coniunctis; cui malum nullum vnquam neque ego, neque maiorum meorum quisquam conſciuimus, ſed multa contra emolumenta atque decora comparauimus, quo vobiscum alii me merito miſerentur, non ſolum ſi quid eorum fatale mihi ſit pati, quae Simon vult, ſed etiam hoc vel ſolo nomine, quod per cauſam huiusmodi tam vilem, tam turpem dictu, ad certamina forenſia huiusmodi cum capitis et fortunarum omnium diſcrimine coniuncta fuerim adactus.

ORA-

ORATIO QVARTA,

quae est defensio aduersus aliquem, cuius nomen hodie ignoratur, in causa vulneris praemeditati.

Nulla nobis pacta reconciliationis interceſſiſſe, de hoc hunc hominem contendere, id vero perquam eſt mirabile. Ego equidem ex eius re ruſtica, quae abſtuleram, mancipia et par boum aratorum, ea me ſibi reſtituiſſe, nequit infitiari; at idem tamen, qui ſuper his rebus tam liquido mecum in gratiam rediit, vt dubitationi locus nullus ſuperſit, vna de muliere contendit inter nos non conueniſſe, vt ea pari iure nos ambo vteremur. Conſtat illum propter hanc mulierculam permutationem bonorum mecum ſuſcepiſſe, et cauſam tamen, cur, quae meorum abſtulerat, ea mihi reddiderit, verum fateri ſi velit, aliam allegare nullam poſſit, quam quod amici communes his de rebus omnibus inter nos diſceptarint, deciderint et compoſuerint. O vtinam iudex in Dionyſiis ludis ſorte factus, victoriam tribui noſtrae haud abiudicaſſet! quo poſſem hoc vti argumento perſpicuo ad docendum, bona eum fide mecum in gratiam rediſſe. Iam vero ſpoponderat ille quidem ſcripto ſua manu exarato in tabulis illa ipſa de cauſa conditis, victoriam tribui meae ſe eſſe adiudicaturum, ſi eueniat, vt a ſorte iudex deſignetur. Deſignatus autem, nihilominus abiudicauit. Quae a me vere perhiberi, cum ſciant Philinus et Philocles, teſtari nequeunt, quoniam ea in cauſa, cuius reus agor, διωμοσίαν, hoc eſt, iusiurandum ante cauſae in forum ingreſſum a litigantibus dicendum, non dixerunt. Eſſetis alias perſpicue intellecturi, nos ſuffragio noſtro effeciſſe, vt iudicaturam hic adipiſceretur, et per nos ſtetiſſe, vt iudex ſederet. Sed erat nempe inimicus; et eſto, per me licebit, ſiquidem eſſe vult. largiar hoc ipſi. neque enim mea intereſt.

Veni ergo ad eum, iuuat enim tantisper hoc comminiſci, cum propoſito caedis inferendae, irrupi vi in domum eius. Eccur itaque eum non occidi? cuius corpus in poteſtatem meam redegiſſem, et tantum valens, vt ipſam adeo mulierem mecum aufferrem. Dicat hoc coram vobis. Atqui non poterit dicere. Iam vero nemo veſtrum eſt, qui neſciat, multo facilius eum ictu ſicae, quam pugni, potuiſſe tolli. Conſtat ergo ne ipſum quidem aduerſarium ingreſſus ad ſe facti cum telo letifero me inſimulare. Sed teſta vinaria ſe ait ictum eſſe. Atqui e[illegible]tis ab ipſo conſtat, eam non fuiſſe *πρόνοιαν*, *vim* [illegible] *caedem praemeditatam*. Nam vim praemeditati ſi ve[illegible]ſſemus, non veniſſemus tam inermes, vt nunc coram vobis adſto, cum dubium eſſet, eſſemusne teſtam figlinam apud eum inuenturi, etiamſi teſta ſatis potens ad necem conſciſcendam fingatur; aut ſatisne validum ad mortem inferendam hoc teli genus eſſemus habituri; ſed eo telo armati in viam nos dediſſemus, domoque id nobiſcum attuliſſemus. Iam vero ipſi confitentur hi [aduerſarius, et ancilla, et iis addicti reliqui] nos ad pueros meritorios, et ad tibicinas, et ad temulentos veniſſe. Ecqui tandem haec ſit caedes praemeditata? ego equidem haud eſſe putem. Verum hic homo contrario aliis modo peruerſus in amando atque miſer eſt. vtrumque vult, et argentum retinere, et ſcorto ſolus potiri, a qua exſtimulatus, manu nimis citus et praeceps ad contumelias eſt; vnde neceſſario fit, vt laeſi vim vi repellant atque vlciſcantur. Scortum autem modo me ſummi facere ſimulat, modo illum, ab ambobus amari cupiens. Quod ego mulieris ingenium, vt a principio tuli animo aequo et facili, ita adhuc dum fero, ille autem eo excedit rabiei, vt vibices vulnera appellare haud erubeſcat, et in ſella geſtetur, grauiſſimaque ſe affectum ſimulet valetudine, ſcorti ergo, quo frui ſine con-

ne controuerſia queat, ſi partem pretii pro ea venali perſoluti meam mihi reddere velit. Et ait ille quidem nos ſceleratum in modum ſibi inſidiatos, rebusque in omnibus nobis contradicit. meretricem tamen illam ipſam, e qua tormentis ſubiecta poterat fidem verbis ſuis approbare, ad tormenta dedere recuſat; quae fuiſſet hoc primum indicatura, noſtrum ne amborum ipſa ſit communis, an huius propria; tum ad emtionem ſui vtrum ego dimidiam pretii partem contulerim, an ille vnus totum perſoluerit; poſt, vtrum inter nos reconciliati ſimus, an ſimultates adhucdum exerceamus; item, vtrum inuitati venerimus, an iniuſſu; poſtremo, vtrum hic prior manus violentas intulerit, an ego verberandi fecerim initium. Et horum, quae enumeraui, vnumquodque ſigillatim, et reliquorum in controuerſiam venientium nihil non facili negotio meretrix haec et alios docere poterat, et hos ipſos noſtros aduerſarios. Nullum itaque hic ſubeſſe facinus praemeditatum nullamque a me factam huic iniuriam fuiſſe, vobis, ſenatores, e tot numero documentisque atque teſtimoniis opinor eſſe demonſtratum, rogoque vos, dignumque vobis cenſeo, vt, quantum pondus ad conciliandam verbis aduerſarii fidem habitura fuiſſet mea tormentorum recuſatio, ſi illum offerentem ego recuſaſſem; tam perinde validum meae veracitatis argumentum habeatis hoc, quod ille pati noluerit, ex illius meretricis pelle veritatis confeſſionem exprimi; tum vos hoc rogo, vt, quod hic ait, mulierem liberam eſſe, tanti id ne faciatis, vt ab eo decipiamini. Nam, vt libera ſit, meum quoque conſenſum accedere conuenit, measque partes hoc in negotio non minores verſari, quam eius; quippe qui ad emtionem huius corporis partem aeris dimidiam de meo contulerim. Verum enim vero mentitur, deditaque opera verum vos celat. Miſera enim vero et luctuoſa ſit iſtaec

istaec conditio. Mulieris ingenuae ad redemtionem ex hostium captiuitate aes si impendissem, liceret mihi ea quoquo vellem abuti, nullamque non operam ab ea exigere. nunc autem periclitanti mihi de communione patriae obtinenda, ne hoc quidem minutum licebit, vt ex hac muliere, quae seruilis est conditionis, iis de rebus, quarum causa capitis in discrimen adductus sum, perconter! Atqui eiusmodi in causa, tam capitali, atque haec mea est, eam tormentis subiici multo erat aequius, quam tum sub corona vaenire, quum hoc ageretur, (fingam enim tantisper) vt ego ex hostium captiuitate redimerer pecunia, ex ancillae venditione redacta. et erat hoc tanto aequius, quod e captiuitate quidem tibi liceat in patriam redire multis aliis quoque modis, vt, si hostes ipsi te vltro dimittant, aut si redemtionis pretium aliunde extuderis. Inimicorum autem in potestatem tradito tibi non licet eam in patriam redire, vnde per immanitatem eorum eiectus fueris, qui aere placari nolint, sed, vt patrio te solo arceant, in summis votorum atque contentionum habeant. Decet itaque vos, non excusationem huius hominis probare, postulantis mulieri tormenta ideo remitti, quod ingenua sit, quod commentum est veritate cassum; sed multo magis, eum istaec aequa censentem pro sycophanta ius aequum peruertere conante habere, quippe qui facile sibi futurum speret, vt argumento veri inueniendi tam certo praetermisso, mendaciorum suorum praestigiis vos circumueniat. Nam profecto vos non decet, sponsionem eius nostra credibiliorem ideo habere, quod seruos suos ad tormenta obtulerit. Quod enim illi vnum norant, nos ad ipsum venisse, id ipsi nos vltro confitemur factum. num autem vocati venerimus, necne, et vtrum ego plagas prior acceperim, an intulerim, mulier id melius norat, quam serui. Praeterea, seruos si torsissemus, qui

huius

huius proprii sunt, torsissemus incassum et stulte, si quid, huic gratificantes, meam in fraudem essent mentiti. Mulier autem nobis ambobus erat communis; ambo enim nos pro capite eius e catasta redimendo partem pretii aequalem contuleramus; et propter eam norat aduersarius maxime omnes has contentiones atque molestias nobis coortas esse, et in eius pelle nihil posse occultum manere. Et quamquam ego iniquiore, quam aduersarius, loco eram futurus, si mulier haec torqueretur, nullus tamen dubitaui periculum hoc quoque facere. Maioris enim hunc mulier facit, id quod ipsis e rebus constat, quam me. Consilia operamque cum hoc illa coniunxit ad me laedendum atque vexandum; mihi autem nunquam illa operam nauauit ad illi incommodandum. Et nihilo tamen ego minus ad testimonium huius mulieris confugi, quo testimonio fidere aduersarius dubitauit, fidei mulieris se committere non ausus. Oportet itaque vos in causa tantum periculum mihi creante, orationem huius non temere probare, sed, recordantes de patria et de fortunis omnibus aut saluis retinendis, aut amittendis, mihi certamen esse propositum, rationem harum habere sponsionum. Documenta adhuc euidentiora ne requirite. Alia enim, praeter haec, non facile habeam afferre, vnde certi fiatis, me scelus non agitasse praemeditatum. Hoc enim vero, senatores, indignor, et fero quam impatientissime, propter ancillam, quae scortum sit, summarum rerum in discrimen me deueniisse, qui vitae innocentem nunquam non me gesserim. Ecquod enim vnquam aut reipublicae, aut huic ipsi malum creaui? aut cuinam ciuium omnium vni iniuriam obtuli? Nullum vnquam scelus patraui, quale hi me patrasse aiunt; quamquam, id quod cuiusvis est, factuque facillimum, aiunt solummodo, rebus ipsis non probantes. Et nihilominus tamen per hanc meram verborum inuidiam conflatum mihi tantum est malum,

malum ab his, vt de summa rerum pericliter. Per liberos itaque vestros, per vxoresque, per deos denique solum hoc atticum obtinentes, oro vos supplex obtestorque, vt mei misereamini, neque me sinatis ex huius inimici mei arbitrio aut stare, aut cadere, neque me in pestem immedicabilem coniiciatis. Neque enim merui exsilii poenam huic dare, neque hunc conuenit tantam a me repetere poenam earum iniuriarum, quas ait ille quidem a me tulisse, nullas autem vnquam tulit.

ORATIO QVINTA,

quae est breuis defensio Calliae incerta in causa, forsitan sacrilegii.

Callias alia quapiam de re, non de libertate retinenda, si contenderet, sufficerent mihi ab aliis pro eo dicta. Iam vero turpe mihi videtur esse, hortanti me Calliae atque roganti, homini denique non mihi modo nunc amico, sed et olim cum patre meo coniunctissimo, donec pater in viuis superesset, et quicum nobis multae interceserunt rerum contractarum necessitudines, pro virili mea, quoad ius et fas sit, nolle succurrere. Existimabam itaque, Calliam, inquilinum inter nos agentem, ita se gessisse, vt dignus esset ornamento potius aliquo atque emolumento cohonestari, quam ex eiusmodi criminibus tantum in discrimen coniici. Verum enim vero mali bonis insidiantes, vitam suspiciosam atque periculosam non minus innocentibus reddunt, quam multarum noxarum reis. Vos autem non decet seruorum orationi fidem adhibere, horum [aduocatorum Calliae] derogare; reputantes, de Callia quidem qui quereretur, neminem vnquam fuisse, neque priuatum hominem, neque honore quopiam fungentem; eumque de ciuitate nostra, in quam fortunarum suarum sedem transtulerit, tam multis

multis esse modis bene meritum, vt sine cuiusquam offensione, atque sine criminatione ad id aetatis peruenerit; hos autem [seruos] homines impuros, quibus vniuersa vita sceleribus cooperta sit, quae molestiis atque cruciatibus multis magnisque corpore tolerandis luerunt, nunc audere libertatis mentionem facere, ad eamque adspirare, quasi praemium egregiae cuiusdam operae a se reipublicae nauatae poscentes. Id quod ego equidem in illis haud quaquam miror. Norunt enim, mendacii conuictos se peiore conditione non futuros, quam haec est, qua nunc sunt; sin autem vobis imponere et verba dare potuerint, tum se malis praesentibus liberos fore. Atqui eiusmodi homines oportet, neque in accusatorum numero haberi idoneorum et fide dignorum; neque in testium. Non hi, quibus in sua de aliis praedicatione magnorum sita spes est compendiorum, sed illi potius ad accusandum testandumque admittendi sunt, qui saluti publicae consulentes atque succurrentes, capita ipsi sua discriminibus obiiciunt. Recte vos mihi facturi videmini, si causam hanc non priuatam, sed publicam habeatis, ad salutem omnium, quotquot in ciuitate degunt, pertinentem. Non enim his modo, quorum causa nunc agitur, sunt serui, sed etiam reliquis omnibus; qui serui, in horum [consortium suorum] fortunam intuentes, non iam hoc agent imposterum, neque ita secum instituent, vt bene de dominis merendo libertatem mereantur, sed vt falsa de illis denuntiando.

ORATIO SEXTA,

qua Andocides impietatis reus agitur.

* * * Equum e marculo fani religatum, quasi restitueret, insecuta nocte rursus inde subtraxit atque abegit. Hic igitur, tanti facinoris reus, genere

nere mortis acerbiſſimo periit, fame. Quamquam enim multae ei lautaeque dapes apponerentur, teterrimus tamen foetor e panibus atque mazis exhalans, eum paſſus non eſt appoſitorum quicquam guſtare. Multi noſtrum iſtaec ex hierophanta, cum narraret, audiuere. * * * Quapropter aequum eſſe duco, tum temporis dicta vobis a me, per occaſionem Andocidis, in memoriam reuocari, quo homo, qui neceſſarios amicosque ſuos indicina ſua peſſumdederit, ſceleris ſui conſcios et participes eos criminando, non illos ſolummodo ore ſuo peſſumdederit, ſed ipſe quoque rurſus ab alio quopiam accuſatore perculſus peſſum eat. Neque vobis licet, eiuſmodi in cauſa pronuntiantibus, aut commiſeratione Andocidis, aut gratia moueri, qui certi ſitis, hominem religionum vtriusque numinis [Cereris et Proſerpinae] palam violatarum reum vobis puniendum eſſe. Iam conſentaneum eſt hoc exſpectare futurum, vt, qui ipſe ſibi quisque videtur, idem aliis quoque videatur eſſe. Fingamus tantisper, exempli cauſa, Andocidem ſententia veſtra ab hoc crimine abſolutum hinc diſcedere, ad ſortiendum in comitiis nouem Archontum accedere, a ſorte regem ſacrorum deſignari. Numquid aliud tum fiet, quam hoc, vt pro vobis ſacra faciat, votaque ſuſcipiat e ritu patrio, alia hoc in Eleuſinio, alia in fano Cereris apud Eleuſinem, et ſub tempus Myſteriorum feſto praeſideat operam dans atque cauens, vt nemo per ſacros illos dies quicquam committat nefarium, irreligioſum et ſacris inimicum. At quam putatis mentem tum fore myſtis, vndique huc congreſſis, quo ſacris occultis initientur, videntibus, qui et cuias ſit rex ſacrorum, omniumque ab eo impie factorum recordantibus? quam fore caeteris graecis, ſi qui huc per feſti cauſam conuenerint, ſiue quod ſacrificia ſuo nomine per dierum feſtorum oportunitatem offerre, ſiue quod ſolummodo ſacrarum

crarum coeremoniarum ſpectaculis intereſſe decreuiſſent. Auctores enim facinorum ſiue ad laudem, ſiue ad dedecus inſignium, neceſſe cum ſit ab iis inclareſcere, non patiuntur ſcelera, quibus Andocides numina deorum violauit, eum cuiquam, ſiue foris, ſiue domi, ignotum eſſe. Multos praeterea quoque populos in erroribus ille ſuis exagitauit, Siciliam, Italiam, Peloponneſum, Theſſaliam, Helleſpontum, Ioniam, Cyprum concitauit, regibus multis blanditus eſt, quibuscum vsquam locorum congrederetur; praeterquam vni Syracuſano Dionyſio, qui omnium aut fortunatiſſimus, aut callidiſſimus eſt, eo, quod ex omnibus Andocidis conſuetudine vſis, ipſe ſolus ab eiusmodi circulatore non deciperetur, hanc artem exercente, vt inimicis quidem nil incommodet, amicis autem malorum det, quam poſſit plurimum. Quaqropter facile factu vobis non erit, ſi qua in re ei per gratiam contra ius et fas conniueatis, vt id occultum Graecis maneat. Facere ergo non poteritis, Athenienſes, quin, hoc de homine quid ſtatuatis, diligenter atque ſeuere deliberetis, qui probe noritis, negatum hoc vobis eſſe, vt vna legesque patrias et Andocidem tueamini, ſed alterutrum eſſe optandum, vt aut leges aboleatis, aut hominem hunc amoliamini, eo progreſſum audaciae, vt aiat, in ſe latam legem iam dudum ſublatam eſſe, ſibique iam licere forum et templa frequentare, verſeturque in ſenatu. Atqui Periclem aiunt aliquando vobis auctorem factum, vt in ſacrilegos non ſolum legibus de iure ciuili perſcriptis, ſed illis quoque uteremini, quae literis haud conſignatae, cuſtodes atque interpretes habent Eumolpidas, de iure ſacro conſulentibus reſpondentes. quas leges ad id diei neminem vnquam valuiſſe conuellere, neque auſum eſſe quemquam iis refragari, neque conſtare a quo profectae ſint. tam alta eas eſſe antiquitate venerabiles. Hoc enim pacto futurum ſibi

videri, vt sacrilegi poenas dent, non hominibus modo, sed ipsis quoque diis. Verum Andocides adeo deosque parui facit, eosque, quibus mandatum est violatarum religionum vindicias exsequi, vt priusquam decem plus minus dies in vrbe, reuersus ab exsilio, exegisset, causam impietatis ad regem sacrorum deferret, iudicesque forte consilisui curaret; quamuis Andocides esset, hoc est is, qui aduersus deos tam nefanda esset ausus. Archippum, (dicam enim, quo magis animum attendatis) aiebat in Herma sibi gentili et auito nefas patrasse. Archippus contra Hermam illum saluum atque integrum supersse nihilque passum earum contumeliarum, quas Hermae reliqui accepissent. Et nihilominus tamen, vt sibi cum Andocide, homine hoc animo, his moribus praedito, certandum ne esset, vexationem numis datis redemit. Atqui se dignum qui censuit, vt ab alio poenas impietatis repeteret, ab eo alios quoque sceleris eiusdem poenas repetere vtique ius et fas, pietatique erga deos erit consentaneum. Verum graue, aiet. indignumque esse, indicem quidem extrema pati, indicio autem notatos saluo gaudere statu et iure ciuili, perinde vobiscum fruentes iuribus atque honoribus isdem. Atqui graue qui non erit, cum satis non habere, si causam capitis sui sibi dicere liceat, sed etiam aliorum accusationem defensioni suae admiscere? comparare inter se causas quam plurimum distantes? Nam alios quidem quod rursus ciuitate recepistis, quos sacrilegii reos factos exsilio multaueratis, nulla versatur in eo culpa vestra, sed illi deliquerunt, qui vobis reuocationem eorum atque restitutionem in integrum imperarunt, inuitisque extorserunt; quo facto hi cum sacrilegis eiusdem sacrilegii reatu sese ipsi obligarunt. Nunc autem, liberi cum sitis vestraeque spontis et excusso tyrannidis iugo rerum vestrarum arbitri, si nunc vindicias

cias deorum tollatis, culpa iam ipsi vos tenebimini, hi autem, tyranni quondam vestri, extra culpam erunt. Nolite ergo criminationem hanc, et hunc reatum vestris ipsimet manibus ab illorum capitibus in vestra transferre, cum liceat vobis, poena sceleris reo infligenda, infamiamque et piaculum effugere. Praeterea, quos Andocides queritur, vobis exprobans, in vrbem reuocatos, vnde ob impietatis crimen exsulatum ire iussi fuissent, hi scelera infitiantur a se commissa esse ea, quorum se delator Andocides insimulasset. Andocides autem ipse sua se confessione reum fecit. Atqui non in aliis solummodo iudiciis, sed in ipso quoque Areopagitico, quod omnium iudiciorum sanctissimum et iuris aequi tenacissimum habetur, quicunque capitale crimen a se admissum fatetur, is statim capite poenas luit. Sin autem infitietur, inquiritur in causae veritatem, et conuictionis per argumenta fidiculae admouentur. quo saepe factum est, vt accusati absoluerentur; qui re diligenter explorata iudicibus nihil deliquisse visi fuissent. Haud conuenit ergo infitiantes crimen cum confitentibus pari conditione habere. Mihi vtique graue accidit indignumque, si committatur vt deorum sit penes nos peior, atque hominum, conditio. Hominis corpus si quis vulnerarit, e. c. caput, aut os, aut manus, aut pedes, illi ius Areopagiticum, titulo vulneris praemeditati, excessum ea ex vrbe, in qua vulneratus rem familiarem habet, imperat; quo si redierit ab exsilio, indicatur senatui Areopagitico, qui eum statim morti damnat. deorum autem in simulacra si quis eandem vim atque idem nefas expedierit, eum vos templorum liminibus non arcebitis, sed ad aras accedere inultum sinetis? Atqui his prospicere, hos ornare, tueri, demereri, cum decet, tum expedit, a quibus cum spe bonorum impetrandorum proposita, metus quoque malorum accipiendo-

rum immineat. Quid? quod Graecorum multos aiunt Andocidem ob illa tot ab eo sic inter nos impie facta suis templis exclusisse. Vosne ergo, Andocidis iniuriis ipsi laesi, ritus et iura vestra minoris facietis, quam alii faciunt? Tanto est huius Andocidis erga deos impietas, quam Diagorae Melii fuit, atrocior, quod Diagoras in aliena fana ludosque orationis solummodo profanitate grassatus est, Andocides autem facinorum, in sua patria sacra. Oportet itaque, vos, Athenienses, in ciues vestros, circa religiones deorum delinquentes, seuerius, quam in peregrinos, animaduertere. Iniuria enim altera est aduentitia, haec autem domestica. Dedecus hoc stultitiae ad vos ne admittite, vt, cum criminosos impune sinatis abire eos, quos in potestate habeatis, tum, si qui fuga se vestrae animaduertioni subduxerint, eos venemini, atque comprehendere laboretis, talenti praemio per praeconis vocem ei proponendo, si quis impium hominem, aut viuum adhuc et spirantem ad vos adduxerit, aut peremti caput pertulerit. Sin minus, videbimini Graecis vestram erga deos pietatem inanis verborum ludibriis iactare magis, quam rebus ipsis in poenis sacrilegorum exsequendis approbare velle. Neque cauit Andocides, vt intra moenia vrbis patriae impietatis suae offensio subsisteret atque contineretur, sed ad Graecos quoque vniuersos suum deorum contemtum palam iactauit, atque velut insultabundus declarauit, nullum a se deorum numen haberi. Neque enim in terra continente se continuit, tanquam poenas facinorum suorum metuens in vndis se manentes, sed, veluti se fidens, deosque ad ineundum secum certamen prouocans, in mare se demisit, nauicularie factitandae animum adiecit, nauicularia exercenda mare intutum atque infestum reddidit. Verum deus eum ad locum supplicii tolerandi velut obtorto collo attraxit, quo, per causam mei, ad

loca

loca reuersus criminum commissorum ipsi conscia, meritas tandem poenas daret. Et mox daturum profecto confido. Quod si tamen minus id euenerit, ego equidem haud sim miraturus. Neque enim deus delicta in continenti punire solet. Verumtamen, quanquam hoc, quod vos exercetis, iudicium mere humanum est, hoc est, incerti et fallacis exitus, quippe quod multimodis fraudibus ludi atque peruerti queat, deorum tamen iudicium qui aut falleret, aut perfringeret, nemo vnquam fuit. Id quod ita esse, multis ego e documentis colligo, cernens alios quoque sacrilegiorum reos, quamuis lento, et multo post, at certo tamen et ineuitabili supplicio satisfeciisse, et ipsos, et eorum posteros maiorum piacula suis capitibus lueutes. Interea deus sceleratis terrores multos atque discrimina multa immittit, per quae factum est, vt impatientes malorum, a quibus liberari gestirent, in mortem ruerent. Deus autem ne mortem quidem vitae infinitis molestiis et cruciatibus exercitae portum aperit, quo confugiat, sed ad Tartara mittit manes defunctos, dirius etiam excruciandos. Longius ne abeam, huius ipsius spectate vitam Andocidis, ex quo sacrilegii se reum fecit, num qua sit alia vita eius similis. Andocides enim, vt e mulcta arbitraria ob delictum ipsi irrogata in iudicium inductus erat, ipse sese in carcerem compegit, eo, quod ipse sibi sua aestimatione poenam hanc carceris statuisset, nisi seruum tradidisset, quem a se tradi non posse probe norat, vtpote sui causa, suorumque scelerum, ne index fieret, interemtum. Atqui fieri qui possit, vt minus videatur mentem eius vitiasse deus atque occoecasse, qui facilius toleratu atque commodius arbitratus sit ipsummet sibi custodiae mulctam irrogare, quam pecuniariam, pari vtramque in partem sorte proposita. Ex illa enim vltro delecta litis aestimatione haesit in vinculis ad an-

num ferme, iisdemque in vinculis neceſſariorum atque familiarium indicauit nomina, poſteaquam ipſi propoſita fuiſſet ſpes de emerenda per indicium veri immunitate ſpiritus. Ecquam ei fuiſſe mentem exiſtimatis, qui extremae turpitudinis ſubiret flagirium, amicos prodendo, ſalute ipſius adhuc dubia; deinde vero necidando per indicium ſuum amicos illos, quos a ſe ſummi fieri ait! Videbatur vera indicaſſe, et carcere emittebatur quidem, ſed cum addito interdicto, vt forum ne frequentaret, neque fana deorum; quo nempe ne laeſus quidem ab inimicis iniurias vlciſci poſſet. Atqui, ait, ex quo Athenienſium nomen immortali fama coepit exſplendeſcere, nemo vnquam ob tale crimen infamia notatus eſt. Recte vero ait. neque enim fuit vnquam, qui ſcelera huic paria perpetraret. Horum omnium malorum, ipſi exiſtimate, vtrum cauſa diis, an caſui fortuito, imputanda ſit. Emiſſus carcere, infamiaque notatus, itinere maritimo ad regem Citienſium ſe contulit, a quo item in carcerem eſt detruſus, cum is eum in conatu ſui prodendi deprehendiſſet; neque mortis vulgaris eum ſolummodo metus tum terruit, ſed multo etiam magis lentae mortis, multosque per dies et cruciatus quam diriſſimos extractae. Iniecta enim ipſi fuerat huiusmodi ſupplicii formido de ſe ſumendi, vt ſpiranti adhuc ſingulos in dies ſinguli artus decerperentur. Sed iſtud quoque periculum fuga cum euaſiſſet, domum in naue remigrauit ſub dominatu CCCC virorum. Tantum nempe ſtuporem atque coecitatem, rerumque omnium obliuionem menti eius obiecerat deus, vt vltro ipſe cuperet ad illos ipſos redire, quos iniuriis irritaſſet. Reuerſus ſic domum, in vincula datus lorisque ſectus, aliisque multis moleſtiarum et cruciatuum modis exagitatus eſt; niſi quod extremum non tolerauit ſupplicium, tandem aliquando rurſus emiſſus. Naue illinc rurſus in Cyprum

prum reuectus, ab Euagora rege, nescio quod ob delictum, nexus est. Inde quoque fuga elapsus, palabatur, quoquo coeca fors deferret patriaeque extorrem, deorumque patriorum exsortem, mox eosdem, ad quos confugisset, rursus relicturus. Ecquae autem sit gratia vitae, cui fatale sit, plurimas atque creberrimas in molestias, velut in scopulos, illisae, nusquam respirare, neque conquiescere? Rursus illinc [e nauigatione, quae ipsi ordine temporum secunda fuit] relatus hanc in vrbem Andocides, iam restituta gaudentem libertate [quadringentorum tyrannide sublata] Prytanas largitionibus corrupit, vt se huc ad concionem producerent, cum eaque agendi veniam darent. Vos autem non solummodo restitutionem in integrum roganti denegastis, sed vrbe quoque eum excedere iussistis, quo iura deorum ipsis confirmastis, leges eas exercendo, quibus illa iura ipsis decreueratis atque receperatis tuenda. Sic nulla virum hunc ciuitas, neque iure gaudens ciuili aequo et omnibus communi, neque parens optimatibus, neque tyrannis seruiens, eum recipere, certis quidem atque stabilibus voluit sedibus, sed ex quo impietate erga deorum numina se polluit, vitam et egit semper, et adhuc agit erraticam, quoquo locorum veniat, ignotis magis fidens, quam familiari vsu cognitis. Hos enim fraudibus circumuenire solet, iniuriisque lacessere. Nunc, id quod nouissimum est, iterum domum reuersus bis intra anni eiusdem spatium, illegitimi in vrbem patriam et a legibus interdicti reditus reus factus, corpus quidem suum videt carceri paene perpetuo obnoxium, fortunas autem a certaminum forensium sibi adeundorum crebritate atque magnitudine indies decrescentes. Atqui fortunas suas inter inimicos atque rabulas qui diribat, is vere dicatur ipse sibi vitam facere haud vitalem. Verum hanc vt ipse sibi pestem velut meditando excogitaret, atque

conſciſceret Andocides, non eo deus ipſum induxit, quo ſaluum et ſoſpitem conſeruaret, ſed quo poenis ſacrilegiorum ab eo commiſſorum olim aliquando exigendis reſeruaret. Denique vltro ipſe ſemet nunc veſtras in manus tradidit, veſtroque permiſit arbitrio, non quo nullius ſibi culpae conſcius eſſet, ſed a diuina quadam neceſſitate velut verbere actus. Quare veſtrum eſſe quemquam, Athenienſes, ita me dius fidius, haud conuenit, ſiue ſenior eſt, ſiue iunior, qui, ſeruatum tot e periculis cernens Andocidem, cui tot ſcelerum ſit conſcius, ideo ad contemtum numinis deorum impellatur. Cogitato potius, dimidio breuius vitae ſtadium placide et iucunde decurri ſatius eſſe, quam duplo longius in perpetuis moleſtiis atque aegritudinibus extrahi. Quale quid huic Andocidi contigit. At ille nihilominus tamen eo proceſſit audaciae, vt remp. ſuis manibus euerſum atque perditum eat. Res agit ciuiles, concionatur, alios increpat honoribus fungentes, alios honorum candidatos cenſurae ſuae ſeueritate excludit; in ſenatum irrumpens, de ſacrificiis, de ſupplicationibus, de votis publice concipiendis, de oraculis deorum conſulendis atque interpretandis, auctor ſit ſententiarum. Atqui obſecundantes huic vos eccuinam vni deorum ſperatis rem gratam facturos? Nolim enim vos opinari, iudices, ſi vos facinora conſcelerati huius hominis obliuiſci velitis, ideo deos quoque oblituros eſſe. Non autem ſatis habet, domi aetatem degere tranquillo et obſcuro in otio, id quod eum ſatis habere decebat, quem conſcientia tot ſcelerum perculiſſet; ſed in luce reip. verſari vult, tanquam qui piaculi auctores exploratos indicaſſet. Haec agitat conſilia, ita ſe parat, haec ſibi conſcribit auxilia, vt plus aliis in rep. valeat. quaſi non per veſtram clementiam negotiorumque, quibus ſepti eſtis, ſpiſſitatem factum ſit, vt vos de eo puniendo adhucdum cogitare

gitare minus posſetis, tametsi nouis vos nunc haud obscure laesit offensionibus. At enimuero, qua eum oratione hac reum peragam, eadem effecturum me spero, vt damnetur, poenasque dudum meritas iam tandem aliquando persoluat. Nitetur item hac excusatione. Video enim necesse mihi esse, vt omnia vos doceam, quae hic sui purgandi causa profert. quo vos, peraudita vtrinque causa, certius et aequius pronuncietis. Persuadere nimirum vobis vult magna a se in remp. ornamenta collata esse, eo, quod, noxios indicando, illis vos terroribns illoque aestu, quo tum temporis iactabamini, liberarit. Ecquis autem tantorum erat malorum concitator? Non hic ipse, ea patrando, quae patrauit? Ergone meriti quidem huic habenda erit et referenda gratia, vt indici, cuius ipsi gratiam meriti abunde retulistis decernenda delicti venia et spiritus immunitate: tumultus autem illius, illarumque sollicitudinum culpa in vos, qui in sceleratos inquisiueritis, erit conferenda? Neutiquam. Plane contra. Ciuitatem ab hoc conturbatam vos rursus sedauistis. Sed hoc quoque eum audio pro se dicturum, pacta a vobis cum Lacedaemoniis et inter vosmet inita, nil minus ad se quoque, quam ad alios quoscunque Athenienses, pertinere, speratque se consecuturum, vt hoc tam specioso praetextu decepti vestrum permulti se absoluant, metuque constricti, ne, excludendo ipsum fructu pactorum illorum, pacta violentur. Planum itaque faciam, Andocidi cum pactis illis nil quicquam commune esse, neque his, quae cum Lacedaemoniis pepigimus, neque illis alteris, quae redeuntes domum e Piraeeo ciues cum parte ciuium ea, quae sub XXX virorum dominatu in vrbe manserat, pepigerunt. Neque enim a nostrum quoquam, tot numero cum simus, eadem commissa sunt crimina, atque ab Andocide. me miserum! eadem enimuero? ne similia quidem.

Quod si esset, posset Andocides nonnulla aequi specie communionem illorum pactorum fructumque postulare videri. Verum, ita me Iupiter amet, neque propter Andocidem inter nos dissensimus, neque prius nobiscum in gratiam redire recusauimus, quam nominatim de Andocide in pristina iura restituendo et ad participationem pactorum admittendo cautum esset. Non enim vnius hominis, sed nostra causa, quotquot sumus, e Piraeeo et Vrbe cuncti, pacta inita et iurisiurandi religione sancita sunt. Foret vtique indignum, si nos, propter Andocidis peregrino in solo errores, ipsi rerum omnium egentes, operam dedissemus, vt crimina eius expungerentur. Verumtamen Lacedaemonii profecto in pactis nobiscum contractis Andocidi prospexerunt? Qua re? ea nempe re, quod ab eo beneficio, nescio quo, essent ornati? — Nequaquam At vos tamen illis in pactis, quae vos mutua ciues cum ciuibus stipulati estis, Andocidis commodis consuluistis? Ecquodnam ob meritum? Num, quod saepe caput pro republica periculis obiecit? Non est, Athenienses, haec vera et firma excusatio, neque committendum vobis est, vt eiusmodi offuciis decipiamini. Neque pactorum rescissio in hoc cernitur, vt Andocides delictorum suorum a priuato commissorum poenas persoluere cogatur, sed in isto, si quis ob publicas calamitates priuatim quemquam vlciscatur. Sed vereor, ne Andocides accusationes a Cephisio accusatore in se coniectas, in ipsum retorqueat. Et habeat vtique in hunc quidem quod dicat. oportet enim verum fateri. At vos tamen, iudices, profecto non poteritis eadem sententia et defensorem et accusatorem condemnare; sed iam quidem hoc de Andocide vera vos et aequa conuenit decernere. Cephisio autem, aut si quos nostrum alios praeterea Andocides nunc perstringat, suum cuique tempus defensionis post-

modum

modum veniet. Nolite ergo, si quibus aliis succenseatis, in eosque animaduersionem expediatis, ideo hunc absoluere, delicti conuictum. Verumtamen indicem se fuisse iactabit, atque, si sponsa indicii mercede ipse fraudetur, verendum esse, ne, qui imposterum indicare clandestina crimina velit, nemo sit futurus. Atqui tulit Andocides hanc indicii sui mercedem et habet, spiritum, quem indicio suo saluum a vobis meruit, aliis per idem indicium extrema passis supplicia. Salutem ergo vobis debet, mala autem, quibus nunc septus tenetur, et discrimina, in quibus aestuat, ipse sibi eo circumposuit, quod scita de se publica auctoritate fixa conditionesque, sub quibus immunitatem adeptus fuerat, migrauit. Non armandi a vobis sunt indices licentia, post indicium nouis delictis vetusta exaggerandi. Sufficiunt vetusta, in quibus eos par est insistere. Noua si quae accesserint, ea puniri conuenit. Et reliqui quidem indices, si qui turpium criminum ergo comprehensi, ipsi sese indicarint, nondum conuicti, neque vi argumentorum, minisue, aut apparatu tormentorum ad confessionem veri adacti, vtcunque sint alias bruti et immanes, hoc vnum tamen sapiunt, si quos laeserint, ex eorum conspectu procul secedendum esse, neque amplius incommodandum. Recte enim vero sapiunt, existimantes, vbicunque locorum procul Athenis agant, ibi licere sibi saluis et a poena tutis atque cum dignitate quadam viuere, vt, quibus ignoti sint, iis viri boni et honesti videantur, et nunquam infamia notati, sed integro gaudentes statu et iure ciuili. Sin autem domi maneant, non posse facere, quo minus homines impuri et conscelerati habeantur. Batrachus quidem, praeter hunc vnum Andocidem, reliquorum omnium sine controuersia homo impurissimus, tametsi pactis conclusus esset illis, quae vos cum Eleusinis inistis, metu

tu tamen eorum, quos antea, triginta viris adhuc obtinentibus, indicinam factitans, offendisset atque laesisset, apud alios commorari duxit satius. Andocides autem, hunc Batrachum importunitate superat. Frequentat enim templa deorum, versaturque in oculis eorum, quos foedis modis dehonestarat; quo testatum ad omnes facit, se numina deorum minoris etiam facere, quam Batrachus homines fecit. Batracho igitur ipso qui homo impurior est, idemque tardior et importunior, cum vtique decebat secum habitare, quietum ie continere, latitare, satis habentem, quod saluum beneficio vestro spiritum haberet, eaque felicitate, perinde immerita atque insperata, perfruentem, vt nihil amplius cuperet. Age, conderemus, ecquid tandem spectantes vos oporteat Andocidem absoluere. hoccine, quod vir fortis et miles strenuus sit? Atqui pedem vrbe nunquam, in castra iturus, extulit; nunquam militia functus est, neque equestri, neque pedestri in graui armatura; nunquam in classe munia obiit, neque trierarchi, neque militis classiarii, neque ante calamitatem, qua perculsa iacuit respublica, neque post eam, quamquam annis quadraginta iam maior. Alii quidem exilium tolerantes a legibus irrogatum, nihilominus tamen in classe vestra, belli molestias in Hellesponto exantlante, muniis functi sunt vna vobiscum trierarchalibus. quo loco recordari vos velim, quantis e malis, quam diroque e bello ipsosque vosmet, et rempublicam emoliti sitis, cum multis illis durisque laboribus, quos corporibus ipsimet vestris exantlauistis, tum ingente illa aeris vi, quod aes publiceque priuatimque impendistis, iactura denique illa lamentabili virorum fortissimorum, quos illo in bello caesos contumulastis. Andocides autem, tametsi ab his omnibus malis intactus, nullam suam operam oppressae patriae vindicandae contulit, nihilominus tamen nunc audet

audet publicorum bonorum communionem ea in rep. poſcere, quam ipſe ſacrilegio polluit. Verumtamen, diuitiis nempe ſuis, indeque parta potentia, contractisque cum regibus atque tyrannis extraneis amicitiis atque hoſpitiis, quae nunc, veſtrorum morum animorumque gnarus, iactabit, res veſtras iacentes releuauit? Ecquanam in re? ecqua ab eo ad vos profecta eſt contributio, cuius fructum nunc a veſtra eum referre clementia oporteat? Rempublicam cernens ſaeua oppreſſam procella, ne lucri quidem ſpe illectus eſt ad opem frumentariam patriae afferendam, ea in naue, qua per maria agitanda quaeſtum exerceret nauicularium; ſed inquilini quidem atque hoſpites vrbis noſtrae, conteſtandi ergo grati memorisque animi, veniam inter nos commorandi, hoſpitiique liberalitatem compenſabant eo, quod ciuitatem annonis vndique conuectandis atque importandis recrearent: tu autem, Andocide, ecquod tandem tuae erga patriam voluntatis edidiſti documentum? quodnam in eam contuliſti beneficium? quonam tu nouo benefacto priſtina tua maleficia reprehendiſti atque emendaſti? quamnam hutricationis mercedem almae huic matri nobis communi rependiſti? Mementote, Athenienſes, mementote Andocidis facinorum. recordamini religionum auguſtiſſimi dici feſti, cuius ergo quam plurimi vos ſummi faciunt. Verum eſtis nempe vos ab huius hominis crebritate atque immanitate facinorum ita animis deiecti atque fracti, vt oculos contra attollere, vt hiſcere, minus audeatis. ita ſenſus vobis ex eorum, quae vidiſtis atque audiſtis, cum acerbitate, tam aſſiduitate, occalluerunt, vt atrociſſima quaeque vos iam nil moueant, ſed pro leuibus et contemnendis diſſimulatione tranſmittatis. Verumtamen attendite nunc dicendis animum. Opinamini vos oculis mentis cernere furores Andocidis. Quod ſi facietis,

melius

melius iudicabitis. Indutus hic ſtola ſacerdotali, aſſimulans hiſtrionico mimo coerimonias, oſtentauit non initiatis, quae videre nefas 'eſt, et carmina coerimoniis conſecrata, profanis auribus interdicta, clara voce vulgo recitauit; et quos deos in numero deorum habendos diuinisque honoribus proſequendos vobis ritu patrio et lege publica propoſuiſtis, quos nos religioſe colimus, quibus puri caſtique hoſtias caedimus, quibus ſupplicamus, eorum Andocides ſimulacra mutilauit. Quod expiaturi ſacrilegium ſacerdotes vtriusque ſexus, ad occaſum conuerſi, diris deuouerunt ſacrilegum, pannosque puniceos ſuccuſſerunt, prout antiquo et primigenio ritu ſancitum eſt. Ipſe hic ſcelus ſuum faſſus eſt. Et nihilominus tamen legem a vobis latam, qua iuſſus fuit, ceu homo impurus et piacularis, a ſacris et ſanis deorum ſe abſtinere, transgreſſus, furioſe perruptis hiſce repagulis omnibus, in ciuitatem noſtram per vim irrupit, illis in aris litauit, quibus interdictum ei erat, illis ſe ſacris obtulit, quae furore ſuo conſpurcauerat, ingreſſus eſt in Eleuſinium, pollutas manus ſacro illic aquiminali perluit. Ecquem iſtaec tolerare oportebit? ecquem decebit amicum, quem cognatum, quem iudicem, hoc vtentem familiariter, occulta ſuffragii gratia deorum ſibi apertam indignationem conſciſcere? Nunc vos decet ita animum inducere, vt ſtatuatis, hoc Andocide puniendo et de medio tollendo futurum, vt ciuitatem vniuerſam purgetis, illaque in vno omnia exſequamini, quae raritate exercitationis, et appellationum diritate horribilia, prouerbiorum ad modum, in ore vulgi verſantur, ſcil. ἀρὰν ἀπάγεσθαι, et ἀποδιοπομπεῖσθαι, et φαρμακὸν ἀποπέμπειν, et ἀλιτηρίᾳ ἀπαλλάττεσθαι. Quae enim modo appellaui exſecranda, eorum eſt Andocides quodcunque vis. ἀρά, ἀποδιοπόμπιμος, φαρμακὸς, ἀλιτήριος. Dioclis hierophantae, qui nobis

auus

auus fuit, dictum memorabile celare vos nolo. Nam ad rem praesentem facit. Deliberantibus ille vobis aliquando, quid in hominem Megarensem, sacrilegii reum factum, esset statuendum. huiusmodi factus est sententiae auctor. Volentibus enim aliis hominem confestim indicta causa occidi, intercessit Diocles, rem iudicio committendam esse ratus, hominum causa, quo reliqui, coram ipsis in foro agitata causa, melius imposterum sapere discerent. Diis autem quo satisfieret, iudices ita paratos ad sedendum conuenire hortabatur, vt domo quisque secum afferret probe consultum atque decretum, quae hominem pati de diis ita meritum fas esset. Bene itaque gnari vos, Athenienses, in hac Andocidis causa, quae sint vestrae partes, ne committite, vt ab eius strophis circumueniamini. Hominem tenetis sacrilegii conuictum. vidistis, audistis eius scelera. prouolutus ad genua vestra supplicabit. procul habete misericordiam; qua digni sunt insontes plectendi; indigni, si qui pro meritis extrema tolerant supplicia.

ORATIO SEPTIMA,

quae est aduersus Nicomachum purgatio sacrilegii in olea sacra insimulati.

Olim equidem opinabar, Senatores [Areopagitae] volenti cuique licere otium a litibus atque molestiis forensibus agere. Nunc autem in criminationes incurri tam inexspectatas, in hominesque tam improbos, vt necesse mihi videatur esse, vt, si fieri possit, ipsi adeo nondum in lucem editi discrimina sibi ab illis imminentia exhorrescant. Nam per hoc hominum genus discrimina capitalia cum insontibus perinde atque cum conscleratissimis communicantur. Coniectus vtique sum in certamen spissum et inexplicabile. Olim insimulabar oleam humo eruisse. Cuius

rei

rei explorandae cauſa cum accuſatores ad redemptores vectigalium adiſſent ex oleis publicis redeuntium, cernentes, hac quidem via ſibi aditum ad me praecluſum eſſe, omnique me culpa vacare, nunc me calumniantur Secum excidiſſe [h. e. vietum et effoetum oleae truncum, Mineruae qnondam conſecratae,] ſperantes hoc modo futurum, vt impeditiſſimam in cauſam me implicent, licentiamque de me quicquid velint comminiſcendi adipiſcantur. Sic factum eſt, vt neceſſe nunc habeam aduerſus criminationes falſas ab inſidiatore capitis mei temere confictas pugnare, easque dum contendam coram vobis, Senatores, diluere, qui mihi hac in cauſa ius dicturi ſitis, de patria fortunisque meis omnibus periclitari. Verumtamen ego nihilominus conabor vos omnem rem a principio inde docere. Erat nempe fundus hic quondam Piſandri. Cuius bona cum eſſent publicata, Apollodorus Megarenſis eum, a populo dono nactus, aliquandiu ipſe per ſe excoluit; poſtmodum autem paulo ante tyrannidem XXX virorum Anticli vendidit. Anticles colendum neſcio cui elocauit. Reſtituta pace eum ego ab Anticle emi. Iam me decet planum vobis facere, Senatores, quo tempore dominus fundi factus ego ſum, eo neque oleam, neque Secum ibi vllum fuiſſe. Anterioris enim temporis ob delicta, ſi quae interceſſerint, arbitror haud aequum eſſe me mulctari; etiamſi oleae olim ibi fuiſſent, nunc deſideratae. Nam ſi per me ſublatae illae non ſunt, haud conuenit inſontem me pro fonte plecti. Bellum nempe, vt alia nobis mala quam plurima conſciuit, ita in cauſa quoque fuit, vt cum procul ab vrbe diſſita a Lacedaemoniis euaſtarentur, tum propiora ab amicis differrentur. Aequum ergo qui erit, clades reipublicae tum illatas me nunc luere. praeſertim cum fundus hic, aerario addictus, toto triennio, et vltra, tenente bello, venalis pependerit. Quare mirandum

randum non est, tum fuisse, qui oleas sacras exstirparent, quum ipsi nos nostra priuata tueri non possemus. Quotquot vestrum, Senatores, operam imprimis rei rusticae dant, nostis multa loca tum temporis priuatisque publicisque oliuetis obsita fuisse, quae nunc sunt exstirpata, agrique eorum ipsorum denudati, qui iidem eorum domini in belloque et in pace essent. Vos autem huius rei poenas ab illis nullas repetitis, quoniam non ipsi, sed alii, exstirparunt. Atqui, si vos culpae eximitis eos, si qui per immemorabile tempus possederunt, multo magis conuenit impunes eos esse, si qui fundos a vestrum quopiam post restitutam demum pacem emerint. Verumenimuero, vetustioribus quidem illis de rebus multa dicere cum habeam, arbitror tamen iam dicta sufficere. Ex quo autem ego fundum a me emtum in manum potestatemque meam a priore domino traditum accepi, vix interiectis quinque diebus post elocatum Callistrato permisi, Pythodoro archonte. Callistratus hic biennio coluit eum fundum, in quo conspicuam neque priuatam vllam oleam, neque publicam, neque Secum a me sibi tradita suscepisset. Tertio anno colendum conduxit Demetrius hic, quem coram vobis exhibeo, et per annum coluit. Quarto elocaui Alciae, Antisthenis liberto, qui Alcias, triennium est, ex quo vita decessit. Etiam hic Alcias iisdem conditionibus conduxerat, atque superiores. Adestote testes. *Testes.* Exacto tempore, ad quod Alcias culturam fundi mei sibi depactus mercede condicta fuerat, ipse ego eum nunc colo. Accusator autem ait, archonte Lysiade Secum a me exstirpatum esse. Atqui, quos testes coram vobis exhibui, hi negant eo in fundo Secum esse, quem a me mercede conductum multis annis ipsi coluissent, Ecqui autem quis liquidius, quam sic, doceat, accusatorem aperte mentiri? Fieri enim nequit, vt quae

antea in fundo nulla fuerint, ea posterior dominus illinc eliminet. Quotquot olim, Senatores, sollertem me diligentemque dicerent, et circumspectum cautumque, temere nihil agentem, iis succensebam, vt eas in me laudes conferentibus, quas cum intelligerem mihi debere inesse, tum nullas penes me reperirem, conscientiam meam excutiens. Iam vero vos quoque peruelim pariter ita de me sentire, vt nulli dubitetis, si tale quid vnquam ausus sim, ea me fuisse prudentia atque circumspectione, vt, antequam facinus exsequerer, dispicerem mecum, ecquod compendium exstirpatio oleae mihi esset allatura, et quodnam rursus damnum creatura; et facinus si maneret occultum, quae ex eo essem malis artibus aucupaturus commoda, et contra deprehensus, quas vobis essem poenas daturus. Nam talia patrantes omnes, non petulantia, neque superbia incitati, sed lucro illecti patrant. Et vt vos par est, Senatores, ab hac parte rem intueri atque perpendere, ita accusatores quoque decet criminationibus suis ex eo fidem adstruere, vt doceant, quodnam emolumentum ex incusatis facinoribus ad reos peruenire potuerit. Huic autem accusatori meo non admodum facile factu videtur fore, vt doceat, siue a paupertate me adactum eiusmodi facinori animum manumque adiecisse, siue Secum fundo nocuisse, siue vineis incommodasse, siue ita prope domui assitum fuisse, vt luminibus officeret, siue me periculorum ignarum fuisse eorum, quae tale quid ausum a vobis essent mansura. Ipsemet enim ego contra multas mihi videor proferre posse magnasque noxas, quas eiusmodi facinore committendo ipse mihi sim contracturus. Ego videlicet tam stultus sim, primum quidem, vt de die Secum exstirpem; quasi facinus id sit eiusmodi, quod non oporteat omnes celare, sed potius ad Athenienſium omnium prodere conscientiam. Tum, si turpe solummodo fuisset facinus, facile forsitan

eueniſſet, vt vnus et alter praetereuntium id neglectu transmitteret. Iam vero non turpitudinis, ſed grauiſſimorum damnorum periculo me expoſuiſſem. Ecqui ergo non fuiſſem mortalium omnium infeliciſſimus atque miſerrimus, ſi quid eiusmodi commiſiſſem, per quod ſeruos meos impoſterum tota mea vita, non ſeruos mihi, ſed dominos eſſem habiturus, vtpote tanti facinoris mihi conſcios, vt, quamuis atrocia in me delinquerent, ego tamen poenas repetere nullo modo poſſem. Probe enim ego id quidem profecto tenuiſſem, penes ipſos futurum eſſe, vt meque vlciſcerentur, ſeque, indicando ſcelere meo, in libertatem vindicarent. At fac tamen, ſi vis, reuerentiae mancipiorum in mentem mihi non veniſſe. ecqui tamen tot conductorum conſcientiam non reformidare poteram? quorum nullus eſt, quem ſcelus meum fugere potuiſſet. Egone Secum, minimi lucelli ergo, tollere ſim auſus, tum nulla propoſita temporis praeſcriptione, ſed neceſſitate cauſae dicendae quamuis diuturno tempore poſt aequaliter impendente; denique, cum omnium, qui fundum hunc vnquam a me conductum araſſent, pariter intereſſet, Secum ſaluum eſſe, vt ſi quis eſſet, qui ipſorum aliquem temeratae in hoc genere religionis incuſaret, is incuſatus eum edere poſſet, ad eumque cauſam referre, cui Secum vna cum fundo tradidiſſet. Iam vero conſtat ex eorum teſtimonio, vt me hi omnes abſoluunt, ita ipſos ſuomet teſtimonio, ſi quidem id mendax ſit, communioni culpae ſemet innectere. At fac tamen, apud hos gratia, precibus, pollicitationibus, blandinentis, minis, quibuscunque tandem malis artibus, tantum me valuiſſe, vt eos in ſcelerisque mei diſcriminisque ſocietatem pertraherem. Ecqui tamen tandem via publica praetereuntes vicinosque omnes mihi conciliare ſilentioque deuincire poteram, qui vicini non eorum ſolummodo, quae palam fiunt, vicinis ſunt conſcii, ſed clandeſtina quo-

que noſtra coepta, quae ſedulo cauemus, vt nemini innoteſcant, curioſi rimantur et indagant? Horum ergo vicinorum, vt alii mei ſtudioſi erant, ita rurſus alii ſimultates mecum gerebant, et ſuper iure poſſeſſionum mearum mecum contendebant. Hos itaque debebat accuſator earum criminationum, quibus me petit, teſtes producere, non autem tam aperta mendacia tam impudenter atque proterue proiicere, cuiusmodi haec ſunt. Adſtitiſſe nempe me ſeruis ait ſtipites contruncantibus, actorique boum tigna plauſtro impoſita auehenti. Atqui tum, Nicomache, tum debueras, praetereuntes anteſtari, factumque diuulgare. Sic agendo et defenſionem mihi nullam feciſſes reliquam, et ipſe tute, ſiue priuatas mecum exſequereris ſimultates, vltus me eſſes, ſiue remp. promereri ſtuderes, ita me reum conuictum dediſſes, vt calumniae infamiam effugiſſes. aut ſi me numis emungere velles, mercedem ſilentii tuliſſes longe ampliſſimam. Nam ſi res denudata fuiſſet, atque in ora hominum dicta, nullam mihi duxiſſem aliam ſupereſſe ſalutis viam praeter hanc, vt auro te placarem, atque os tibi obturarem. Horum omnium cum tu nihil quicquam feceris, poſtulas tamen, vt iudices vanitati tuarum criminationum tantum deferant, vt me condemnent tibique tradant diſcerpendum. Quereris, in rep. tantum me potentia, diuitiis, largitionibus praepollere, vt nemo tibi, neque velit, neque audeat, teſtimonii operam nauare. Atqui, ſi me conſpicatus ſacram oleam exſtirpantem, aut ipſos nouem Archontas, aut alios quoscunque ſenatui Areopagitico adſcriptos, in rem praeſentem duxiſſes, nullis tibi teſtibus aliis opus fuiſſet. Sic enim hi, te vera loqui, tibi fuiſſent conſcii, qui ipſi cauſam diiudicaturi eſſent. Miſerrimo vtique atque iniquiſſimo fum loco concluſus. Teſtes quidem ſi praeſtaret, poſtularet nempe fidem illis ha-

beri,

beri. Nunc autem hoc ipsum adeo quoque, quod testibus caret, contendit obesse mihi debere. Id quod ego equidem haud miror. Artem enim qui iugiter factitat calumniatoriam, is nunquam ab eiusmodi quidem cauillationibus desertus erit, etiamsi sit a testibus. Ego vero vos ab isto aequum censeo dissentire. Nostis enim multas esse oleasque, et tabernas [vel vstrinas] oleo excoquendo comparatas, in reliquis, quae in Pedio mihi sunt, villis. quas oleas interuertere, et exstirpare et solum earum aratro frangere, si iuuisset, hoc licuisset securius, quo id factum poterat in ista olearum multitudine facilius occultari. Ego vero tanti illas facio, quanti reliquam meam substantiam, existimans, de ambabus [h. e. et illis de villis atque oliuetis, quae mihi sunt in Pedio, et de his, quae sunt prope vrbem] siue conseruandis, siue amittendis, aequale certamen esse propositum. Produxi ad vos paulo ante alios innocentiae meae testes. Nunc vosmet ipsos praestabo mihi testes; qui non solum quotannis semel rei saltuariae cognitores nobis delegare soleatis, e collegio vestro deputatos, verum etiam mense quoque euoluto in reditus saltuum inquiratis, eorumque rationes a redemtoribus vectigalium publicorum exigatis. quorum omnium nunquam quisquam fuit, qui me eo nomine, quod solum oliueto consecratum ararem, multasset. Atqui is ego vtique non sum, qui, minuta cum damna tam sedulo caucam, tum discrimina libertatis cum seruitute mutandae pensi siaud faciam. Densa illa oliueta, in quibus maiori etiam cum impunitate, si libuisset delinquere, licuisset, tam studiose colo, et orno, noxamque ab iis omnem arceo, atque palam et in confesso est me facere: super illa vero vna olea publica, quam si exstirpassem, facere nullo modo potuissem, vt facinus occultum maneret, super illa ego commisi scilicet, vt necesse haberem iudicii discrimen subire!

Porro; si libuisset vnquam facere, non nunc feciſſem, sed dudum ante. Rogo enim vos, senatores, vtrum mihi expediebat magis, in rep. libera peccare, an in oppressa a triginta tyrannis? Quod ego dictum ita nolim accipi, ac si illis dominantibus multum potuissem, nunc iaceam, inuidia atque contemtu perculsus; sed eo quo significem, peccandi tum fuisse, quam nunc est, maiorem licentiam, si quis esset, quem iuuaret peccare. Iam, id quod inter omnes constat, illa dira et calamitosa tempestate neque tale quicquam designaui, neque vllum aliud malum reip. dedi. Ecqui ergo, nisi omnium mortalium ipse mihimet fui inimicissimus, inducere animum ad oleam exstirpandam potui, vobis tam acres agentibus custodias, eo e fundo, in quo prostare negat accusator vllam aliam arborem, praeter quam truncum effoetum oleae sacrae; quem via publica in orbem ambiat, et domicilia vicinorum vtrinque opposita praecingant, et, septo quod careat, vndique conspicuum. Quae cum ita sint, ecquis vnus omnium ausus sit negotio tum arduo manum admouere? Per mihi quidem accidit indignum et haud ferendum, a vobis quidem, publice qui sitis olearum publicarum constitui custodes atque vindices perpetui, me nunquam neque multatum esse, quasi solum consecratum arasſem, neque de oleis exstirpatis in periculum causae capitalis coniectum: hunc autem Nicomachum, qui neque in propinquo aret, neque a rep. ad hanc prouinciam curandam delegatus sit, neque id aetatis agat, vt harum rerum quicquam scire possit, tamen nomen meum detulisse, et in tabulis publicis consignari curasse, quasi oleam sacram de medio sustulissem. Oro itaque vos, senatores, atque obtestor, vt maiorem huiusmodi commentis adhibere fidem, quam factorum testimonio, nolitis, neque aures vestras inimicorum meorum mendaciis praebeatis obtundendas iis de

iis de rebus, quas fecius esse, atque illi aiunt, ipsi vos mihi conscii estis. Facietis autem hoc, quod vos rogo, cum et ex hac oratione mea, et e reliqua mea vita ciuili mores meos spectabitis. Imperata enim mihi atque demandata omnia libentius atque promtius exsecutus sum, et exsequor, quam si a rep. coactus essem. Siue enim praefectum nauis in classe vestra ago, siue contributiones dependo, siue choris in ludis tripudiantibus praesum, siue aliud quodcunque munus edo, tanta partes meas gero cum liberalitate atque magnificentia, vt ciuium nemo vnus sit omnium, qui sumtuum prodigalitate me superet. Quamquam si non, vt feci, splendide lauteque, sed parce solummodo tenuiterque haec fecissem, non haberem quod de exsilio aut de fortunis periclitarer, et in re versarer ampliore, honestis modis parta, vitamque agerem discriminum exsortem. Ea autem patrando, quorum iste me insimulat, non modo nihil lucratus essem, sed etiam caput ipse meum in periculum dedissem. Atqui vos omnes sine dubio fatcamini, mecum consentientes, aequius esse, magnis de rebus vt grauioribus concedatur argumentis, quam leuioribus, eaque vt habeantur probabiliora, quae testimonium vniuersae consentientis ciuitatis confirmat, quam ea, quae vna huius accusatoris improbitas iactat. Sed supersunt adhuc alia momenta, senatores, quae a vobis ponderari velim. Adscitis enim testibus ad eum cum adissem, declaraui, omnes adhuc mihi superesse seruos, quos tum in potestate habuissem, cum praedium hoc a priore domino recens emtum suscepissem; paratumque me esse tormentis, si quem eorum vellet, tradere; quod sperarem sic futurum, vt vis veritatis e scrutinio meorum coeptorum emicans istius commenta obrueret atque deleret. Iste autem recusauis, praetexens, fidendum nihil esse mancipiis. Foret vtique, mea quidem senten-

tia, res abhorrens, eosdem seruos, suis in causis tormentorum esse tam impatientes, vt ipsi sese indicent, tametsi probe sciant, extrema quaeque sibi tum toleranda esse; rursus autem, in causis dominorum, quibus natura sunt infestissimi, eosdem tormentorum esse tam patientes, vt extrema quaeque perpeti malint, quam eos prodere, quibus prodendis liberationem a malis praesentibus consequi possint. Constat, ni fallor, senatores, si Nicomacho mancipia mea deposcenti denegassem, futurum fuisse, vt vobis videretur sceleris mei mihi conscius esse. Rursus itaque de isto, qui, dedente me, seruos accipere recusarit, id idem suspicari vos aequum censeo, praesertim in disparitate periculi nostri. De me enim si quid illi torti secius efferrent, ne hiscere quidem mihi liceret. Iste autem, seruis eorum, quae vult, nihil affirmantibus, nulli est mulctae obnoxius. Quocirca multo istum magis decebat oblatos a me seruos accipere, quam me offerre. Ego itaque eo studii, et promtitudinis, e conscientia rectae factorum enatae, processi, quod existimarem mihi expedire, vt vos et e tormentis, et e testibus, et ex argumentis atque indiciis ratiocinando ex ipsa re collectis, rei veram rationem cognosceretis. Vos autem, senatores, decet vobiscum deliberare atque constituere, vtri fide sint digniores, hine, quibus permulti testimonium perhibuerint, an, quem testimonio adiuuare nemo ausus sit; et vtrum verosimilius sit hunc mentiri, quem nulla mendacii poena maneat, an me tanto proposito periculo tantum facinus patrasse; denique vtrum studio bene de patria merendi accensus Nicomachus, an libidine magis calumniandi actus, accusatorem egisse videatur. Ego equidem nullus dubito, vos ita pronunciaturos esse, Nicomachum, ab inimicis meis inductum hoc certamen instituisse, non quo confideret, facturum se, vt sacrilegii reum me perageret,

geret, sed quo mercedulam a me speraret extorsurum. Huiusmodi enim criminationes quo sunt et ad intorquendum facillimae, et ad depellendum difficillimae, hoc eas maxime nemo non defugit. Ego vero, senatores, indignum mea persona duxi telum istud hoc artificio eludere atque auertere; sed, vt iste me incusauit, statim vestrae me potestati arbitrioque vestro commisi, et huius quidem discriminis causa cum inimicorum nullo in gratiam redii, tametsi mihi illi sunt tam infesti, vt libentius me probris insectentur, quam ipsi sese laudent, id quod faciunt quam libentissime; et tam iidem ignaui atque imbelles, vt aperte me adoriri atque iniuria laedere nullus eorum adhucdum sit ausus, huiusmodi autem rabulas mihi immittant, quibus vos, aequum si faciatis, fidem derogabitis. Forem enim hominum omnium miserrimus, si exsilio contra ius et fas multarer, qui sim sine liberis, ex vniuersa gente mea solus adhuc superstes; quo fieret, vt domus mea desolaretur, [h. e. stirps deficeret.] porro, si mater mihi derelinquenda esset atque destituenda rerum omnium inops; si turpissimis criminibus infamatus huiusmodi patria exciderem, tam illustri, tam mihi cara, pro cuius ego salute tot pugnas terraque marique depugnauerim, et cuius in vtraque fortuna, tam in libertate, quam paucorum sub dominatu, pudentem me moderatumque gesserim. Verum enimuero, senatores, haud scio, an locus hic ad vos istaec iactandi minus sit conueniens. Quapropter, in quibus causae cardo vertitur, paucis ea verbis complexus dicendi finem faciam. Planum vobis feci, Secum in praedio nullum fuisse, testes ei rei confirmandae produxi, documenta attuli. quae vos decet memori tenentes mente, causam disceptare, et aequum existimare, hunc a vobis interrogari, quam ob rem, cuius me sceleris conuincere, recente adhuc et flagrante delicto, potuisset, eius

me nunc, tanto tempore post, in certamen coniecerit, laboretque, a testibus destitutus, fidem vestram suae orationis praestigiis furari, cum potuisset scelus meum rebus ipsis euictum dare; item cur, quos ego seruos meos omnes, illos ipsos adeo, quos ipse ait sceleri, cum patraretur, interfuisse, ad tormenta dedendos obtulerim, eos ipse accipere recusauerit.

ORATIO OCTAVA,

quae est expostulatio cum familiaribus de maledictis, et amicitiae renunciatio.

Opportunum mihi videor tempus nunc esse nactus, iis de rebus differendi, de quibus animi mei sensus iam dudum gestio expromere. Absentibus enim iis, quos incuso, adsunt, coram quibus queri iuuat de auctoribus iniuriae. quanquam multo mihi maior est ad praesentes contentio. [h. e. magis mea refert, et in hoc acrius contendo, vt coronae causam meam approbem, quam absentibus.] Nam istos quidem, absentes, pensi non facturos autumo, si familiaribus parum familiares videantur. Nam si vnquam studuissent amicis placere, fidemque iis atque voluntatem suam, vt par erat, approbare, nunquam commisissent, vt me laederent. His autem eam de me iniicere velim existimationem, vt, cum nulla istos iniuria mea prouocassem, ab istis vltro lacessitus iniuriis fuisse videar. Est enimuero acerbum quidem, facere te non posse, quominus his de rebus verba facias; rursus tamen reprimi lingua recusat, neque licet tacere, qui contra, quam sperassem, indignis modis acceptus sim, et iniquos reperiam eos, qui amici visi fuissent. Primum itaque, ne quis vestrum, peccata sua tuendi atque dissimulandi studio, praetextus iis obtendat, prodire eum velim atque nominatim edere, quis vestrum a me vnquam aut probris infamatus, aut malo quopiam affectus

ctus fuerit; aut quis, opem meam cum imploraſſet, a me repulſam tulerit, quamuis penes me eſſet ei gratificari. Ecquid ergo vos tanta me verborumque factorumque atrocitate contenditis inſectari, ad eosque adeo me diffamare, quos ipſimet vos ad me criminari ſtuduiſtis? quamquam [iſta veſtra in me coniecta probra qui mihi retulit] ita modeſtus erat, vt magis in hoc laboraret, vt dignitatis meae ſtudioſus eſſe videretur, quam vt malignos aliorum de me ſermones referret. Quae autem ille ad me, haud committam, vt ego eadem omnia ad vos referam. Nam et grauiter aures meas primum audita ſauciabant; et ridiculus videar, querens de vobis iſtaec dicteria in me ſpargentibus. Eadem enim de me praedicando, quae vos praedicaſtis, culpa vos abſoluerem. Quae autem cum ſpe atque propoſito contumeliam mihi adſpergendi dixiſtis, (quamquam contumeliam quidem mihi minus adſperſiſtis, quam vosmet ipſi ridiculos ea dicendo feciſtis:) ea referre ſatis habebo. Vobis nimirum inuitis, id quod aiebatis, ego memet per vim veſtris cireulis ingeſſi, et ſermonibus immiſcui, et, nihil cum relinqueretis intentatum, nulla tamen machina liberari ab importunitate mea poteratis. Hae nempe veſtrae ſunt querelae. Nouiſſime Eleuſinem me vos eſſe comitatum, inuitos, cum illuc ludos ſpectatum proficiſceremini. Quae dicentes, ſperabatis quidem in dedecus meum ceſſura, verum ipſimet ſummam veſtram denudabatis tarditatem atque importunitatem, qui, quo tempore hominem clandeſtinis probris arrodebatis, eodem eundem palam in amicis numerare . Decebat enim, aut veſtram ab hoc homine maledicentiam remouere, aut eum a veſtra conſuetudine arcere, eique diſertſs verbis congreſſibus veſtris interdicere. Sin autem hoc turpe ducebatis, qui poterat maculam vobis adſpergere conſuetudo hominis, cui familiaritatem renuncia-

nunciare indecorum putabatis? Atque quamuis altissime superioris meae vitae cursum memoria atque cogitatione remetiens, nihil inuenire potui eiusmodi, cuius causa consentaneum fuisset consuetudinem meam a vobis contemni. Neque enim, vos cum cernerem sapientissimos, tum me videbam insipientissimum; neque vos amicorum multitudine florentes, me desolatum et abiectum; neque vos locupletes, me nudum et mendicum; neque rursus vos gratia potentes, dignitate illustres, me inuisum atque inuidia publica oppressum; neque vestras fortunas recto stantes talo, meas labantes et inclinatas. Ecqua igitur ego probabili ratione inductus suspicari poteram, vos congressibus meis grauari? Est hoc quoque scitum commentum, quod nuncius hac de re necessarios arctissime mecum coniunctos certiores fecit, quos praeuidebatis mihi renuntiaturos esse. Arguta enim vero stropha. Honestius nempe sic, quam si omnes vos ipsi, circumitantes, vosmet accusassetis atque reprehendissetis, quod volentes improborum familiaritate vteremini. De eo quidem, qui retulit, nil egeritis percontantes. Primum enim id facientes, rem vanam et stultam facietis. Interrogabitis enim me id, quod iam nostis. Ecqui enim ignoretis eum, ad quem illam inuidiosam, de qua nunc agitur, orationem habuistis? Tum trifurcifer ego sim, si maiori etiam perfidia ego vobis indicem prodam, atque index vos mihi prodidit. Ille enim, studio et caritate mei, necessariis meis probra vestra retulerat. vos autem odio mei, studioque mihi nocendi, probra illa de me ad eum lactaueratis. Quibus ego si diffisus essem, operam dedissem, vt certo explorarem. Iam vero nil attinebat. certus eram vera illum retulisse. Ita recentiora haec maleuolentiae erga me vestrae indicia vetustioribus illis concinunt, vt ista ex his, et

rursus

rursus haec ex illis mutuo confirmentur argumentis ad fidem faciendam idoneis. Primum quidem, me, qui causa vestra, in negotio equi oppignerandi, ita contendissem, vt ad contentionem mihi reliquum nihil feciſſem, lusiſſis. * Adducebat equum pugnando fessum, quem reducere volenti mihi intercessit hic Diodorus, affirmans, de duodecim minis nil repugnaturum esse Polyclem, sed redditurum. Hac Diodorus oratione tum vsus, post mortem equi, ad postremum aduersarius mihi factus est, et his inimicis meis adiunctus, iactat, aequum haud esse, me aes recuperare. * * * Nam si, nullam ab his ego passus iniuriam, de quo quererer, nihil habebam, recte vtique hi communem aduersus me causam faciebant. Opinabar aliquando, eos, more academicorum, super hac causa vtramque in partem disputabili, deteriorem partem sibi delegisse tuendam, ingenii proferendi, et facundiae exercendae gratia. Verum paulo post agnoscebam errorem meum, cum illi, non verbis, sed factis, mihi aduersarentur, idque eo, quo Polycles a me dicta resciret. Patefacta enim ista omnia sunt coram arbitris. Stomachans enim Polycles dixit, necessariis adeo meis se iniustum videri; nam ipsos ad se id dicere. Num etiam haec, statim dicenda, cum relatis ad me concinunt? Idem enim homo, qui ista, etiam haec ad me retulit, vos prae vobis ferre, quod auertere velitis eos, si qui pro me dicere parent, et iam quibusdam obstitisse. Verum quid haec me oportet adhuc luculentius excutere? Age, spectemus etiam hoc, quod a Clitodico, quem * rogassem, repulsam tulerim. * * Nunc tandem intelligo, vos iam dudum causam quaesisse rescindendae mecum amicitiae tum, cum de Thrasymacho quereremini, quasi is mea causa vos probris insectaretur. Ego tum Thrasymachum ipsum percontabar, meane causa Diodo-

rum

rum contumelioſis verbis inſectaretur. Ille vero iſtud *mea cauſa* tam faſtidioſo riſu explodebat, vt negaret eſſe hominem natum, cuius cauſa, nedum mei, Diodorum eſſet vnquam criminatus. Horum ſubire ſcrutinium Thraſymachus erat paratus, a me ad Diodorum adductus, hic autem omnium maxime pudore confundebatur. Poſt Autocrates, me coram, Thraſymacho confirmauit, Euryptolemum de eo queri, atque affirmare, ſe [Euryptolemum] ab ipſo [Thraſymacho] male audiſſe. Auctorem ſibi eſſe Menophilum. Statim nos ad Menophilum acceſſimus, ego, et Thraſymachus. Verum Menophilus negabat aut querentem de Thraſymacho Euryptolemum audiſſe, aut ſe ad Autocratem retuliſſe; neque ſolum haec, ſed a longo iam tempore ſermonum ſibi nihil cum illo interceſſiſſe. Conſtat iam, vos ſimultatem veſtram erga me e mea cum Thraſymacho conſuetudine conceptam huiusmodi praetextibus velatum iſſe. Nunc autem, poſtquam conſumti et exhauſti vobis ſunt omnes praetextus, liberius me inſectamini, aperto capite, nil iam furtim agentes. Oportebat ergo me tunc ſtatim ſenſiſſe, ſortem hanc ineuitabilem me quoque manere, vt iſtis modis a vobis tractarer, cum alios veſtri ſodalitii verbis contumelioſis traduceretis. Etiam de Polycle, cui nunc praeſto eſtis omnes, vos docui. Ecquid igitur iſtaec ego non caui? Humani nempe quid patiebar. Qua eram animi ſimplicitate atque tarditate ingenii, ſperabam delectus vobis amicus eſſe, quem in oculis ſinuque ferretis abſconditum et tutum a telis maledicentiae veſtrae; propterea quod ſaepe vos audiſſem de aliis male coram me loquentes. Quae ego veſtra maledicta de veſtrum vnoquoque mutuo iactata pro arrha veſtrae erga me fidei habebam. Vltro igitur ego veſtram vobis remitto amicitiam, eique renuntio, non intelligens, ita me dii ament, quodnam bonum decus-

ve mi-

ve mihi per abſtinentiam a veſtris congreſſibus deceſſurum ſit. Neque enim vllum ad me bonum a mea vobiscum conſuetudine profectum eſt. Egone, ſi quo fiat vt implicer cauſae forenſis diſcrimine, tum vnum veſtrum habebo, qui pro me verba faciat in iudicio aduocatus, aut teſtimonio me ſuo ſubleuet? Non a patrocinio cauſae meae ſuſcipiendo tantum abeſtis, vt potius pro me dicere paratos prohibeatis? Loco auxilii atque teſtimonii veſtri mihi rebus in aequis atque honeſtis praeſtandi, adeſtis aduerſariis meis aduocati, eosque teſtimonio adiuuatis. Vosne de me honorifice, id quod beneuolos homines meique ſtudioſos decet, praedicetis? Me ſolummodo maledictis nunc exagitatis, breui poſt autem ipſi vosmet maledictis mutuis dilaniabitis. neque enim ego intercedam. Quoniam ſoletis ſemper vnum aliquem familiarium, quemcunque tandem, maledictis proſcindere, iniuriisque vexare, (accipite fortes veſtras a me vate nunc edendas) vbi ego index factus animorum veſtrorum vlcera clandeſtina denudauero; nemo enim veſtrum eſt, qui non alteri cuicunque veſtri ſodalitii male velit, eique detraxerit; fiet hoc, vt in vosmet ipſi tandem conuertamini. Sic diſſipabitur veſtrum collegium, ſingulis quibuſque in alteros infeſta rabie ſaeuientibus. Qui poſtremus ſupererit, in ſemet linguam laxabit maledicam, ipſe ſua diſcerpet viſcera. Ego vero, qui primus omnium a vobis receſſerim, hoc receſſus initio faciendo compendifaciam, vt moleſtias a vobis accipiam et minimas, et numero pauciſſimas. Quotquot enim vobis familiariter vtuntur, eos omnes et verbis et factis male mulcatis. Quibus autem nullus eſt veſtri vſus, eorum nulli vnquam quicquam incommodauiſtis.

ORA-

ORATIO NONA,

defensio veterani emeriti, qui videtur Polyaenus fuisse.

Quanam tandem mente, et quid spectantes, aduersarii causam quidem ipsam transmiserunt indictam, mores autem meos conati sunt in inuidiam adducere? Ignorabantne de causa dicendum esse? An, bene quidem hoc norant, verumtamen, opinantes tantam vobis inesse obliuiositatem atque tarditatem, vt strophas suas minus essetis animaduersuri, de re quacunque alia copiosius, quam de causa proposita, differunt? De eo quidem mihi certo constat, eos non mei contemtu, sed causae, verba facere. Sin autem pro ea, qua sunt, stultitia sperant futurum, vt vos calumniis suis deceptos ad me condemnandum impellant, istud equidem non admodum mirer. Sperabam quidem, iudices, de crimine, non de moribus certandum mihi fore. Aduersarios autem cernens moribus meis obtrectantes, odiumque iis afflantes, non possum facere, quin ad omnes eorum criminationes respondeam. Primo itaque loco vos docebo, qui factum sit, vt nomen meum inter aerarios referretur. Anno abhinc retro tertio in vrbem reuersus vix duos menses domi exegeram, cum numero militantium allegerer. Quod vt sensi factum, protinus coepi suspicari nulla honesta probabilique de causa me ad obeundam illam castrensem expeditionem delectum esse, sed fraudem, nescio quam, cuiusue, ea in re versari. Ad Strategum itaque adii, cui significaui, me stipendia iam esse emeritum. Verum ab illo ius aequum impetrare non poteram. Iratus ob hanc acceptam iniuriam, compescebam me quidem, verumtamen anceps animi, consiliique inops, cum ciuium nescio quo deliberabam, quid hoc in negotio sequerer, et qua id ansa tractarem. Ibi certior fiebam, illos [Cteſiclem, Strategum, eiusque

assesso-

assessores] carcerem adeo mihi minari, iactantes haud minus esse tempus, quo Polyaenus in vrbe ageret quam quo Callicrates. Probrosa illa dicta, in imperatorem a me coniecta, quorum causa mulcta pecuniaria mihi scripta est, exciderunt mihi per sermonem cum familiaribus apud mensam argentariam Phileae, nequaquam autem in curia. Et Cteſicles tamen, qui tum cum imperio erat, eiusque assessores, certiores ab indice nescio quo facti conuitiorum a me in ipsos sparsorum, nulli dubitarunt mulctam pecuniariam irrogare, per nefas illi quidem. Lex enim expressis verbis cauet, *si quis in curia.* Mulctam tamen hanc a se mihi dictam exigere ausi non sunt, attamen, abeuntes magistratu, nomen meum in albo exaratum quaestoribus tradiderunt. Haec illi quidem callidis machinationibus perfecerunt. Quaestores autem, quibus animi erant ab istorum animis longissime dissidentes, reuocabant eos, qui sibi tabulam, in qua pro aerario scriptus eram, tradidissent, causamque noxae percontabantur; tum cognita tota re, recordantes quam indigna passus essem, primum quidem illis persuadere laborabant, vt me absoluere vellent, docentes, parum ciuile esse, ciuium quemquam ob priuatas cuiusquam cum eo simultates in aerarios referri. videntes autem sibi negatum, vt illos a sententiae suae duritie deducerent, sustinuerunt capita sua periculo censurae vestrae, iudices, obiicere, mulctamque mihi a Cteſicle sociisque eius irrogatam irritam et nullam esse sciuerunt. Estis ergo vos quidem iam certi, me a quaestoribus absolutum esse. Quoniam tamen mearum duco partium esse, vt per reliquas quoque, quae supersunt, veri docendi vias ab huius criminis macula me purgem, plures adhuc legesque titulosque iuris allegabo. Cape tu mihi hanc legem. *Lex. testes.* Audistis legem disertis verbis edicentem, si quis magistratibus in curia conuitietur, eum pecu-

nia mulctandum esse. Ego vero testes ad vos produxi, affirmantes, in curiam me ne pedem quidem intulisse. Mulcta itaque mihi per nefas irrogata, neque debeo, neque iure cogi possum ad luendum. Nam si constat, in curiam me ingressum non esse, et lex si edicit, eos mulctam debere, si qui intra curiam aliquid deliquissent, constat item, me facinus nullum commisisse, sed solummodo propter simultatem inimicorum, iniuste et inhumaniter mulctae addictum esse. Quid? quod ipsi adeo aduersarii prodiderunt se bene nosse, iniuriam mihi a se factam esse. Neque enim gesti a se magistratus rationem reddiderunt, neque in iudicio vestro acta sua suffragio publico curarunt confirmari. Sin autem hi mulctam mihi conuenienter irrogassent, illamque suam sententiam, qua me mulctae damnarunt, iudicio vestro ratam declarari curassent, iure merito nunc a reprehensione forent liberi, tametsi quaestores me absoluissent. Nam tametsi penes quaestores est, mulctas a damnatis siue malint repetere, siue iis remittere, tamen, si a iudicibus rata et legitima fuisset habita atque declarata ea mulcta, quam Ctesicles mihi irrogauit, merito nunc ego mulctae adhuc forem obnoxius. Sin autem quaestoribus quidem magistratu adhuc fungentibus licet mulctam remittere, defunctis vero magistratu reddenda est necessario ratio ab ipsis in eo gestorum, facto facile Ctesicli eiusque sociis erit, vt, si quid quaestores in se mei causa deliquerint, eius poenas ab iis repetant. Nostis iam, iudices, qui factum sit, vt a Ctesicle eiusque assessoribus mulctae consignarer, quaestoribusque pro aerario traderer. Verum oportet vos, non huius solummodo criminationis praetextum tenere, sed simultatis quoque natales cognoscere, quae mihi cum aduersariis intercessit. Conciliatus Sostrato dudum ante fueram, quam simultates cum istis susciperem

perem. Viri huius magnam esse in republica dignitatem quod nossem, ambii amicitiam eius, et sic per ipsius potentiam clarus factus, non ideo tamen hac abusus sum fortuna, sed temperanter cauteque vsus, neque inimicorum vllum vltus sum, neque amicorum quemquam beneficio promerui, cum necessitate, tum iudicio delectuque meo. Donec enim Sostratus in viui supererat, septus eram necessitate me intra terminos modestiae continendi, praepollente ipsius potentia. Accedebat aetatis, quam tum agebam, infirmitas. Sic factum est, vt tum quiescerem. Illo autem rebus humanis exemto, sponte mea, neque dicto, neque facto accusatorum quemquam laesi. Possim adeo, si velim, nonnulla edere mea merita, propter quae aduersarii mei, si saperent, et aequum seruarent, multo maiori me iure adiuuarent, quam premerent. Iras itaque eorum ante dicta mihi contraxerunt, tametsi causa simultatis nulla subesset ipsis a me priuatim data. Quamquam iureiurando recepissent neminem a se in codicillos militares inferendum, nisi si qui militia nondum functi essent, huius tamen a se dicti iurisiurandi religionem violarunt, et praeterea populo deliberationem de me proposuerunt, vtrum me imposterum liberum hominem, vt adhuc fui, esse velit, an pro mancipio sub corona vaenire. Probrorum nomine, magistratui a me ingestorum, mulctam mihi scripserunt, ius et fas despectui habentes. neruorum omni contentione laborarunt me laedere, quocunque praetextu. eiusque rei consequendae ergo nihil non tentarunt, quo cum mihi maiorem in modum nocerent, tum emolumenta sibi parerent amplissima. Tanto me prosequuntur odio, vt aliis in rebus omnibus, vbi locus mihi nocendi suamque rem faciendi nullus sit, iuri aequo omnia posthabeant. Scilicet. Parum dico, cum eos dico, auctoritatem vestrae multitudinis parui du-

xisse. Deos ipsos reuereri personis suis indignum duxerunt, Tanta me superbia, faltidio et violentia legum omnium vincula perrumpente tractarunt, vt de reddenda rerum a se gestarum ratione ne in mentem quidem ipsis vnquam venerit. Postremum vt commemorem, nondum sibi poenas sat magnas a me datas existimantes, ipsa ex vrbe denique, quae summa malorum meorum est, exterminare me laborarunt. Libidinis tam ferocis et violentiae vltra leges omnes se efferentis occultare foeditatem, tanti non faciunt. Nullius me criminis reum, tamen ad hoc iudicium eadem de causa iterum adducunt, et ab argumentis destituti, quibus culpam meam euincant, conuitiis et calumniis me nituntur obruere, quas in me coniiciunt, vt a studiis meis alienas, ita cum moribus eorum cognatas et consentaneas. Quamquam igitur hi quidem omni contendunt efficere machina, vt iudicio cadam, vos tamen, iudices, aequum est non pati, horum calumnias tantum penes animos vestros valere, vt aut me damnetis, aut horum rescindatis sententiam, qui secundum me legitime atque ciuiliter pronuntiarunt. Quaestores enim secundum leges et ex aequo atque consentaneo egerunt. nullo modo praeuaricati deprehenduntur, neque admissae fraudis argui possunt; constat potius inter omnes, eos ius et fas rebus aliis omnibus antehabuisse. Iam ab hisce quidem, inimicis meis, haud mirer si quod accepero malum, animoque id hoc sim laturus aequiore, quod a lege naturae necessaria sic sciam institutum esse, vt inimici inimicis incommodent, et rursus amici eos, quos diligant, ornent augeantque. A vobis autem, iudices, si meo me iure fraudari contingat, multo id ego sim animo laturus iniquiore. Futurum enim esset tum, vt cladem hanc accepisse viderer, non ab inimicorum odio, sed a ciuitatis improbitate. Nomine quidem tenus, causam

dico

dico nominis mei inter aerarios relati, reapse autem capitis. Ius enim vbi meum a vobis impetrauero, id quod me impetraturum esse aequitate vestrae voluntatis confido, manebo in vrbe. Secus autem si fiat, vt scilicet ab illis reus peractus, (peragar autem, si fiat, per nefas) a vobis damner, veneundum mihi sit sub corona, ego vero tam ignominiosae poenae acerbitatem fuga anteuertam. Ecqua enim me spes inuitet, vt porro communione vestrae ciuitatis vti pergam? aut qua ego mente inter vos degam? qui aduersariorum furorem cum teneam, tum praesidio iuris aequi obtinendi caream. Agite ergo, iudices, ius et fas rebus aliis omnibus anteferentes, recordantesque, saepe a vobis etiam in manifestis facinoribus veniae lenitatem seueritati poenarum praeferri, nolite committere, vt homines insontes inimicorum crudelitati condonetis, sinatisue, ob aliena odia, summum per flagitium, inexsuperabilibus mergi calamitatibus.

ORATIO DECIMA,

Quae est accusatio Theomnesti, abiecti in acie scuti rei.

Testes mihi confido, iudices, haud defuturos, qui multos vestrum coram videam assidentes, etiam in illo superiori versatos iudicio, quo Lysitheus Theomnestum hunc εἰσαγγελίας actione persequens, accusabat, quod abiectorum armorum reus cum esset, eoque factus infamis, et iure in foro versandi et cum populo agendi priuatus, tamen concionari auderet, contra quam ipsi liceret. In illo nempe certamine aiebat Theomnestus patrem meum a me meismet manibus peremtum esse. Ego vero, vt ignouissem ipsi, patrem suum a me peremtum si dixisset, quem ego nunquam non hominem contemnendum et nauci duxi, item si quod aliud probrorum, quae iactari leges vetant, quem-

admodum tanti non fuissem facturus, vt contumeliam istam iure forensi vlciscerer; nam ex titulo καπηγορίας seu contumeliae verborum in te coniectae, iure cum aliquo experiri, indignum homine liberaliter educato, dignum rixoso litiumque ferendarum auido censeo: ita rursus turpe mihi futurum arbitror esse, si eum patiar inultum abire, qui tantum scelus in patrem me dixerit patrasse, virum tantae dignitatis, tam praeclare et de vobis et de vniuersa patria meritum. Quapropter ego vos, iudices, interrogo, sitne Theomnestus maledicentiae poenas mihi daturus, an solus omnium Atheniensium priuilegio gaudeat, pro libidine sua contra leges nihil non dicendi agendique? Ago nunc, viri, aetatis annum tertium a trigesimo, ex quo autem vos ab exsilio domum redistis, annus nunc agitur vigesimus. Vnde constat puerum tredecennem me tum fuisse, quum xxx tyranni patrem meum interficerent. Id ego aetatis agens ne noram quidem, remp. ab optimatibus oppressam teneri; neque, etiamsi sensissem vim et iniuriam patri fieri, succurrere et vlcisci potuissem. Neque scelerata quaedam cupiditas patrimonii rapiendi ad insidiandum vitae patris impellere me poterat. Pantaleon enim, frater natu maior, cum vniuersa hereditate tutelam nostri inuasit, eoque pacto bonis paternis omnibus nos defraudauit. Tantum igitur abest, vt vlla ego causa motus patri violentas manus afferrem, vt potius permultae essent causae, ob quas expediret mihi vitam patris diutius produci. Verum vt necesse erat haec breuiter perstringi, ita diutius iis immorari nil attinet. Nostis enim, ni fallor, vos omnes me vera loqui. Interim tamen age nihilominus testes producam. *Testes.* Videtur itaque Theomnestus his quidem quod opponat, nil habiturus, at illud idem etiam coram vobis, iudices, causaturus, quod iam ante in arbitri foro ausus est oggannire, in numero puta rerum

rum ἀποῤῥήτων, ſeu nominatim a lege interdictarum, haud eſſe, ſi quis aliquem *caedis* ὅτι ἀπέκτεινεν in patre commiſſi inſimulet. Legem enim haud vetare, ne quis alium quempiam *parricidam* appellet, ſed hoc ſolummodo, ne quis ἀνδροφόνον *homicidam*. Ego vero vos autumo, iudices, non de vocabulis laborare, ſed de vocabulorum ſpatiis atque ſententiis, omnesque pro certo ſcire, ſi qui ſint *homicidae*, ἀνδροφόνοι, eosdem quoque ἀπεκτονέναι *occidiſſe*. Spiſſum vtique fuiſſet atque inexplicabile negotium legislatori, ſi propoſuiſſet ſibi, aut neceſſe duxiſſet, vocabula omnia rem eandem ſignificantia in legem confercire. Satis enimuero ille habuit, vno poſito, reliqua omnia aequipollentia vna tacite complecti atque ſubiicere. Non profecto tu mihi, Theomneſte, tam ſtultus eſſe videris, vt, ſi quis te πατραλοίαν *patricidam*, aut μητραλοίαν *matricidam* appellarit, eum quidem in ius voces, idem autem ſi patrem tuum a te caeſum aiat eſſe, matremue, eum tu inultum transmittas, quaſi nihil infandorum locutum, Libenter equidem ex te audire velim. Es enim huius rei, de qua te percontabor, magnam adeptus facultatem, et multa meditatione; et diuturnitate exercitationis, vt et ſubtiliter de ea diſputare ſcias, vſuque eius aliis praeſtes. In lege ſcriptum eſt, ſi quis alium ſcutum ἀποβεβληκέναι dixerit, qui id dixerit, eum actione maledicti teneri. Iam dixerit te quispiam ſcutum ῥίψαι. Num tu actionem in hunc non parabis? ſed ſufficiet tibi, illum dixiſſe, te ſcutum ῥίψαι, non autem ἀποβεβληκέναι, eoque dices, te nil curare? idem enim non eſſe ῥίψαι, atque ἀποβεβληκέναι. En aliud. Fingam tantisper collegio vndecimuirorum te, Theomneſte, adſcriptum eſſe, furemque ad hoc collegium adduci ab aliquo, querente θοιμάτιον ἀποδεδύσθαι, pallio ſe eſſe ab illo homine exutum, aut τὸν χιτωνίσκον ἐκδεδύσθαι, interulam ſibi ab eo eſſe detractam.

tractam. Eumne tu hominem ista querentem reiicias? furemne tu simillima stropha cauillationis seueritati legum surreptum eas, atque tu te nunc is, quod ab accusatore in libello accusatorio appellatus vocabulo λωποδύτης non fuerit, quo vocabulo legislator sit vsus? Profecto negaturus mihi tu videris, eum ἀνδραποδιστὴν *plagiarium* esse, quem alius quispiam aiat in seruo suo plagium commisisse, tametsi actor furem in flagrante delicto deprehenderit; quoniam scilicet actor oblitus sit vocabulum ἀνδραποδιστὴς vsurpare, quo legislator sit vsus, sed satis habuerit iudices certiores facere, hominem hunc a se deprehensum esse in conatu mancipii furtim exportandi. Facies hoc tu quidem, Theomneste, sine controuersia, si quidem in vocabulis triceris, super iisque digladieris, ad res autem animum minus attendas, quas vt designarent verbis orequeque proderent homines, ideo vocabula commenti sunt, atque rebus quaeque suis imposuerunt. Sy ectate hoc quoque, iudices. Nam ad vos orationem merito conuerto, qui conscii mihi sitis exempli iam a me proferendi, quod ignorare videtur Theomnestus. Ea enim eius est mollities et ignauia, vt commoditatis amore, et odio laboris molesti victus, nunquam ausus sit in cliuum Martis escendere. Vestrum autem nemo est qui id ignoret, quod iste ignorat, iudicia homicidiorum cum aguntur, in formula iurisiurandi ante litis contestationem vtrinque, et ab accusatore, et a reo praestandi, vocabulum ἀνδροφόνος, quod legislator vsurpauit, non vsurpari, sed verbum illud ipsum, quod in hac nostra causa in controuersiam venit ἀποκτεῖναι hinc affirmari, illinc negari. Actor nempe reum ait *occidisse*, reus se fecisse infitiatur. Annon absurdum sit, eum, qui iudicibus visus fuerit hominem interemisse, cum facinus ipse adeo confiteatur, tamen ideo solummodo caedis absolutum e iudicio discedere, quod

quod actor in iuramento confirmarit, non, eum ἀνδρόφονον esse, quae legis est dictio, sed ὅτι ἔκτεινε, eum *occidisse*. Atqui haud compono inconsentanea. Theomnesti mecum agendi ratio hilum non differt ab eiusmodi cauillandi ineptia. Ipse tute, Theomneste, ex capite κακηγορίας, seu maledicti, Theonem in ius vocasti, quod is te dixisset scutum ἐῤῥιφέναι. Atqui lex vocabulo ῥίπτειν vsa non est, sed vocabulo ἀποβάλλειν. Si quis, ait, aliquem dixerit scutum ἀποβεβληκέναι, [in eoque mentitus sit,] quingentis drachmis mulctator. Hem aequitatis et constantiae! Itane vero, mi homo, tu tam egregie sapis? vt, cum poenae tibi sunt ab inimicis tuis repetendae, a quibus male audieris, tum tu, verbis legis insuper habitis, sententiam legis sequaris, ex eaque sententia in reos agas, id quod ego nunc in te facio; rursus autem alii, quem tute probris a lege interdictis proscideris, poenas reposcenti dare recuses, verba legis vrgendo, spreta sententia? Adeone tibi subtile est ingenium, adeo potens facundia, vt leges quamcunque velis in partem interpretando flectas? an tanta tua est in rep. maiestas, vt abs te laesis copiam aequi iuris in perpetuum denegatam et praeclusam speres? Adeone te nil pudet esse tam dementem, vt plus te posse tuis ciuibus ideo cupias, non, quo in ciuitatem ornamenta nescio quae contuleris, quae tu nulla contulisti, sed quod multa multis mala inultus inflixisti? Verum recita tu mihi legem. *Lex.* Intelligitis, ni fallor, iudices ad vnum omnes, me quidem consentanea disputare, et in legis interpretatione recte versari; hunc autem Theomnestum tam esse tardum, vt neque legis sententiam perspiciat, neque meae disputationis euidentiam capiat. Iuuat itaque aliis quoque ex legibus eum docere, si forte fiat, vt, si non citius, saltim nunc tandem aliquando super suggestu, communi sensu imbuatur, vo-

bisque impoſterum deſinat incommodare. Recita tu mihi priſcas haſce Solonis leges. *Lex.* Per quinque dies pedem in ποδοκάκκῃ vinctum habeto; niſi ſi Heliaea, praeter hoc ſupplicium corpore tolerandum, adhuc aliam mulctam pecuniariam iudicarit irrogandam. Audin, Theomneſte, tibi dico, vt ne neſcias, quod lex appellat ἐν ποδοκάκκῃ vinciri, id idem nos nunc vulgo vſurpamus, ἐν ξύλῳ vinciri. Quod ſi ergo forte fiat, vt aliquis, ἐν ξύλῳ nexus, cum rurſus e cuſtodia in libertatem exierit, vndecimuiros, a quibus cuſtodiae mandatus fuiſſet, ad iudices, coram quibus vndecimuiris magiſtratu defunctis rationes actorum reddendae ſunt, accuſet de facta ſibi iniuria, qui ξύλῳ ſe innexuiſſent, quod per legem minus liceat, quae lex velit reos in ποδοκάκκῃ vinciri, de ξύλῳ taceat: non illi ſtuporem hominis ridebunt? non veruecem dicent? Cedo aliam. *Ex alia lege.* ἐπεγγυᾶν δὲ ἐπιορκήσαντα τὸν Ἀπόλλω. item δεδιότα δὲ δίκης ἕνεκα δρᾶσκάζειν. Horum vocabulorum iſtud ἐπιορκήσαντα hac in lege non id ſignificat, quod nobis nunc vulgari loquendi more ſignificat, hominem puta, qui *peierarit*, ſed ſimpliciter eum, qui *deierarit*, ſeu iusiurandum dixerit, per numen Apollinis conceptum. Illa enim priſca lingua, qua Solonis aequales vtebantur, ἐπιορκεῖν nihilo plus valebat, quam nunc ὀμνύναι *iurare* ſimplex. Pari modo iſti δρασκάζειν de eodem vſurpabant, de quo nos hodie ἀποδιδράσκειν vſurpamus. Si quis, ait porro legislator, furem, qui intra domum ſit, ἀπείλλῃ τῇ θύρᾳ. ſignificare volebat, praecluſa ianua intercipiat, vel, exitu arceat. Vocabulum ἀπείλλειν, quod hodie pauci ſunt qui intelligant, tum temporis idem valebat, atque hodie valet ἀποκλείειν, neque quod ſono inter ſe iſta differunt, ideo re quoque differunt. Aes mutuo datum, ait, hactenus eſto ϛάσιμον, quatenus creditor vult. ϛάσιμον non ſignificat hic loci librabile,

brabile, sed hoc praecipit legislator, vt creditori liceat a debitore foenus exigere quantum ipse voluerit. Recita legis hanc clausulam. ὅσαι πεφασμένως πωλοῦνται, et οἰκῆος βλάβην τῇ δούλης διπλῆν ὄφλειν. Attendite, iudices, animum. πεφασμένως tantundem valet, atque hodie *φανερῶς propalam*, et πωλοῦνται idem atque *βαδίζουσιν ambulant*, et οἰκῆος idem atque *θεράποντες*, *serui*. [quo fit, vt legis haec sit sententia. qui serui corpus vitiauerit, is duplo mulctetur, atque si ancillae.] Infinita, iudices, huiusmodi prostant in legibus. verum, etsi pauca numero sunt exempla, quae illinc modo protuli, spero tamen vel ex his solis, Theomnestum, nisi plane plumbeus est, nunc tandem aliquando intellexisse, res adhucdum easdem esse, quae fuerunt olim, vocabula autem, quibus ad illas res significandas vtimur, alia in aliorum locum succedere, neque iisdem nos nunc vti, quibus olim priscos illos homines. Faciet ipse mox meae spei, suaeque docilitati fidem, cum tacitus ex his subselliis domum discedet, nil contra hiscens, vi veritatis ad silentium redactus. Sin autem id minus faciat, tum secundum me, iudices, oro vos, aequam et veram date sententiam, recogitantes, malum esse multo atrocius, te domum e foro redire cum probro patricidii, quam cum probro scuti abiecti. Ego equidem videri malim scuta, quotquot vsquam terrarum sunt, omnia abiecisse, quam animo erga patrem tam truculento et belluino praeditus esse. Hic quidem Theomnestus cum vere commisisset illud flagitium, [cuius eum Lysitheus insimulabat, abiecti puta scuti,] minorque eum cum poena maneret conuictum, quam me nunc manet, si a vobis condemner; non solum a vobis commiseratione motis absolutus est, sed etiam perfecit, vt Dionysius, qui Lysitheo testimonium contra se, Theomnestum, praestiterat, ceu falsus testis, a vobis infamia notaretur.

Ego

Ego vero, qui Theomneſtum viderim, cum id faceret, quod vos omnes mecum noſtis, [h. e. cum abiecto ſcuto ex acie auffugeret] ipſe autem ſcutum meum ſaluum retulerim, ſauciatus tam diro probro, quod perinde cum legum edicto, atque cum veritate facti pugnat, in iſta ſortis noſtrae diſparitate, cum mihi quidem funeſta calamitas immineat, ſi hic abſoluatur, hunc autem, ſi maledicti per nefas in me coniecti damnetur, leuis et vix mentione digna poena maneat; egone, inquam, facultate priuer ius ab eo meum repetendi? ecquo ego vos delicto offendi? ecquid eſt, quod vitio mihi vertatis? Num hoc, merito mihi probrum hoc adſperſum fuiſſe? At ne vos ipſi quidem aiatis. An iſtud, Theomneſtum, et ipſum virum honeſtiorem eſſe, et loco natum nobiliore, quam me? At ne ipſe quidem Theomneſtus poſtulet ita de nobis exiſtimari. An hoc praetexetis iudicii veſtri iniquitati, quod abiecti degeneris ius me animi incuſetis, qui, cum ſcutum ipſe abieciſſem, maledicti per nefas obiecti cauſam illi intentem, qui ſcutum ſuum ſaluum ex acie domum retuliſſet? Atqui de me profecto huiusmodi rumor in vrbem non emanauit. Recordamini hoc quoque, iudices, vos in Theomneſtum donum contuliſſe tantum et tam praeclarum, vt, quum illo eum ornaretis, facile non eſſet ciuium omnium vnus, quin Dionyſium miſeraretur, tam graui clade perculſum, videns eum, qui virum fortiſſimum in diſcriminibus ſe exhibuiſſet, e iudicio veſtro damnatum his cum verbis diſcedentem: perquam ſiniſtris auibus illam nos expeditionem iniſſe, qua cum multi noſtrorum ceciderint, tum, qui ſeruaſſent arma, ab his, qui abieciſſent, per falſi dicti teſtimonii calumniam damnarentur. Satius ſibi futurum fuiſſe in acie dimicanti occumbere, quam ſaluo domum reuerſo in ſortem incurrere tam luctuoſam. Nolite itaque committere, iudi-

ces,

ces, vt Theomneſti, quae audit probra, ea probra merita audientis, vlla ducamini commiſeratione, eiue conniueatis, per inſolentiam et ſuperbiam intolerabilem in alios probris infandis graſſanti, et concionanti, id quod homini abiectione ſcuti infamato per leges non licet. Ecquod enim aliud mihi accidat infortunium acerbius, quam ſi tam turpis criminatio inulto mihi perferenda ſit, ſuper eiusmodi patre, qui eximiis virtutibus meamque pietatem proborumque omnium reuerentiam ſibi deuinxiſſet. Saepius ille Strategi munere functus, multis obitis vna vobiscum pro patria periculis, ab hoſtibus nunquam captus, a ciuibus nunquam male redditae rationis damnatus, annum aetatis agens a ſexageſimo ſeptimum, propter beneuolentiam, qua erga veſtram plebem ferebatur, et propter ſtudium, quo exarſerat, ciuilia veſtra iura tuendi, a crudeliſſimis tyrannis peremtus eſt. Iamne tandem videor vobis, iudices, merita in eum iracundia exarſiſſe, qui me per nefas criminatus ſit in eiuſmodi patris iugulum impiam ſicam demiſiſſe? Iamne videor vobis, iure merito conſurrexiſſe ad abluendam a patris memoria tam foedam maculam, qua ipſius quoque nomen vna cum meo reſperſum fuit? Ecquid enim aliud illi poterat acerbius aceidere, quam hoc, vt, cum reapſe ab inimicis eſſet peremtus, a liberorum ſuorum ferro concidiſſe diceretur? Cuius patris monumenta virtutis adhucdum iuxta veſtra, ciues, dedicata conſpiciuntur. Scuta autem, et ab hoc ipſo Theomneſto, et ab eius patre abiecta, ignauiam eorum imbellemque animum adhucdum teſtatum faciunt, in fanis hoſtium ſuſpenſa. Tam cognata ipſis et ſtirpitus inſita labes eſt timiditas, et bellicarum artium abhorrentia. Atqui, quo proceriora atque vaſtiora ipſis ſunt corpora, quo robuſtiores lacerti, quo os iuuenta florentius, hoc ſeueriore digni ſunt veſtra, iudi-

ces,

ces, animaduersione. Constat enim, in isto carnium vigore atque luxurie, animos ipsis esse intermortuos. Sed habebit, id quod audio, receptum ad hanc excusationem, vt aiat, ista probra se per iracundiam in me iactasse, qui testimonium cum Dionytho idem in se dixissem. Ego vero vos contra meminisse velim, iudices, iracundiae nullam esse datam a legislatore veniam, sed mulctam conuitiatori irrogari, veritatem criminationum documentis factorum non approbanti. Atque iam bis ego hoc Theomnesti dedecus testimonio meo approbaui, ignarus quippe tum temporis, de quo postmodum mihi constitit, eos vos esse, qui fortes viros in acie manentes puniatis, armorum autem abiectorum reos factos indulgentia et dissimulatione transmittatis. Verum enimuero satis hac quidem de causa est actum, dictisque quod addam nil habeo. Vos potius rogo, iudices, vt Theomnestum condemnetis, reputantes vobiscum, non posse capiti meo discrimen vllum aliud, quam hoc est, grauius conscisci. Nam qui actor videor esse, reapse reus sum. Theomnestum probri reum cum ago, per nefas in me coniecti, tum de salute fortunisque meis omnibus periclitor, in vnius vestri suffragii discrimine parricidii crimen aut sustinens, aut effugiens. Quibus enim testulis Theomnestum absoluetis, si feceritis, iisdem parricidii me damnabitis; me, qui ciuium omnium vnus, vt primum virilem ingressus aetatem, in examine probatus vobis, rebus gerendis meisque priuatis et ciuilibus a vobis habilis iudicatus fui, ob caedem patris mei triginta viris in curia Areopagitica diem dixerim. Quorum vos memores mihique patrique legibusque publice fixis, et iurisiurandi ab ipsis vobis dicti religioni succurrite.

ORA-

ORATIO DVODECIMA,

qua Lysias ipse Eratosthenem, e collegio triginta tyrannorum, de nece fratris, Polemarchi, postulauit.

Non exordium huius accusationis, sed finem inuenire, arduum mihi videtur esse, iudices. Tot ab illis [triginta uiris] et tanta perpetrata sunt facinora, vt, ne si mentiatur quidem accusator, grauiora et turpiora incusare possit, quam reapse illa sunt istorum scelera; et qui vera solummodo commemorare sibi proposuerit, omnia enarrando persequi haud valeat, sed necessario aut magnitudo atque multitudo rerum dicendarum dicentem obruet, aut dies deficiet. Conuersus mihi nunc videtur ordo rerum, contraque euenturum, atque olim solebat. Olim edebant a iudicibus interrogati actores, quae simultas sibi cum reis intercessisset, et qua re impulsi lites quasque agitandas suscepissent. Nunc haud alienum sit reos percontari, quanam tanta laesi sint a republica offensione, vt eius vlciscendae libidine perciti tam furiosis modis in eam debacchentur. Quae nunc ego non eo disputo, quo negem priuatas mihi cum istis simultates esse, quae mihi sunt grauissimae, vt cum auctoribus irreparabilium cladium domesticarum; sed quo significem, in ista innumerabili multitudine malorum ab istis publiceque priuatimque datorum, nostrum quemque tamen ad lamentandum irascendumque de priuatis magis suis incommodis, quam de publicis, natura duce delabi. Ego itaque, iudices, qui neque priuatas meas causas, neque alienas vnquam in foro sim exsecutus, eo necessitatis adactum me ab huius Eratosthenis facinoribus video, vt facere prorsus nequeam, quominus eum accusem. quamquam hanc parans et instruens accusationem persaepe in incredibilem incidi animi deiectionem, coepique vereri, ne per insacundiam meam forique insuetudinem

tudinem accusatio haec minus prospere succedat minusque satis ei faciat, quod mihique fratrisque Manibus debeo, neue multum infra rei dignitatem subsidat. Conabor tamen, rem a principio repetendo, vos quam potero breuissimis docere. Cephalus, pater meus, vt sedes fortunarum suarum hoc in solum Atticum transferret, oratione Periclis adductus est. Triginta per annos, quot inquilinum hic egit, neque ipse, neque nos ciuium vestrorum quemquam in ius vocauimus, neque causam in foro, accusati a quoquam, diximus, sed ita fuimus ciuilis iuris in republica participes, vt neque alios offenderemus, neque ab aliorum iniuriis exagitaremur. Ex quo autem triginta viri, homines improbi et conscelerati, iuris aequi peruersores, summa rerum potiti sunt, laudabile iactantes remp. corrigendi et restaurandi studium, atque prae se ferentes, oportere ciuitatem a flagitiosis purgari, quo reliquorum ciuium animi ad virtutis et iustitiae studia conuerterentur, eiusmodique sermonibus dictu audituque speciosis exspectationem publicam fallentes; neque enim a se impetrare poterant, vt factis quoque orationis suae probabilitatem approbarent; ex eo tempore in peius ire coepit nostra res et priuata et publica, summaque imis mutata sunt; vt conabor ego vos per exempla vestra ducendo, eaque vobis in memoriam renocando, docere, postcaquam de priuatis meis casibus praefatus fuero. Surgentes in consessu XXX virorum Theognis et Piso de inquilinis auctores fiebant, esse in illis, qui praesente nouo rerum statu grauarentur. lectissimam hanc esse opportunitatem, per speciem poenarum a noxiis repetendarum, locupletes expilandi magnasque opes colligendi. Vniuerse hoc vnum ante omnia spectari agique oportere, vt ciuitas ad incitas redigeretur, atque desolata, vasta, inhabitabilis et prorsus nulla redderetur. Imperium tenentibus opus esse

esse numis, quoquo modo corradendis. Haec illi iactantes haud aegre persuadebant audientibus iis, qui caedes hominum pro nihilo ducentes, rapinas et opum extorsiones summi facerent. Placuit ergo decem ex inquilinis, locupletissimos omnium, comprehendi, at in his tamen par pauperiorum, quo inuidiam cupiditatis a se auertere, bonique publici rationes excusare possent; quali, vt reliquorum suorum coeptorum atque institutorum nihil non, ita hoc quoque consultissime et ad salutem publicam accommodatissime fecissent. Sortiti sic inter se domos expilandas, in eam quisque domum irrumpebat, quae ipsi sorte obtigisset. Ad meam delati, deprehendebant me peregrinos hospitali conuiuio excipientem. Quibus eiectis Pisoni me tradebant, reliqui in officinam ingressi, mancipiis operam dabant lustrandis et in tabulas referendis, vt fit in bonis publicatis. Interim ego Pisonem interrogare, velletne mihi salutem numis praesentibus vendere. Aiebat Piso velle, si quidem pretium redemtionis satis sit luculentum. Offerebam talentum argenteum. Annuebat Piso conditioni. Iam noram equidem Pisonem omne ius diuinumque humanumque tanti non facere. nihilominus tamen in illa rerum facie, quibus tum septus eram, imprimis facto iudicabam esse necessarium, vt Pisonem iurisiurandi religione obstringerem. Iurabat, exitium sibique liberisque imprecans, si fefelliſſet, facturum se, post aes pactum in manus suas datum, vt ego tutum in locum perductus, saluus essem. Quo facto in oecum, vbi arca numaria posita erat, ingressus, aperiebam arcam. Ibi Piso sentiens, et vbi numos atque reliquam pretiosam supellectilem haberem, et arca aperta facillime praedam simul omnem corripi et aufferri posse, intrabat ipse quoque, lustratisque copiis praesentibus inescatus, par famulorum arcessit, quos arcam cum intus positis

absportare iubet. Auffercbat ille sic, non talentum argenteum, quod pactus fueram, sed tria talenta, iudices, cum quadringentis Cyzicenis aureis, et centum Daricis, et phialas argenteas quatuor. Vnde vt saltim parum quid detractum pro viatico mihi reliquum faceret, Pisonem rogabam. Ille vero me admonebat, sapienter me facturum, si nudus discedens saluti meae prospicerem. eiusmodi enim instare tempora, quibus congratulaturus mihi essem, quod spiritum saluum, reliquis bonis omnibus amissis, abstulissem, eiusque rei, ceu magni beneficii, gratias ipsi essem habiturus. Sic exibamus domo. verum exeuntibus nobis, ipso in ostio, Melobius et Mnesitheus occurrebant, ex officina nostra redeuntes, atque, quo tenderemus, interrogabant. Respondebat Piso, se mecum ad fratrem meum [Polemarchum] contendere, quo rem eius quoque familiarem perlustraret. Ibi Pisone illuc ire iusso, me secum retinebant, et se ad Damnippum euntes comitari iubebant. Interim Piso, clam in aures meas insusurrans, auctor mihi fiebat, vt tacerem, et bono animo essem. nam se illuc quoque venturum esse. Delati illuc, Theognin reperiebamus, cui cum me tradidissent, abibant. Hoc in discrimine versanti mihi visum est salutis fuga quaerendae periculum facere, certa quippe et ineuitabili peste me manentem manente Damnippo itaque arcessito, familiaris tibi sum, Damnippe, inquam. tuam in domum veni, non sponte mea. nil deliqui, sed opes meae mihi pestem afferunt. Praesta tu mihi tantis malis septo promtus et lubens, quicquid in te opis atque facultatis est, quo saluus euadam. Recipiebat quidem Damnippus facturum; consultius tamen idem sibi videri admonebat, cum Theognide quoque rem communicari, quem existimaret, lucri spe offensa, nihil non indulturum. Interim, Damnippo sic cum Theognide sermones conferen-

ferente, venit in mentem fuga me ſubducere. peritus eram domus, noramque binis vtrinque foribus inſtructam, antica et poſtica, animumque ſic induxeram; alterutrum neceſſario eſſe euenturum, vt conatus hic euadendi aut proſpere ſuccederet, aut minus. Quod ſi ergo, a nemine obſeruatus, neque impeditus, elaberer, me potitum fore ſperata atque optata ſalute. Sin autem, deprehenſus, e fuga retraherer, ne ſic quidem ſpem ſalutis omnem occidiſſe, ſi Damnippus Theognidi precibus et lucri ſpe oſtenſa perſuadere poſſet, vt elabendi veniam mihi numis venderet. Qui Theognis ſi pretio ſit exorabilis, (et videri eſſe) non minus me eſſe euaſurum, tametſi captum, ac ſi captus et e fuga retractus plane non eſſem. Sin autem durum ſe Theognis praeberet, non acerbiorem mihi neque certiorem neceſſitatem mortis tum inſtare, quam nunc inſtet, ſi, nullo facto euadendi conatu, maneam. Haec ego mecum cogitans elabebar, illis ad oſtium in ſemitam patens ſtationem ſeruantibus. Et accidit, id quod propitiae fortunae meae debeo, vt trium ianuarum, tot enim euaſuro traiiciendae erant, nulla non pateret reſerata. Sic perueni in Archenei naucleri hoſpitium [in Piraeeo.] Hunc protinus in vrbem mittebam, de fratre percontaturum. Qui Archeneus inde reuerſus ad me iſtaec retulit; fratrem ab Eratoſthene fortuito publica in ſemita occurrente correptum, in carcerem eſſe ductum. Quibus auditis ego proxima nocte nauem conſcendi, quae me Megaram per mare traduxit. Interim tyranni Polemarcho quoque ſolitum illud ſibi ſuum iſtaque aetate creberrime frequentatum edictum denuntiabant, vt cicutam biberet, tacita cauſa, praetermiſſa accuſatione. tantum aberat, vt auditus Polemarchus, dicta capitis cauſa, ex formula iuris damnatus, extremum ſupplicium toleraret. Fato ſic ſuo defunctus cum e carcere Polemarchus extractus eſſet,

haud permiſerunt tyranni noſtrarum aedium, quae ternae nobis erant, ex vllis eum efferri, ſed in cella quadam meritoria, ab ipſis conducta, cadauer ſpectandum propoſuerunt. Veſtis, quae multa nobis et pretioſa erat, nihil nobis funeris ergo rogantibus dabant; ſed amicorum alii alia, hic pallium, ille puluinar, alius quodcunque tandem, ad Polemarchi funus conferebant. Videte, iudices, quo cupiditas eorum inexplebilis proceſſerit, turpiſſimis illa quibuſque modis quaeſtum facere haud dedignans. Videte documentum immanis animi ab illis proditum, qui tot tantasque noſtris e fortunis egiſſent rapinas; qui noſtris ex officinis ſeptingenta numero ſcuta extuliſſent; qui auri argentique facti, et aeris, et mundi, et ſupellectilis, et veſtis muliebris tantam vim compilaſſent, quantam ne ſperaſſent quidem vnquam futurum, vt adipiſcerentur; qui mancipia centum et viginti numero noſtris ex officinis abegiſſent, quorum optima quaeque corpora cum ſibi priuatim habenda et ſeruanda delegiſſent, reliquam faecem aerario adſcripſerunt. Verum ne in hac quidem immanitate conſtitit incredibilis eorum et inſatiabilis cupiditas, diraque ſitis ex vnaquaque re turpiſſima diteſcendi. Polemarchi vxor quas tum habuerat inaures aureas, cum ab eo in domum ipſius materfamilias induceretur, eas ex illius auribus ipſe ſua manu Melobius euulſit. Denique nulla pars rei noſtrae familaris, quamuis minuta et contemta, digna ab ipſis eſt habita reuerentia atque commiſeratione; ſed haud ſecius in nos, a diuitiis noſtris ſtimulati, ſaeuierunt, atque alii a vindicta acti, fuiſſent facturi, ſi quos atrociſſimis quibuſque contumeliis atque iniuriis offendiſſemus. quamquam ita de ciuitate veſtra meriti non eramus, vt hanc mercedem ferremus ab illis ſtudii erga rempublicam a nobis multis modis declarati. Choregiis nullis non functi eramus; permultis quoque contri-

contributionibus ſpontaneis egeſtatem publicam ſubleuaueramus. Ipſos nos pudentes atque ſobrios geſſeramus. Imperata omnia exſecuti eramus. Simultates cum nemine culpa noſtra contraxeramus, non paucos contra ciuium Athenienſium captiuos factos numis noſtris ex hoſtium poteſtate redemeramus. Denique, inquilini cum eſſemus, eiuſmodi cum moribus verſati fueramus in republica, vt mores noſtri toto coelo diſtarent ab iſtorum moribus, qui ciues nati eſſent. Hi enim ciuium ſuorum permultos, a ſe ſolo patrio expulſos, coëgerunt hoſtium in ſolo conſidere; multos, a ſe per ſummum nefas interemtos iuſtis funeris fraudarunt. multos, quibus ea fuiſſet vitae famaeque dignitas, vt et iure petendorum honorum gauderent, et gerendis honoribus habiles haberentur, capite minuerunt, et iure in foro ſtandi, et in luce reipublicae verſandi ſpoliarunt. multorum filias nubiles, in ipſa ſpe ampliſſimarum conditionum vxoriarum, eo obſcuritatis atque miſeriae depreſſerunt, vt elocari non poſſent. eo denique proceſſerunt impudentiae et audaciae, vt ad vos prodire, vultus veſtros ferre, et cauſam capitis dicere ſuſtineant, negentque ſe mali quicquam commiſiſſe, cuius ſe pudere oporteat. O quam ego velim haec iactantes eos non mentiri! Nam ad me quoque pars laudis huius, eaque non minima pertineret. Iam vero neque erga rempublicam, neque erga me iactare laudes tam inanes et tam ementitas poſſunt. Longe aliter et de republica et de me priuatim meriti ſunt. Fratrem enim meum, id quod modo memini me praedicare, hic Eratoſthenes neci dedit, neque priuata vlla eius iniuria ipſe laeſus, neque in reipublicae commoda peccantem cernens, ſed ſola actus contentione indomitae ſuae, legesque et iura omnia aſpernanti cupiditati inſeruiendi. Quem Eratoſthenem, cum pace veſtra, iudices, in hunc euocabo ſuggeſtum, vn-

de nunc ad vos verba facio, atque interrogabo. Animum enim sic induxi meum, vt vel cum alio quocunque iis de rebus agere, quae ad istus salutem tuendam faciant, nefas et impium ducam, quae autem ipsi pestem allatura videantur, vt de iis vel cum ipso Eratosthene agere, mihi per religiones deorum licitum censeam. Age ergo, Eratosthene, ascende huc quaeso, et responde mihi ad interrogata. Adduxistine Polemarchum ad vndecimuiros, nec ne? Magistratuum imperio parui, metu poenae, si recusarem morem gerere. Interfuistine, cum deliberationes super nobis in curia haberentur? Interfui. Assensusne iis es, qui nos tollendos censebant, eorumque partes oratione tua firmasti? an contra dixisti? Contradixi. Quo nos occideremur, an quo minus? Quo nempe minus occideremini. Censens iniuriam nobis fieri, an ius aequum? Iniuriam enimuero. Itane vero, homo impurissime? patrocinatum te nobis ais, quo salui essemus, at idem tute tamen Polemarchum nihilominus comprehendisti, quo exitio dares! et quo tempore nostra salus adhuc in arbitrio manuque sodalitii vestri esset, eo tu te ais oblocutum esse sanguinum nostrorum sitientibus; quo autem tempore penes te solum esset Polemarcho aut eripere spiritum aut condonare, tum tu eum in carcerem abduxisti? Vir fortis et honestus ideo vis haberi, quod oblocutus inimicis nostris sis; (si verum ais.) quamquam obloquendo nihil profeciisses. Polemarchum autem a te comprehensum quod occideris, eius rei poenas te mihique et hisce iudicibus debere nullas autumas? Sed age largiamur hoc ipsi, vt verum dicere credamus affirmantem, se oblocutum esse, quamquam mentiri vtique videtur. At hoc profecto vos ei aienti credere haud conuenit, imperata ipsum esse exsecutum. Est enim id quidem imprimis incredibile. Fac, demandatam tibi fuisse caedem nostram. Quis aut quid te cogebat obsequi? Iusiurandum? Atqui in in-

in inquilinis profecto, cuiusmodi nos eramus, tyranni non videntur iurisiurandi religione teue aliumue quempiam obstricturi fuisse. Deinde, id si tenemus, quod consentaneum est, eccui omnium vni minus illi erant hoc negotium delegaturi, quam huic, qui, quod ait, si verum id ait, ipsis fuisset refragatus, sententiamque tulisset in partem ipsis contrariam? Ecquem enim alium probabile erat mandata indiligentius atque cunctantius esse exsecuturum, quam eum, qui rebus, quas isti effectui dari voluissent, dissuasionis suae pertinaciam opposuisset? Praeterea, reliquis quidem Athenientibus idonea, ni fallor, esse debet excusatio, si facta sua ad triginta virorum auctoritatem referant: ipsos autem hosce tyrannos ad ipsosmet sese auctores referre suorum actorum rationes, qui ferendum erit? qui approbari hoc vobis patiemini? Alius enim si quis tum in vrbe fuisset magistratus ampliore, quam trigintauirale collegium, potestate armatus, isque magistratus Eratosthenis mandasset caedes hominum insontium perpetrandas: nescio an veniam ei merito daretis. Iam vero vndenam poenas vnquam repetetis vobis debitas, et ius vestrum adipiscemini, si triginta tyrannis imperia triginta tyrannorum excusare licebit? hoc est praetexere, se in auctoritate ipsos sua fuisse; libidini ipsos suae obtemperasse. Tantamne vos excusationis ineptiam probabitis? At Polemarchum ait a se, non domo extractum, sed in via publica correptum in carcerem abductum esse. Tanto peius, tanto inexcusabilius. Solebatis vos, ciues, tum temporis aegerrime ferre, si qui a tyrannis missi, aut vosmet ipsos, aut rerum vestrarum quicquam requisitum, vestras in aedes irrumperent. Quamquam hi intra veniam peccabant mandata exsequentes, quorum omissionem scirent se suo capite esse luituros. Nam domum alicuius ablegatos illuc non ire, aut infitiari a se domi

repertos eos esse, qui fuissent; capitale discrimen poterat audentibus conscisce re. Quod si ergo his, intra veniam peccantibus, vos nihilominus tamen iure merito succensebatis, quanto maiori iure veniam denegabitis alteris, inexcusabilius eo peccantibus, quod homines publica de via abreptos in carcerem abducerent. Quid impediebat Eratosthenem, quominus, senatui renuntians, Polemarcho se negaret occurrisse? Aut, si tutius iudicaret, ita se renunciare, occurrisse quidem sibi Polemarchum in via, se vero hominem haud noscitasse, cuius os et vultum minus haberet consuetudine cognitum; quis eum potuisset, haec assimulantem, mendacii coarguere? Excusationes huiusmodi neque scrutinium, neque conuictionem admittunt, etiamsi te inimici tui vel maxime conuincere contendant. Debebas, Erathosthene, si homo frugi eras, quem te fers, multo magis iniustae neci destinatos de imminente periculo admonere, quo id deuitare possent, quam sceleratis, ciues insontes per nefas de medio tollentibus, operam nauare. Tu vero ita te in oculis omnium gessisti, vt facta tua planissime doceant, rebus tum gestis te non modo non contristatum; sed etiam delectatum fuisse. Quapropter hosce iudices decet secundum factorum, quorum tibi conscii sunt, veritatem magis, quam secundum praedicationum tuarum praestigias sententiam dare, et e rebus gestis, quas a vobis profectas norunt, sermones tum in collegio vestro agitatos colligere, quandoquidem horum sistere testes negatum est. Nobis enim non modo tyrannorum coetibus intersse non licebat, sed ne domi quidem nostrae esse. quapropter penes ipsos est, cum nulla non peste rem nostram minuissent atque labefactassent, tamen, quodcunque modo voluerint, genus ornamentorum et bene de rep. meritorum de se praedicare. Ego vero haud repugnabo, concedam enim vero, quod

quod ais, te inimicis noſtris oblocutum eſſe. Miror tamen, quodnam tu nobis grandius malum fuiſſes daturus ſuffragando tyrannis, qui, cum refragareris tyrannis, Polemarchum tamen occideris. Agite, iudices, reſpondete ad id, quod vos interrogare iuuat. Quid ageretis, ſi fratres liberiue Eratoſthenis eſſetis? Num abſolueretis? Nullo modo. Haud poſſitis, etiamſi velitis. Oportet enim Eratoſthenem alterutrum horum docere, aut a ſe Polemarchum in carcerem abductum non eſſe, aut iure id factum. Atqui in confeſſo et extra controuerſiam eſt, ab Eratoſthene Polemarchum eſſe in carcerem ductum; et rurſus ipſe ſuo faſſus eſt ore Eratoſthenes, in eo, quod Polemarchum comprehendiſſet, ei factam a ſe eſſe iniuriam. Iam facilis vobis eſt, iudices, huius cauſae diſceptatio. Congreſſi ſunt, adſunt, circumſtant haec ſubſellia frequentes, ciuesque hoſpitesque, veſtram hac de cauſa ſententiam cognoſcere geſtientes. Horum qui ciues veſtri ſunt, hi domum diſcedent, certiores facti, prout aut condemnaueritis Eratoſthenem, aut abſolueritis, ita, ſi quae deliquerint, aut eorum ſe poenas daturos, aut meliore, quam nunc ſunt, conditione futuros, aut ſaltim non deteriore. Nam ſiue potientur cupitis, ſiue ſpe et conatibus audaciae ſuae excident. Illud ſi eueniat, ſciunt, impune ſe capitibus ciuium inſultaturos. ſin hoc, pari tamen ſe vobiscum iure ciuili grauiſuros norunt. Peregrini autem quotquot nunc in vrbe veſtra verſantur, ſcient, iure ne, an iniuria, triginta tyrannos ſuis quique ex oppidis agrisque ſub praeconis voce exterminent. Contendunt illi quidem nunc triginta tyrannos, vbique locorum exagitare, pro hoſtibus vniuerſae Graeciae communibus eos habentes. vbi autem vos viderint tam leues, tam inconſtantes, tam turpiter molles et ignauos, vt tyrannos, quorum iniurias ipſi toleraueritis, in poteſtate cum habeatis, impunes tamen dimittatis; poenitebit ipſos ſui erga vos ſtudii. multum ipſi ſeſe

ineptos et male ſedulos iudicabunt, qui veſtri cauſa fruſtraneis couterantur moleſtiis, odiaque Lacedaemoniorum tyrannis ſtudentium inſectationibus tyrannorum ſibi conſciſcant. Imperatores veſtros, nauali ad Arginuſas praelio victores, extremo ſupplicio affeciſtis, alia nulla de cauſa, quam quod fatercntur per tempeſtatis atrocitatem ſibi negatum, vt naufragos e mari ſublectos ſeruarent humarentue. Exiſtimabatis nimirum oportere vos, capitibus imperatorum veſtrorum, tametſi victorum, Manes tot virorum fortium eo in praelio miſere ab vndis hauſtorum placare. Hos vero, qui, priuati adhuc, quantum in ipſis eſſet, ad cladem contulerunt, claſſi veſtrae apud Aegoſpotamos illatam, poſtmodum autem, ſumma rerum potiti, ſponte ſua, nemine cogente, multos ciuium, indicta cauſa, neci dederunt, id quod ipſi haud diffitentur, dubitabitis, ipſosque, liberosque, extremis tollere ſuppliciis? Hic defungi poteram accuſatione, finemque ei eram impoſiturus, exiſtimans capita accuſationis adhuc a me propoſita ad damnandum reum ſufficere. Sic enim cenſeo, accuſatorem hactenus debere contendere, vt reus iudicibus videatur digna mortis ſupplicio patraſſe. quod extremum eſt ſuppliciorum, quae a criminoſis repeti poſſunt. Quocirca non video quid oporteat multum in huiusmodi hominum accuſatione contendere, quorum tam ſunt enormia ſcelera, vt poenas ſat magnas daturi non videantur, etiamſi ſingula quaeque ſcelera, ſi fieri poſſit, binis mortibus luant. Verumtamen ſupereſſe video nonnullas cauſſationes, quas me decet Eratoſtheni eripere. Aequum enim profecto non eſt, ei quoque concedi, quod in hac ciuitate multi, contra quam decebat, vſurpant, qui, cum vincere rebus, et coniectas in ſe criminationes depellere nequeunt, diſſimulata et praeterita defenſione, praeſtigiis iactantiae vobis illudunt, de laudibus ſuis ad vos multa et inuidenda,

denda praedicantes, quam fortes sint milites, quam multa oppida a vobis alienata rursus ad vestram societatem redegerint. Quamquam ne poterit quidem, etiamsi velit, eiusmodi de se laudes Eratosthenes praedicare. Nam iubete modo eum, iudices, demonstrare vbinam locorum ipse caeterique tyranni tot hostes occiderint, quot hic ciues sustulerunt; vbinam tot naues hostium ceperint, quot ipsi hostibus nostris tradiderunt; aut quamnam vrbem imperio attico adiunxerint, tam amplam, tam late potentem, atque haec est ab ipsis sub iugum missa. At forsitan arma tamen tot detraxerunt hostibus, quot vobis? At moenia tamen tam ingentia et tam firma ceperunt, quam sunt patriae suae, quae moenia ipsi manibus suis demoliti sunt? Quid moenia loquor? Illi vero propugnacula circa Atticam omnia destruxerunt, planumque vobis fecerunt portum vestrum a se dirutum esse, non iussu Lacedaemoniorum, sed voluntate sua, quod existimarent, eo facto potentiam suam hoc fore stabiliorem. Saepe numero cum essem audaciam eorum miratus, qui hosce tyrannos oratione tuerentur, tandem mirari desii, postquam in mentem venit, eorundem esse, et facinorum nullum genus sibi reliquum facere, et alios proiectae audaciae homines sibi similes collaudare. Nam non nuper demum coeperunt ciuitatis vestrae huic formae, quae nunc obtinet ad libertatis dulcedinem et iuris aequalitatem conformata, aduersari, sed iam dudum ante visus est Eratosthenes, aetate quadringentorum, hoc molitus, vt potentiam cum paucis amicorum communicandam sibi pareret. Agitans haec in Hellespontō cum a copiis, quae ibi tum erant, deprehenderetur, in tantum venit capitis periculum, vt necesse haberet, repente relicta naue, cui trierarchatus cum honore praeerat, ex Hellespoto auffugere, vna cum Iatrocle aliisque, quorum nomina quid attinet a me commemora-

morari? Sic illinc huc reuersus, si qui formam reip. popularem poscerent, iis aduersatus est. Quorum ego vobis omnium testes exhibebo. *Testes.* Ab hoc inde tempore vsque ad fatalem illam pugnam naualem apud Aegospotamos ab Eratosthene acta omnia silentio praetermittam. Vt autem nauale illud, quod dico, praelium reip. vulnus impressit insanabile, videte quomodo Eratosthenes se gesserit. Tenente adhuc democratia, a fic dictis sodalibus quinque viri, Ephori seu inspectores appellati, constituebantur. id quod principium tumultus fuit; nomine illi quidem probabili tenus, συναγωγεῖς, seu conciliatores animorum mutuam in gratiam, reapse autem principes globi coniuratorum aduersus plebis vestrae libertatem. In his quinque viris etiam Eratosthenes hic et Critias erant. Hi magistros equitum per stationes disponebant, hi concioni, quae suffragiis suis sciscceret, praescribebant, hi, quos vellent honoribus designari, edebant; breuis vt sim, quae vellent, omnia pro arbitrio suo agebant, iubentes, vetantes. Ita vobis insidiae, non ab hostibus modo, sed ab ipsis his quoque, tametsi ciues vestri essent, parabantur, hoc contendentibus et molientibus, vt neque salutaria decernere possetis, et multarum rerum necessariarum inopia laboraretis. Norant enim, capitibus vestris insultare negatum sibi fore, nisi si vos malis fregissent, et ad incitas redegissent. Eo autem facto sperabant futurum, vt vos, praesentium malorum taedio victi, ab iisque quam citissime liberari gestientes, nullas non ad conditiones descenderetis, futurorum malorum, quae illinc exsistere possent, immemores. Horum Ephororum in numero fuisse Eratosthenem, quo certo vobis constet, iudices, exhibebo testes, non ex iis quidem, qui sociam tyrannis operam tum praestiterunt; neque enim hos exhibere possim; at ex istis tamen, qui ex ipso audiuerunt Eratosthene,

quum

quum Ephororum in collegio se fuisse affirmaret. Quamquam, si saperent hi tyrannidis satellites, non aduocatos se illis praeberent, non commendarent, non excusarent eos, sed premerent potius hos scelerum suorum magistros suo testimonio, grauiterque punirent, neque iurisiurandi a se dicti religionem pro arbitratu suo interpretarentur, pro re nata eam modo laxantes, modo adstringentes. Verum sic sunt animati. quatenus officere et incommodare ciuibus, possunt, hactenus autumant sancte sibi seruandam esse iurisiurandi religionem. vbi autem locus offeratur ciuium rem augendi et secundandi, ibi religionem hanc securi violant. [Laedunt nempe ciuium commoda minuuntque, sponsionem Amnestias vsque ad hostes reip. professos, qui sunt triginta tyranni, extendendo, eosque pacto obliuionis complectendo. E re autem ciuitatis facerent, si tyrannos beneficio legis illius excluderent. Verum tanto exarserunt tyrannorum studio, vt nocere ciuibus, quam tyrannis malint.] Hactenus haec mihi aduersus hos tyrannorum patronos dicta sunto. Tu autem testes mihi cita, et vos testes huc ascendite. *Testes.* Audiuistis iam testes, [confirmantes, ex Eratosthene audisse, cum se in collegio Ephororum fuisse perhiberet.] Videamus iam, quomodo se in collegio triginta virorum gesserit. His itaque dum interfuit, nullius vnquam boni consilii atque salutaris auctor aut consors fuit; contra malorum atque exitialium fuit quam plurimorum. Ciuis bonus si fuisset, primum quidem, defugere atque eiurare debuisset honorem patriae tam funestum, et constitutioni reip. legumque edictis tam repugnantem. tum, si mansisset tamen in isto sceleratorum sodalitio, decebat eum vtique senatum, [qui tum sedebat, minus legitimus magistratus, quam auctoritate casus triginta tyrannorum famulus,] illum itaque senatum admonere, quoties nomina ciuium

insontium pro fontibus ad eum deferrentur, indices illos non vera crimina, sed conficta et ementita indicare, ad pestem viris probis et honestis conscisendam. Batrachum et Aeschylidem aliosque similes delatores non ea indicare, quae ipsi per se pro certis cognossent atque comperissent, sed commenta, quae subornati iussique a triginta viris essent ad senatum renunciare. Sed aiet Eratosthenes, victum se a multitudine et immanitate sceleratorum, tacuisse et sorti vestrae ingemuisse. Ego vero tuam erga plebem beneuolentiam e silentio tuo qui colligam? Eane nota est, qua ciuis patriae bona fide deditus ab eius hoste dignoscatur? Apage. Non silentio, sed fiducia libertatis publicae oratione tuendae geritur resp. Cui si qui tum male vellent, hi ideo nihilo peiore loco erant, quod tacerent, quam si qui oratione senatum ad caedes et proscriptiones ciuium accenderent. Nam cum essent, qui silerent, tum erant contra alii haud pauciores, qui et verbis suaderent, et factis patrarent tam dira et horrenda, vt alia vulnera luctuosiora impoui reip. nulla potuerint. Beneuolentiam autem erga vos tuam qui nunc iactant, qua vos tum prosecuti esse videri volunt, vt vult Eratosthenes, eccur hi eam tum non prodiderunt, alias salutaria consilia subiiciendo, alias ruentes in scelera dehortando? Forte dicet (et nescio hercle, an haec eius excusatio haud paucis satisfactura sit) resragari tyrannis se reformidasse. Ego vero, si nondum satis Eratosthenem inuolucris assimulationum et mendaciorum euolui, quibus animum vobis infestum et conscleratum abscondere laborat, hic tandem eum plane denudabo, vt nemo sit futurus, qui non liquido cernat, consilia et coepta tyrannorum omnia Eratostheni placuisse, tametsi ea inter illos auctoritate polleret, vt, si voluisset ab illis dissentire, nil ei fuisset, cur ab illis sibi male

male metueret. Audistis, iudices, qua contentione Eratosthenes, quo ardore causam Theramenis egerit, hominis sibi amici. Atqui studium hoc excusandi et tuendi, non pro Theramene, homine vobis pestifero, sed pro salute vestra, proferre et exercere debebat. Verum enim vero Eratosthenes reipublicae bellum indixerat. Inimicos vestros amicos sibi fidosque habebat adiutores. Quod ego vtrumque vbi multis magnisque documentis demonstratum dedero, tum hoc quoque docebo, tyrannos, inter se dissidentes, non vestri causa, sed sui, dissedisse, factionesque eorum non hoc certasse, quo vobis bene esset, sed vtri soli in republica dominarentur. Salus enim ciuium per nefas oppressorum si curae cordique vnquam his fuit, et haec si causa Therameni aliisque ei addictis fuit a tyrannis secedendi, eccubi erat viro magistratum gerenti locus nobilior beneuolentiam ergo ciues miseros declarandi, quam, quo tempore Thrasybulus Phylen occupabat? Verum Eratosthenes vt apud Phylen conglobatis opem aut afferret, aut reciperet solummodo afferendam, tantum abest, vt potius, habens secum collegas, factis ad Salaminem et Eleusinem excursionibus, trecentos inde ciues Athenas in carcerem abduceret, vnaque omnes sententia morte damnaret. Verum non tum solummdo, sed postmodum quoque rebus paulatim conquiescere incipientibus, infestum patriae animum et a publica pace alienum prodidit Eratosthenes. Vt enim in Piraeeum redieramus, primaeque concertationes conquieuerant, sermonibus de reditu mutuam in gratiam vtrinque habitis, magna spes affulgebat futurum, vt imposterum eodem inter nos essemus animo, quem luculentis significationibus prodidissemus. Etsi enim exsules in Piraeeo congregati superiores e pugna discesserant, sinebant tamen vrbanos a se deuictos in vrbem remeare. Rursus vr-

bani

bani, vt in vrbem redierant, ſtatim triginta tyrannos expellebant, praeterquam Phidonem atque Eratoſthenem, ſibique praeficiebant homines tyrannis inimiciſſimos, ſperantes futurum, vt, qui Piraeenſium inimicos, triginta viros, acerrimo proſecuti eſſent odio, iidem rurſus exſules in Piraeeo congreſſos caritate ſint amplexuri. Verum ſecus euenit. Phidon enim, qui in numero XXX virorum fuerat, et Hippocles, et Epichares Lamptrenſis, cum reliquis, qui Charicli et Critiae eorumque ſodalitio quam maxime aduerſari videbantur, vt ſemet in ſummam poteſtatem ingeſſerant, multo ſaeuiorem in vrbe tumultum concitarunt, ciueſque in bellum aduerſus Piraeenſes multo acrius, quam ante, inflammarunt, eoque planum fecerunt, a triginta viris ſe non ſtudio Piraeenſium defeciſſe, neque luctu eorum affici, qui per nefas aut iam peremti eſſent, aut idem fatum adhuc obituri, ſed hoc angi, quod eſſent, qui auctoritate ipſis praeſtarent, citiusque, atque ipſi, diteſcerent. Summa rerum enim potiti, partibus ambabus bellum indicebant, et tyrannis, qui exempla crudelitatis extremae in vobis ſtatuerant, et vobis, qui extrema quaeque ab illis toleraueratis, quamquam perſpicuum nemini non eſſet, ſi iure vos exſularetis, neque liceret vobis pedem in patriam referre, factam eſſe tyrannis iniuriam, qui ſub veſtri nominis praetextu ex vrbe fuiſſent expulſi; ſin autem tyranni exſilio, in quod acti eſſent, meritas luerent ſcelerum poenas, iniuriam vobis fieri, qui reditu in natale veſtrum ſolum arceremini. Verum enim verotyrannos merito conſtat exſulare, vos per nefas. Non enim profecto vllum ob aliud crimen tyranni exſilio mulctati ſunt, quam quod ciues inſontes in exſilium egiſſent, eaque patraſſent, quae tunc patrabant illi, qui tyrannos rurſus eiecerant. Grauiter itaque Phidoni vos oportet iraſci, quod, eo delectus, quo Piraeenſes cum vrbanis

banis reconciliaret, in vrbemque reduceret, eadem tamen scelera commisit, atque Eratosthenes; eademque mentis improbitate triginta tyrannos, homines, quamuis pessimos, se tamen vtique meliores laedere conatus est, qua vobis exsulibus vrbem reddere noluit; sed Spartam potius profectus, Spartanos ad suscipiendum contra Piraeenses bellum hortatus est, criminando, Boeotorum in potestate futuras esse Athenas, illis domum redeuntibus, aliaque spargendo inuidiosa, quibus imprimis se sperabat illos commoturum. Verum reiectus a Lacedaemoniis, siue quod exta vetarent, siue quod ipsi ab hac expeditione essent alieniores, centum talenta credito vnde vnde sumserunt [Phidon, et Eratosthenes et si qui alii iisdem in partibus erant] quo haberent, vnde milites mercenarios conducerent. Huic militiae magistrum sibi a Lacedaemoniis quasi mutuo ad tempus dari rogabant Lysandrum, hominem optimatum quidem principatus studiosissimum, populari vero gubernationi infensissimum, sed Piraeensium ante omnes odio ardentem implacabili. Conscripto sic vndique milite, nullo non hominum genere ad pestem ciuitatis excito, secum habentes graecarum ciuitatum nonnullas, et ipsos adeo Lacedaemonios, ad extremum tamen precibus expugnatos, sociorumque, qui tum Lacedaemoniis erant, quoscunque suas in partes pertrahere potuissent; his instructi copiis, non ciues inter se reconciliatum, id quod iussi fuerant, facturosque receperant, sed perditum ibant. Et perdidissent vtique, nisi virtus virorum fortium interceßisset, quibus vos, iudices, testatum facite, poenas ab eorumque et vestris communibus hostibus [Eratosthene similibusque] repetendo, vos gratiam ipsis quoque debitam esse relaturos. Nostis haec vos ipsi quidem satis superque, vt certus sim, nil ad rem attinere, testes horum a me produci. Ve-

rumtamen quoniam et ego aliquantisper respirare cupio, et nonnulli vestrum ita ducuntur sermonibus hisce de rebus, vt quo copiosius audiant de iis differi, hoc magis delectentur, citabo testes. *Testes.* Age nunc de Theramene quoque quam potero breuissimis docebo. Quem locum ingrediens rogo vos, iudices, vt hanc orationis meae partem non mea magis, quam reipublicae causa, aequi et beneuoli audiatis, ab animisque vestris hanc excludatis suspicionem, Eratosthene in discrimen adducto, me in Theramenem inuehentem, ab hac causa aliena agitare. Quod longe secus est. Non aliena a re, sed vel maxime ad rem pertinentia ago. Relatum enim ad me est, Eratosthenem hoc agere, vt in oratione, quam mox hoc e suggestu, causam capitis dicturus, habebit, hoc fidat ante alia omnia defensionis quasi fundamento, vt se dicat in partibus Theramenis reliquorumque fuisse, qui vna cum Theramene secedendo a triginta viris, eorumque ausis aduersando, popularitatis opinionem adepti essent. Iactabit ergo, vt audio, Eratosthenes hanc suam cum Theramene amicitiam, scelera sua ea praetendenda velabit, in eam velut in latebram quandam perfugiet; quam a me occludi et intercipi par est. Id quod faciam docendo, Theramenem vtique non popularem, non studiosum vestrae dignitatis atque libertatis, sed ei non minus infestum fuisse, quam aut Critias, aut alius quicunque triginta virorum fuit. Frigida enimuero illa est Eratosthenis excusatio, insidiosa simulatio. Reip. partem aliquam si cum Themistocle gessisset, iactaret sine dubio suam cum Themistocle communionem curarum in moeniis exstruendis, postularetque ideo in gloriae quoque praemioruinque cum eo communionem admitti. Credibile quidem est, id eum facturum esse, qui, cum Theramene communicata sibi cum iactet consilia, illo cum Theramene, in quem

vnum

vnum maxime conferenda est culpa deuastationis moenium nostrorum, tamen poenarum item communionem a Theramene hoc facinore meritarum detrectat. Non enim profecto mihi par illud virorum [Themistocles et Theramenes] paria praemia factorum tam disparium meruisse videtur. Iste enim, inuitis Lacedaemoniis, vrbem nostram moeniis consepsit; hic vero moenia a Themistocle condita solo aequauit, machinis diruta praestigiarum illarum, quibus plebem circumuenerat. Verum secus euenit reip. atque par erat. Par erat vna cum Theramene socios quoque perisse, nisi si quibus ab eo seiuncta consilia et instituta fuissent. Iam vero video non a reis modo criminum nomen Theramenis ad criminum defensiones vsurpari, verum etiam familiares eius veluti rem sibi debitam poscere, vt in dignitate atque honoribus versentur; quasi Theramenes multis magnisque ornamentis remp. cumulasset, non ingentibus cladibus obruisset, is, qui primum quidem vnus omnium maxime priorem optimatum dominatum condidit eo, quod auctor vobis est factus illius regiminis, quo vsi sumus quadringentis obtinentibus. Pater quidem Theramenis, vtpote qui tum in numero Probulorum esset, haec agitabat. Ipse vero Theramenes, quod videretur libertatis inprimis studiosus esse, Strategus a patre dictus est. Donec igitur in dignitate carusque vobis erat Theramenes, fidem suam reip. approbauit. Postquam autem Pisandrum et Callaeschrum aliosque sibi vidit anteferri, vestramque plebem ipsi patrique parere diutius nolle, ibi, cum inuidentia erga Pisandri factionem, tum metu vestri, causam et studia cum Aristocrate consociauit. Quo autem opinionem fidei de se plebi iniiceret, Antiphontem et Archeptolemum, homines sibi amicissimos, a se accusatos, morte damnauit. Eo processerat improbitatis et perfidiae, vt idem per suam cum illis familiaritatem

vos subiugaret, et per fidem, quam vos ei habebatis, amicos homines neci daret. Neque tamen satis habuit, amicos a se pessumdari, vosmet ipsos adeo pessumdedit. Summis honoribus a vobis auctus, habensque in manibus credita suae fidei grauissimi momenti negotia, quam remp. seruaturum vltro recepisset, eam ipse suis manibus euertit, eo, quod se reperisse iactaret rem ingentem summique faciendam. Spondebat nempe pacem opera sua a Lacedaemoniis impetrandam, facillimo negotio, non datis obsidibus, non dirutis moenibus, non classe tradita. Haec se aiens perfecturum, recusabat indicare interrogantibus modum, quo speraret perficienda. Solummodo coecam sibi fidem haberi postulabat. Habuistis, Athenienses, tot intercedentibus diffidentiae momentis. Senatus Areopagiticus de pace ineunda et restituenda reip. salute cum Lacedaemoniis per legatos agitare coeperat; multi vos a fide Therameni habenda absterrebant atque reuocabant, quibus eum hoc inprimis suspectum reddebat, quod, quam rem inter hostes vestros palam esset elocuturus, eam rem, velut arcanam, vos, ciues suos, celaret, contra quam alii omnes facerent, arcana non ciues, sed hostes, celantes. Vos tamen, his nil moti, Theramenis in manus patriam et liberos et vxores, et vosmet ipsos tradidistis, magnitudine atque splendore promissorum freti, quibus vos occoecauerat. Ille vero tam splendidorum promissorum omnino nihil reapse praestitit, et ne praestare quidem vnquam voluit, qui sic animum suum induxisset, ad contemptum deprimendam, eneruandam et prorsus ad incitas redigendam esse remp. Quo effecit hoc, vt, quorum ad vos mentionem ne hostium quidem quisquam vnquam fecisset, et quae ciuium nullus antea speraſſet euentura, ad ea vos patienter accipienda et toleranda adigeret, non

coactus

coactus a Lacedaemoniis, sed vltro ipsis ea deferens, eosque inuitans ad exigendum atque imperandum vobis, suamque vobis persuadendi operam condicens; scilicet, vt Athenienses Piraeeum suis ipsi manibus demolirentur, praesentemque, quae tum erat, reip. formam abolerent. Bene nempe norat, nisi prorsus omni spe vos excluisset, vos a se poenas cito esse repetituros. Denique concionem citius haberi non siuit, quam praestitutum a se tempus diligentissime seruatum atque elapsum esset, et Lysander Samo arcessitus cum classe aduenisset, copiaeque hostium terrestres congressae vrbem cinctam tenerent. His ita comparatis, coram Lysandro, Philochare et Miltiade, concionem habebant, [Theramenes puta, Eratosthenes, et reliqui triginta,] de forma reip. inducenda, sed concionem libertate carentem, et vi armorum oppressam, vbi neque orator quisquam ipsis vocem, neque magistratus minas auctoritatis suae, opponeret, sed vos facultate priuati salutaria vobis sciscendi, sola sciscceretis ea, quae istis probata fuissent. Ibi Theramenes cum dicendi causa surrexisset, auctor vobis fuit, vt vrbem triginta viris traderetis, eamque reip. formam, quam Dracontides ostendisset, amplecteremini. Huic vos orationi, tametsi tam duris concluси necessitatibus, tamen obstrepebatis, eoque vos descensuros negabatis. Summam scilicet rerum vestrarum in illa concione actum, et vtrum libertatem tuituri, an seruitutem obituri essetis, decretum iri, intelligebatis. Theramenes autem, (recordamini modo, iudices, intereratis enim, et audiebatis, cum diceret; vt necesse sit vos meminisse facti, cuius vos recte testes cito:) Theramenes ergo vestro se fremitu quicquam negabat commoueri. Multos enim Athenienſium eadem secum sentire atque agitare, penes se certum atque exploratum esse. Lysandro atque Lacedaemoniis probata se

loqui. Secundum Theramenem assurgens Lysander inter alia, quae tum multa spargebat, minarum et superbiae plena dicta, iactabat etiam hoc: se iam vos tenere rupti foederis manifeste reos. Non nunc de forma reip. vestrae induenda, sed de spirituum vestrorum securitate agi, nisi promte iussis Theramenis pareatis. Boni ciues, quotquot illi concioni interessent, videntes armorum machinarumque apparatum sibi circumpositum, et admotam vim atque necessitatem ineuitabilem, alii suis in sedibus manentes quieti, conticescebant, alii furtim se subducebant, hoc saltim secum efferentes suae conscientiae testimonium, nihil se reip. pestiferum sciuisse. Pauci quidam, sed illi scelerati, prauisque ducti consiliis, imperata suo suffragio comprobabant. Imperabatur autem, vt summa rerum collegio triginta virorum mandaretur, conflato e decemuiris, aliis. quos Theramenes esset delecturus, aliis, quos Ephori tum rerum potientes, aliis denique e corona excerpendis. Ita perspicue vestram cernebant infirmitatem, suaeque certi erant potentiae, vt in concione euentura praescirent. Auctorem vultis? idoneum dabo, non me, sed illum ipsum Theramenem, ista de se referentem; cui vos credere conuenit. Quae enim ego modo retuli, ea ille ipse coram senatu, illa in oratione, qua capitis causam dixit, perhibuit. Qua in oratione, cum exsulibus exprobrat, quod per se redissent, tum in Lacedaemonios grauiter inuehitur, eosque cum fastidio et supercilio traducit. Collegas principatus, triginta tyrannos, increpat, quod sibi, a quo ista, quae dixi, omnia, modis illis, quos dixi, elaborata et perfecta fuissent, et cui quicquid penes eos esset aculei, id omne vni deberent, hanc operae ipsis nauatae mercedem referrent; qui ipsis tot fidei erga ipsos suae documenta dedisset, ipsorumque de fide erga se tot sacramentis, quae sibi dixissent, certior

tior esset factus. Horum tantorum aliorumque malorumque atque dedecorum, vetustiorumque atque recentiorum, maiorumque atque minorum, architectus cum fuerit Theramenes, nil tamen istos pudebit, amicos eius se ferre, qui mortem non pro vobis, sed pro ipsorum perfidia atque sceleritate oppetiit, et quam poenam tyrannis dedit operae ab ipso in euertendo ipsorum principatu nauatae, eam poenam si dudum ante dedisset plebi libertate sua adhuc gaudenti, meritam vtique dedisset. Bis enim vos sub iugum misit, praesentium taedio, absentium appetitu, pulcherrimo et honestissimo nomine abutens, cuius sub larua, teterrimorum facinorum, veluti magister, exempla praeiuit. Verum satis haec mihi de Theramene dicta sunto. Vos autem Eratosthenem eiusque collegas punitote. Venit enim, venit nunc tandem aliquando tempus, quo vestris a mentibus abesse debet omnis clementiae atque misericordiae sensus. Sumendae vobis sunt ab iis poenae, cauendumque, ne, qui armati soletis hostes vestros in acie vincere, ius dicentes in foro vestris inimicis succumbatis. Beneficiorum, quae iactant a se postmodum, olim aliquando, in vos conferenda, hoc minorem ipsis habetote gratiam, quo decet saeuiorem esse animaduersionem vestram atque vindictam scelerum ab ipsis iam commissorum. Quibus tyrannis absentibus insidiati estis, vt iis potiremini, eos, in potestatem nacti, e manibus ne dimittite. neque peius ipsi vobismet consulite, neque segnius vltum ite vestras iniurias, quam fortuna, quae vobis eos veluti compedibus constrictos tradidit. Accusatorum induite vobis personam, consurgite aduersus Eratosthenem, amicosque eius, quorum nominibus obtendendis ille scelera excusatum ibit ea, quae ipsis auctoribus atque consciis patrauit. Sustinetis reip. personam, quam fingite vobis mente litem cum hoc Eratosthene suscepisse; tametsi conditione multis modis dispari. Ciuium vestrorum si qui olim

ad forum triginta virorum citarentur, eorum erat idem Eratosthenes accusatorque atque iudex. Nos autem nunc Eratosthenem ad vestrum forum trahentes, cum accusamus eum, tum nos purgamus. Eratosthenes olim, cum collegis, homines insontes, indicta inauditaque causa, peremit. vos autem cum auctoribus pestis publicae ea agitis aequitate, vt carnifices plebis tamen ex lege censeatis iudicandos; quos etiamsi contra formulam iuris punire iuuet, at ne sic quidem sat dignas scelerum poenas exigatis eorum, quibus publica minuerunt commoda, iuraque et maiestatem populi violarunt. Ecquod enim vllum illi dignum suis facinoribus dederint supplicium? Cruoris ab illis effusi satisne vos aequam feratis talionem, si ipsos vna cum liberis occidatis, vos, quorum patres, et filios, fratresque hi, negata adeo defensionis copia, peremerunt? At, si, bona eorum immobilia proscripseritis, sic tamen satisfactum erit, ni fallor. Eccuinam? Ciuitatine? cuius aerarium expilarunt, multoties plus furantes, quam bona eorum sub hasta secta referant. An priuatis hominibus? quorum aedes, velut immisso milite, ferro flammisque euastarunt. Quandoquidem igitur, tametsi nihil non agatis, tamen facere non poteritis, vt poenas ab his sat dignas repetatis, ecqui non turpe vobis sit, vos vllum praetermittere poenae genus, quod in hos expediri quisquam velit? Nullum ille mihi genus audaciae sibi reliquum facturus fuisse videtur, qui nunc, causae pro se dicendae ergo, eos ad iudices prodeat, quos antehac multis a se laesos esse malis et iniuriis, ipse sibi sit conscius, et a quorum testimonio praeuideat improbitatem suam confossum iri. Videte, quantopere vos contemnat. Tametsi aliis multum fidit, multo tamen vos contemnit magis, quam patronis suis fidit. Quae ambo vos nunc decet ad animum vobis reuocare, atque cogitare, neque ausuros istos

istos vnquam ea fuisse, quae ausi sunt, si opera atque praesidio aliorum caruissent, neque nunc in conspectum vestrum fuisse venturos, nisi futurum speràssent, vt ab iisdem praesidibus suis periculo eriperentur, quamquam hi praesides atque protectores, non tam his, quam sibi ipsis, opitulatum veniunt, suaeque potentiae propugnaculum praestruunt, e factis anterioribus colligentes, etiam inposterum sibi licitum fore, quaecunque velint, facere, vbi viderint, extremorum malorum concitores a vobis, cum in potestate habeatis, tamen sine poena dimissos. Verum in his ipsis, qui sese aduocatos istis [Eratosthenis ceterisque tyrannis] praebebunt, mirari licet atque dubitare, vtrum, eo modo tyrannos a vobis exoraturi sint, quo viri boni et fortes haud raro facinorosos a seueritate iudicum exorant. Vellem vtique hos aduocatos tyrannorum in seruanda rep. pari contentione decertasse, atque tyranni certarunt, in ea pessumdanda. An defensionem tyrannorum ideo capessent, quod oratores sibi videntur sollertes, subtiles, naturas rerum oratione mutare, album nigro vertere valentes? Hoccine planum facient, tyrannorum facinora summi vobis esse facienda, et aureis coronis remuneranda? Sint, per me licet, quantaecunque volent, facundiae tyranni. Boni profecto ciues et hac ciuitate vestroque assensu digni non sunt. Quid ita? Quaecunque est illa eorum iactata facundia, pro vobis ea quidem vsi nunquam sunt, ne iustis quidem in causis, vbi multo facilius, quam in malis, facundia exercetur. Age, spectemus nunc testes quoque, quos pro se collegisque dicturos Eratosthenes mox producet. Atqui testes hi, cum tyrannis testabuntur, tum ipsi aduersus semet testabuntur. Ecquid autem? hoc nempe, se vestram plebem contemnere. Ita vos putant simplices esse, atque obliuiosos et tardos, et propter multitudinem vestram con-

temnendos, vt facile patiamini per praestigias et mendacia venalium et precariorum testimoniorum periculo eripi tyrannos eos, qui Eratosthenis collegarumque armati ministerio, tam fuissent terribiles, quamuis pauci numero essent, vt capitale esset, amico exsequias ire. Praeterea vos iniquitatem quoque futurae sortis spectare velim, iudices, quae tyrannis hisce iam reis factis admodum dispar est cum ciuibus vestris olim horum sententia morte damnatis. Possint enim hi tyranni, nunc si absoluantur, denuo remp. pessumdare; ciues autem ab ipsis peremti nunquam ab inimicis suis vltionem repetent, nisi per vos. Acerbum vtique et indignum facinus! Ciuium per nefas peremtorum amici adeo ipsi vna cum illis peribant, alia nulla de causa, quam quod illis familiariter vsi, eorumque funus prosecuti essent; horum autem tyrannorum, a quibus resp. pessumdata fuit, funus qui prosequantur, videntur multi esse futuri, quandoquidem ad eorum defensionem obeundam tot numero homines accingantur, tametsi multo est, mea quidem sententia, facilius hos accusare de iniuriis, quas vobis dederunt, quam his est crimina purgare. Sed aiunt reliquorum triginta tyrannorum omnium vnum Eratosthenem pauciſſima vobis mala creasse, ideoque absoluendum et seruandum esse. Scilicet, non recogitant, si collegarum parciſſime vos Eratosthenes laeserit, in reliquis tamen Graecis omnibus esse neminem, qui vos tot numero tantisque cladibus affecerit, atque vnus Eratosthenes vos affecit; neque videtur ipsis haec causa ad pestem Eratostheni conscisendam satis idonea. Vos vero, iudices, declarate, quae vobis hac de re sedeat sententia. Quod si enim in hunc Eratosthenem animaduertetis, illustri ad omnes documento confirmabitis, vos aegerrime tyrannorum facinora ferre, grauiſſimaque iracundia prosequi. Sin autem absoluetis, prodetis eadem

vos

vos cum tyrannis ſtudia conſectari. copiamque ipſi vobis impoſterum eripietis illius excuſationis, quam adhuc vſurpaſtis, aientes a triginta tyrannis imperata feciſſe. Id quod hac quidem in cauſa locum non habet. Nemo enim vos nunc cogit, inuitos, contra veſtri animi ſententiam, Eratoſthenem eiusque collegas abſoluere. Quare auctor ego vobis hortatorque ſim, vt ne committatis, vt, illos abſoluendo, vosmet ipſi condemnetis; neue ſpceretis tabellariam veſtram ſuffragationem clandeſtinam, aut in occulto manſuram eſſe. Prodetis enim vos vniuerſae ciuitati tacitam ſuffragii veſtri vocem in exitu huius iudicii. Superſunt adhuc pauca quaedam, de quibus vbi ambos admonuero, tam vrbanos, quam Piraeenſes, deſcendam. In quo hoc ſequor et ſpecto, vt calamitatum ab Eratoſthene vobis contractarum recordatio ſuffragiorum veſtrorum veluti greſſus gubernet. Primum igitur vos, quotquot me circumſtatis atque auditis dicentem, vrbani, conſiderate, Eratoſthenem hunc collegam eſſe tyrannorum, qui vos olim tam ſaeuis tenuerunt imperiis conſtrictos, vt neceſſe vobis eſſet aduerſus fratres, et liberos ciueſque veſtros bellare, bellum eiuſmodi, quo victi quidem pari eratis loco cum victoribus futuri; ſin autem viciſſetis, his tyrannis ſeruiſſetis. Familiarem ſuam rem horum quiſque in illa procella rerum, quae tum ſuſque deque ferebantur, locupletabat. Vos autem fortunas veſtras per bellum ciuile decreſcere ſenſiſtis. Fructuum, quos ipſi e ſpoliis reipublicae percipiebant, communione vos excludebant; inuidiae autem, qua ipſi conflagrabant, partem haud minimam in vos deriuabant. Proh enormitatem ſuperbiae, proh furorem contemtus, quo illi vos deſpexerunt! Fidem ſibi veſtram, non bonorum ſuorum communicatione, ſed dedecorum, ibant obligatum. Praeclara haec ob merita illos, pro facultate veſtra, nunc, in tuto cum ſitis, veſtrique, et Piraeeu-

raeenſium cauſa, vlciſcimini, recogitantes, vos liberatos a ſeruitute dominorum improbiſſimorum, in quorúm poteſtate nuper admodum eratis, tranſiſſe nunc in communionem iuris aequi cum viris fortiſſimis, quos foris comilitones, domi conſiliorum de rep. capiendorum ſocios et adminiſtros habebitis. Accedat, velim, ad hanc veſtrae ſuperioris conditionis cum hac praeſente comparationem, recordatio vexationum et acerbitatum, quas a praeſidio militum mercenariorum toleraſtis, quos milites hi tyranni in arce collocauerant, cuſtodes qui eſſent ſuae que dominationis veſtraeque ſeruitutis. Haec hactenus ad vrbanos, pauca de multis, quae dicenda habebam. Vos autem quotquot adſtatis e Piraeeo, recordamini quaeſo tot et tanta mala, damna, luctus, cruciatus, dedecora, ſupplicia, quae ab his tyrannis perpeſſi eſtis. Primum, quae arma ex hoſtili ſolo, multisque e praeliis domum ſalua et victricia retuleratis, ea vobis arma hi tyranni ipſa in pace detraxerunt. Deinde, quibus veſtrum ita felicibus eſſe licuit, vt ſalui ea e patria effugerent, quam a maioribus traditam accepiſſent incolendam, illorum capita venalia certa propoſita mercede a praecone proclamabantur, et circum per vrbes Graeciae miſſitabantur, qui eos ad ſupplicium repoſcerent, et, ſi qui vos tradere recuſarent, iis minarentur. Quas inſignes contumelias vt tum, exſilium tolerantes, tuliſtis impatientiſſime, ita nunc pari vindictae ardore vlciſcimini. Sed et reliquorum mementote malorum, quae ab his perpeſſi eſtis. Alios veſtrum e foro, alios e fanis deorum, in carcerem obtorto collo abſtractos, necarunt. Alios e ſinu et amplexibus parentum et liberorum et vxorum euulſos coëgerunt ipſos ſibi violentas manus afferre. Cogebant enim eos cicutae poculum ſuiſmet manibus ipſos labris admouere atque exhaurire. Ipſis adeo exſequiarum et tumuli iuſtis eos

frauda-

fraudarunt, deorum ridentes iram, quos conſentaneum erat, iſta tam flagitioſa Manium temeratione offendi et ad vltionem inflammari. Autumabant nempe dominationem ſuam tam firmam eſſe, vt ab ipſis deorum armis vltricibus conuelli nequiret. Extrema tandem ſupplicia quotquot effugiſtis, quum multifariis periculis paſſim locorum eſtis defuncti! quot in vrbes graecas erroribus miſerabilibus acti! vbi non a praeconibus tyrannorum exagitati? egentes alimentorum rerumque omnium vitae neceſſariarum, alii relictis in patria liberis, hoc eſt in ſolo hoſtili, in manu et poteſtate hoſtium, alii in peregrino ſolo, tandem tamen, inuitis et ringentibus quam plurimis, rediſtis in Piraeeum, vbi rurſus ingentia reperiebatis certamina vobis decertanda. In quibus omnibus cum fortiter dimicaſſetis, aſſeruiſtis vrbanos in libertatem, exſules in vrbem reduxiſtis. Horum autem certaminum proſperum euentum ſi aduerſa quaedam ſors intercepiſſet, vt metam hanc ſtudiorum veſtrorum minus potuiſſetis conſequi, multo etiam acerbiora vobis fuiſſent toleranda, quam ante. Rurſus in exſilium vobis fuiſſet remigrandum, cum metu, ne eadem, atque ante, pateremini; neque paſſura fuiſſet horum tyrannorum immanitas, vt vos, tametſi iniquiſſima tolerantes, templa araeque deorum tuerentur, quae alias ipſis adeo fontibus portus ſalutis eſſe ſolent. Liberi veſtri, qui hic manſiſſent, contumeliis tyrannorum fuiſſent confecti. peregre autem palantes, ſi quae minuta debita contraxiſſent, quae ad diem ſoluere non potuiſſent, deſerti a vindicibus atque ſoſpitatoribus, flebilem in ſeruitutem incidiſſent. Sed quid attinet mala enumerare, quae cum per aduerſam fortunam potuiſſent accidere, ſecunda auertit, cum exhaurire verbis ſcelera ab his tyrannis commiſſa nequeam? Quae ſcelera tametſi non vnius accuſatoris, neque duum ſunt prouincia, ſed

quam

quam plurimorum os et latera depoſcunt, nihil tamen ego ſum meam deſiderari paſſus induſtriam, neque omiſi quicquam, quod a me oporteret dici, ſiue pro templis deorum, quorum alia hi tyranni hoſtibus vendiderunt, alia ſacrilegis ſuis manibus contrectarunt et pedibus ciuili ſanguine pollutis conculcarunt; ſiue pro ciuitate, quam eneruarunt et ad nihilum redegerunt; ſiue pro naualibus, quae deſtruxerunt; ſiue denique pro ciuibus per nefas interemptis; quibus vos quandoquidem adhuc ſuperſtitibus ſuccurrere non potuiſtis, ſaltim fato defunctis opem ferte et ius aequum reddite. Nullus dubito, quin Manes defunctorum hoc in iudicio verſentur, quin, quae dicetis, audiant, quin veſtrum ſingulos quoſque oculis intuentes noſcitent, ſciantque vtris calculum ſuum quiſque contribuat, ſecumque ſic ſtatuant, quicunque veſtrum hos tyrannos abſoluat, eum ſe, Manes defunctos, condemnare; contra, qui poenas ab his tyrannis meritas repetant, eos ſuarum iniuriarum vltores eſſe. Hic finem facio accuſandi. Audiuiſtis, vidiſtis, paſſi eſtis. tenetis. pronuntiate.

ORATIO DECIMA TERTIA,

quae eſt accuſatio Agorati, indicis ſub dominatu XXX virorum.

Cum vobis conuenit vniuerſis, iudices, necem vlciſci virorum, qui extremum ſupplicium ideo tolerarunt, quod libertati veſtrae plebis ſtuderent, tum mihi conuenit ante alios, qui Dionyſodorum et affinitate et ſanguine attingam. Habuit enim ſororem meam domi in matrimonio, idemque mihi fuit conſobrinus. Simultas itaque mihi cum hoc Agorato intercedit eadem, quae plebi veſtrae, eo cum homine, ea qui patrauit, ob quae et ego nunc eum odio merito proſequor, et quos

et vos recte facietis, si puniatis. id quod propitiis diis, et vobis secundantibus, me spero consecuturum. Agoratus nempe Dionysodorum, qui meae sororis maritus fuit, aliosque multos fortes et egregios viros, quorum audietis nomina, vestraeque plebis studiosos, sustulit, eos ad triginta viros, tum potentes, deferendo. Quo facto et me priuatim, reliquorumque necessariorum vnumquemque magnis affecit damnis, et publice vniuersam ciuitatem haud parum, mea quidem sententia, laesit, viris eum tam praestantibus mulctando. Censeo itaque, iudices, et aequum, et sanctum esse, mihique vobisque omnibus, vt tanti sceleris auctorem pro virili quisque sua vlciscamur, confidoque, id si fecerimus, et a diis, et ab hominibus, nullum non genus bonorum ad nos esse profecturum. Sed oportet vos ante omnia, Athenienses, totam rem a principio inde ex me audire, quo sciatis, primum quidem, quomodo et a quo dissoluta fuerit reipublicae vestrae forma, qua olim ad iuris ciuilis aequitatem composita vtebamini; tum quo pacto viri illi fortes ab Agorato neci dati fuerint, postremo quae mandata illi extrema in mortis articulo constituti nobis reliquerint. Haec enim probe si perdideritis, atque commemineritis, et libentius, et religiosius hunc Agoratum videmini condemnaturi. Initium itaque narrandi illinc faciam, quod et nobis ad docendum, et vobis ad intelligendum erit planissimum. Classe nostra ergo funditus amissa, rebusque ciuitatis debilitatis, haud multo post classis Lacedaemoniorum in portum nostrum inuecta appulit, coepitque cum iis de pace ineunda agitari. Ibi si qui rebus nouis studerent, hi libertati vestrae insidiabantur, rati, se tempus hoc cupita consequendi nactos esse oportunissimum, et, si vnquam alias, tunc maxime sibi datum fore, res ex arbitrio suo constituere; nihilque studiis suis obstiturum existimantes praeterquam

terquam tribunos plebis, et Strategos atque Taxiarchos [seu imperatores militares atque centuriones,] machinabantur hos quocunque modo de medio tollere, quo facilius, quo vellent, eo peruenirent. Primum itaque Cleophontem hac versutia aggrediebantur. Concio de pace cum haberetur prima, legati Lacedaemoniorum conditiones edebant, in quas parati essent Lacedaemonii pacem vobiscum instaurare. Erat in illis conditionibus etiam haec, vt longi gemini muri pars, ad decem vtrinque stadia, solo deiiceretur. Tam duram conditionem vos ne auribus quidem ferre poteratis, et Cleopho pro vobis omnibus obloquebatur, fieri nullo modo posse, vt moenium quicquam deiiceretur. Secundum hunc Theramenes ad dicendum assurgebat, qui libertati plebis insidians, si se de pace legatum plena cum potestate Spartam miseritis, recipiebat effecturum, vt neque moenium quicquam disturbaretur, neque respublica vlla alia sui parte minueretur; quid? quod sperare futurum aiebat, vt boni etiam nescio quid praeterea precibus et gratia a Lacedaemoniis impetraret. Decepti vos his verborum praestigiis Theramenem legatum de pace plena cum potestate ad Lacedaemonios mittebatis, hominem vos exosum, cui imprimis diffidere et poteratis, et debebatis adeo, anno ante grauiter a vobis ignominiosa repulsa offensum. Strategum enim iam suffragiis creatum in scrutinio repudiaueratis ideo, quod visus vobis fuisset a partibus plebis alienior. Theramenes Spartam delatus, diu ibi mansit, vos destituens, quos obsidione cinctos proficiscens reliquisset, cum sciret plebem vestram, et incredibili consiliorum inopia perplexam, et arctissimis rerum necessitatibus constrictam, et ab alimentis caeteriisque vitae tuendae adminiculis per bellum et reliqua reipublicae mala denudatam esse. Mansit tamen diutius quam oportebat; id quod data fecit

ope-

opera, existimans, ad eas si vos redegisset angustias, ad quas redegit, vt exitum malorum vestrorum nullum inueniretis, ad conditiones pacis nullas non vos esse cupide descensuros. Interim, quos ille proficiscens hic reliquerat consiliorum suorum studiorumque conscios et administros, hi libertatem plebi eripere laborantes, Cleophonti diem dicebant, frigidam causam praetexentes, quod a castris abfuisset, facto in vrbem receſſu, respirandi gratia; reapse autem, quod studio vestri, turpissimae auctoritati de moeniis solo aequandis interceſſisset. Hoc igitur vsi praetextu, qui summam rerum ad paucorum libidinem translatum ibant, iudicium compararunt, a se instructum atque subornatum, in quo iudices sederent sibi dediti. Hi Cleophontem, perinde atque vos exosi, condemnatum neci dederunt. Theramenes aliquanto post Sparta reuersus pacem secum referebat eam, cuius diritatem nulla re magis, quam ipso vsu, cognouimus. Recentem a reditu Strategi quidam et Taxiarchi adibant, in quibus cum Strombichide et Dionysodoro, etiam alii multi erant, ex eo percontatum, quasnam pacis conditiones referret. Quibus illi cognitis, vt erant erga vos optime animati, id quod factis demonstrarunt, grauissime stomachabantur. Afferebat enim eiusmodi pacem, quae cum multis nos fortibus atque egregiis viris multauit, tum triginta tyrannos ceruicibus nostris imposuit, a quibus patria fortunisque nostris eiecti sumus. Imperabatur enim nunc, vt moenia, non, vt ante, ad decem modo stadia, sed tota prorsus demoliremur, et tantum aberat Theramenes, vt promissorum suorum de bono nescio quo alio reipublicae a Spartanis acquirendo liberasset fidem, vt potius noua ei mala, eaque atrocissima comparasset. Classem enim Lacedaemoniis tradere, moeniaque Piraeeo circumiecta solo aequare iubebamur. Haec illi cum e

Theramene audiſſent, cernentes eam pacem afferri, quae nulla eſſet, niſi quatenus hoc nomine, ſed ementito, appellaretur, reapſe autem hoc agi, vt popularis reipublicae adminiſtratio funditus tolleretur, negabant ſe vnquam in eiuſmodi conditiones aſſenſuros, aut eas effectui dari paſſuros, non, iudices, quo moenium ducerentur commiſeratione, ſi deiicerentur, neque quo rationem claſſis haberent, hoſtibus dedendae: nihil enim horum eos priuatim magis, quam noſtrum quemquam, tangebat; ſed quod animaduerterent, haec auſa veſtri iuris ciuilis exſtinctionem eſſe tractura. Non illi nullo tenebantur pacis deſiderio, tametſi ſunt, qui id criminentur, ſed meliorem ea pace deſiderabant, quam Theramenes retulerat; neque de ea impetranda deſperabant, et videntur vtique, niſi ab hoc Agorato intercepti fuiſſent, ad metam contentionis ſpeique ſuae peruenturi fuiſſe. Videns itaque Theramenes aliique veſtrae libertatis praedones, pariter, atque ille, maieſtati veſtrae inſidiantes, eſſe, qui abrogationi popularis regiminis a ſe agitatae interceſſuri, neque paſſuri viderentur iura et decora veſtra minui, operam dabant, vt, quos ſuis machinationibus aduerſaturos praeuiderent, eos, priusquam concio de pace habenda coiret, calumniis oneratos, in ſuſpicionem adducerent, atque in capitis diſcrimen coniicerent, ne quis ſibi ſupereſſet ipſa in concione aduerſarius, veſtrorum iurium tutor et vindex. Machinam itaque hanc conſtruunt. Perſuadent Agorato, vt aduerſus Strategos et Taxiarchos indicium ſibi commodare vellet; non quo conſcius illis vllius mali facinoris eſſet. Nullius fuit, iudices, neque eſſe potuit. Nam, quaeſo vos, adeone vobis hi viri aut fungi videntur fuiſſe, aut ab amicis atque adminiſtris deſerti, vt tantis de rebus deliberantes, neceſſe haberent Agoratum aduocare, eique arcana ſua committere, quaſi fido homini bene-

beneque, aut erga se, aut erga vos animato, qui seruus esset, et e seruis oriundus? Verum Therameni eiusque sodalibus hic Agoratus index huic dolo perficiendo peraccommodatus videbatur esse. Studebant igitur efficere, vt deferre non vltro, sed inuitus et coactus videretur, quo indicium eius fieret credibilius. Volentem autem Agoratum, non inuitum, nomina detulisse, vos ipsi, ni fallor, e mea rei gestae expositione intelligetis. Mittebant nempe subornatum a se Theocritum illum, quem vulgus Elaphostricti filium appellitabat, eum ad senatum, qui praesedit, antequam triginta tyranni rerum potirentur. Erat hic Theocritus Agorati familiaris, et senatus, quem dixi, corruptus erat, atque translationi summae potestatis a multitudine plebis ad paucitatem optimatum inhiabat, id quod ipsi vos nostis, quam maxime. Argumentum vultis? Ex illo, quem dico senatu, triginta virorum tempestate anteriore, multi postmodum in eo senatu sederunt, qui triginta virorum famulus fuit. Cuius autem ego rei causa istaec nunc commemoro? quo nempe certi essetis, quae decreta ab illo anteriore senatu profecta sunt, ea non a senatu profecta esse vestri studioso, sed ab ardente libertatem publicam pessumdare, proptereaque ad eiusmodi decreta prorsus animum nil attendatis. Hic itaque Theocritus in illum senatum ingressus, esse quosdam indicat, hoc agentes, vt nouam, quae cum maxime pararetur, rerum constitutionem impedirent, quo minus coalesceret. et nomina quidem singula quaeque se negabat editurum. ius enim iurandum idem cum coniuratis dixisse, neque defore alios, qui nomina indicent. Se quidem id nunquam facturum. At videte modo, iudices. Theocritus si sponte sua rem detulit, non subornatus, neque dicto, eccur senatus eum non coegit nomina edere? eccur eum passus est vago quodam et incerto

defungi indicio, nominibus reorum caſſo? cur ſatis habebat hoc decretum ſcribere? *Decretum.* Secundum hoc decretum in Piraeeum deſcendunt deputati e Senatu, ad Agoratum, quem in foro ſibi oblatum abducere conabantur. Verum Nicias et Nicomenes, aliique, cernentes faciem rerum in vrbe non optimam eſſe, negabant ſe permiſſuros, vt Agoratus abduceretur. abſtrahebant eum potius vi, dabantque ſe vades, ſpondentes Agoratum, quandocunque poſtularetur, in curia ſiſtendum. Senatores ergo cum a tabulario ſcriba in tabulas referri curaſſent eorum nomina, qui vadimonium de ſiſtendo Agorato obiiſſent, et, quominus Agoratus abduceretur, interceſſiſſent, in vrbem redibant. Agoratus autem cum vadibus, ad aram Mineruae Munychiae confugiunt, ad eamque ſupplices deſident. Interea, tum ibi vna ſunt, inter ſe deliberant, quid opus factu ſit. Placebat vadibusque caeterisque omnibus, Agoratum quam citiſſime e medio ſubmoueri. Curabant itaque par lintrium ad Munychium applicari. Quo facto Agoratum maiorem in modum rogabant atque obſecrabant, vt, quicquid tandem eſſet eventurum, omni modo Athenis feſtinaret excedere; ipſique ſe fugae comites offerebant, donec resp. ad priorem ſtatum rediſſet. Simul demonſtrabant, in ſenatum ſi inducatur, verendum eſſe, ne nomina cogatur eorum edere ciuium, quos ſcelerati homines, peſtem reip. machinantes, ipſi eſſent ſubiecturi. Haec monentibus illis, atque obſecrantibus, et lintres iam paratos habentibus, ipſosque ſeſe comites itineris offerentibus, obſequi tamen hic Agoratus recuſauit. Atqui, Agorate, ſi tibi, id quod iactas, cum tyrannis conditum atque comparatum nihil fuit, certusque ſi non eras, a tyrannis nihil ad te mali eſſe prouenturum, cur non auffugiebas in lintribus iam paratis ſtantibus, ſponſoribus tuis tecum auffugere paratis? Adhuc

huc enim id in potestate tua erat. Senatus tui compos nondum erat. tu plus periclitabaris hic manendo, et minus amittebas hinc discedendo, quam illi. Quapropter faciliorque factu magisque necessaria tibi hinc erat emigratio, quam illis. Athenienses illi natu erant, ciues ingenui; quapropter illis nihil erat de tormentis quod metuerent. deinde grauissimam oportebat causam esse, cur illi se tibi vellent nauigationis comites adiungere, qui patriam suam in eaque carissima pignora relinquere nulli dubitarent. Existimabant nempe, id fieri magis e re suaque publicaque esse, quam abs te proditos ciues numeroque multos et virtutibus praestantes immeritae neci dari. Tibi autem primum hoc metuendum erat, si maneres, ne tormentis subiicerere. deinde nil amittebas auffugiens; non patriam, quae tibi nulla vnquam fuit; non fortunas, quibus nunquam non caruisti. Quocirca modis omnibus e re tua magis, quam illorum, erat in nauem inscendere, si, quod ais, nihil erat quo fideres, hic manens. Iam vero, ex eo, quod tot viros fortes et bonos indicio tuo interemisti, constat eos a te. non inuito et coacto, quem simulas, sed a volente inprimis atque gestiente interemtos esse. Vniuersa ergo haec fraus, de qua loquor, inter te tyrannosque condicta et comparata fuit, in quo mihi consentiunt testes, quae aio, confirmantes. Ipsum adeo decretum senatus contra te testatur. *Decretum.* Secundum hoc decretum e senatu deputati cum venissent in Munychiam, ex ara vltro assurrexit Agoratus, non, quod nunc praetendit, vi inde abstractus est. Introducebantur omnes in senatum. Ibi Agoratus edebat nomina, a commentariense in tabulas referenda, primum sponsorum ipsorum, qui pro ipso fideiusserant, deinde Strategorum atque Taxiarchorum, tum aliorum quoque quorundam ciuium. Principium hoc fuit vniuersae illius atrocissimae calamitatis, quae post-

modum remp. oppreſſit. Agoratum illa nomina edidiſſe, nullus dubito quin ipſe ſuo ſit ore confeſſurus. Sin minus, perinde conuictum caedis eum dabo, ac ſi ipſo in ſcelere fuiſſet deprehenſus. Reſponde mihi. * * * Volebant quidam, o iudices, adhuc plurium nomina ab eo indicari, tam ſaeuo furore ruebat ille ſenatus ad noxias et peſtes dandum! Non ſat multos indicaſſe videbatur Agoratus, qui cum priores illos vltro, nulla coactus neceſſitate, indicaſſet, iſti indicio poſtmodum adhuc aliorum plurium ciuium nomina addidit. Verum ne hoc quidem ſatis habebant, quod Agoratus in ſenatu indicaſſet, ſed operam dabant, vt in concione quoque, ſecundum haec in ſenatu acta, prima in theatro Munychienſi habenda, Strategi ſaltim et Taxiarchi indicarentur. nam de reliquis factum in ſenatu indicium ſufficere videbatur. Producunt itaque Agoratum etiam in illam, quam dico, concionem. Reſponde, Agorate, vera loquor, nec ne? Vera. Verebar equidem, ne tu ea infitiarere, quae coram Athenienſium vniuerſo populo in concioue congreſſo egiſſes. Verum confitetur ipſe, vt cernitis. At ego nihilo minus tamen ſcribae mandabo, vt populi quoque decreta vobis praelegat. *Decreta.* Certos iam confido vos eſſe, Agoratum hunc geminum illum indicem edidiſſe, tam priorem in ſenatu, quam poſteriorem in concione, eoque latronem et ſicarium eſſe factum eorum, quos detulerat. Supereſt vt breuiſſimis vos doceam, funeſtorum omnium temporum, quae remp. poſtmodum exceperunt, hunc Agoratum architectum fuiſſe, eoque indignum veſtra commiſeratione factum. Vt enim illi viri fortes in vincula dati erant, Lyſander claſſem Spartanam ad portus veſtros appellebat, claſſis veſtra Lacedaemoniis tradebatur, et moenia ſolo aequabantur, et trigi[illegible] tyranni conſtituebantur, malumque illud tantum, de quo nimis gna-

ros

ros commonefacere nil attinet, conflabatur. Vt primum igitur triginta viri erant inſtituti, coeperunt iudicium capitale in illos, quos dixi, viros fortes ab Agorato delatos, in curia exercere. populus autem in tribunali, per bis mille virorum, perſonam populi gerentium, ſuffragia pronuntiabat, ſecundum decretum ea de re ſcriptum, quod tu mihi, ſcriba, recitabis. *Decretum.* Iudicati ſi nusquam alibi, quam in foro populi, eiusque liberi, fuiſſent, nullum eſt dubium, quin abſoluti abiſſent. Noratis enim illos inſontes eſſe. Verum iam tandem, quamquam ſero, intelligebatis, quam luctuoſa in tempora resp. incidiſſet, quum mederi malo iam non amplius poſſetis. Introducebantur enim in ſenatum, nefandis triginta virorum imperiis famulatum; vbi iudicium habitum eſt huiusmodi, pro more iſtius tempeſtatis nimium vobis noto. Triginta viri iisdem in ſubſelliis ſedebant, in quibus Prytanes nunc ſedent. Coram triginta ſtabant duae menſae, quibus in menſis palam deponendae eſſent teſtulae. Non enim licebat eas, vt antea factum erat, in ſportulas coniici. Et condemnantes quidem tabellae in menſa poſteriore, abſoluenres autem in anteriore deponendae erant. Quonam itaque pacto aut fieri poterat, aut ſperari, vt reorum quisquam abſolueretur. Vt vno verbo comprehendam, quotquot iudicium capitis ſub his tyrannis adierunt, omnino ſunt omnes damnati, neminemque illi abſoluerunt, praeter hunc vnum Agoratum. Hunc autem abſoluerunt, quaſi referendae gratiae ergo, ceu virum mirifice de ſe meritum. Quo autem, quam multi per huius Agorati indicium perierint, ſciatis, eorum nomina vobis recitabo. *Nomina.* Vt itaque indicati ab Agorato morti damnati erant, iamque tempus inſtabat, quo dira haec ſententia in ipſorum corporibus eſſet exſequenda, arceſſebant miſeri in carcerem, alius ſororem, alius matrem, alius vxo-

rem, aut quaecunque alia cuique necessitudo erat, vt necessarios supremum amplexi, aue extremo dicto, iter irremeabile ingredereutur. Dionysodorus itaque vxorem, quae eadem mea soror est, in carcerem ad se arcessebat. Audito illa mariti casu, venit, pullata, vt par erat in tanto eius infortunio. Coram hac igitur sorore mea Dionysodorus de re sua familiari ex animi sui sententia constituebat, prout quaeque post excessum suum agi gerique vellet, et hoc de Agorato inprimis ita pronuntiabat, eum sibi tam acerbae necis fabrum esse, mihique [per vxorem suam] fratrique suo Dionysio mandabat, caeterisque amicis omnibus, vt sanguinem suum aliquando sanguine Agorati compensaremus. Vxori autem, quam suspicabatur vtero ex se gerere, iniungebat, vt si marem peperisset, eum adultum patris nomine certiorem faceret, patrem ab Agorati lingua, ceu sica, cecidisse; iubere itaque atque imperare filio, vt Manes patris Agorati sanguine placaret. Vera me haec dicere, testes confirmabunt a me producendi. *Testes.* Hi ergo, quod ex indicio Agorati a commentariensi publico in tabulas perduellionis reorum essent relati, extremum tolerarunt supplicium. Vt autem hos triginta viri sustulerant, nostis ipsi vos, quam multa et quam dira mala remp. oppressérint; quorum omnium causa huic Agorato est referenda, qui illos occidit. Inuitus equidem facio, moestitia et luctu repugnante, vt publicas clades in memoriam vobis reuocem, iudices; verum tamen necesse factu est hoc temporis articulo, quo intelligatis, quam vos deceat Agorato omnem denegare commiserationem, Nostis, e Salamine qui ciues nostri exsules huc reportati et a triginta tyrannis misere sublati sint. Nostis, ex Eleusine quam multi eadem peste occiderint. Sed eorum quoque, qui in vrbe manserunt, meministis quot ob priuatas simultates in carcerem coniecti sint,

sint, vnde rursus pedibus suis non exierunt; qui cum nihil in remp. deliquissent, turpissimum et ignominiosissimum supplicii genus tolerare coacti sunt, alii parentes grandi natu relinquentes, spe frustratos, qua se olim pauerant, fore, vt senio debilitati a liberis alerentur, atque fato suo defuncti sepulturae honoribus afficerentur; alii sorores nondum elocatas, alii liberos paruulos, infinitae adhuc curae opisque egentes. Quos omnes quonam, quaeso vos, existimatis animo fore tum erga Agoratum, aut quam de eo laturos sententiam, si daretur ipsis de eo arbitrari, per quem carissimis quibusque atque iucundissimis priuati fuissent? Praeterea meministis, vt moenia vestra fuerint diruta, vt classis hostibus tradita, vt naualia destructa, vt Lacedaemonii vestram arcem insederint, vt vniuersae copiae opesque vestrae ita conuulsae atque dissipatae, vt vestra ciuitas a contemptissimo quoque oppidulo nil differret. Adde, quod priuatas quique vestras fortunas amisistis, postremo simul omnes e patria a tyrannis eiecti fuistis. Haec futura praeuidentes illi praestantes viri, negabant, o iudices, se commissuros, vt pax tam foeda, tam exsecrabilis coalesceret. quos tu, Agorate, studentes bene de rep. mereri, sustulisti, deferendo pro insidiatoribus atque praedonibus libertatis nostrae. Quaecunque postmodum mala remp. oppressere, tu ei vnus omnia contraxisti, Horum vos nunc recordati, et priuatorum quique suorum incommodorum, et publicarum reip. pestium punite hunc, cui ista omnia vni debentur. Miror equidem, iudices, quid pro se dicturus sit. Nam oportet eum planum facere, se viros illos haud detulisse, neque delatione sua illis exitium conscisse. Atqui nunquam poterit. Primum enim decreta, tam senatus, quam populi, contra eum testantur, de indicatis ab Agorato, disertis et perspicuis verbis docentia. deinde iudicium eum illud confodit,

quod sub XXX viris cum subiisset, absolutus fuit. Expressis enim verbis in illius iudicii sententia scripta leguntur haec: *Agoratum ideo absolui, quod visus esset vera detulisse.* Recita tu mihi decreta, et indices nominum tum in tabulas publicas relatorum. *Decreta. Tabulae.* Nullo itaque modo demonstrare poterit Agoratus, se non detulisse. Superest ergo vt demonstret se legitime detulisse, videntem eos nefaria et plebi vestrae noxia patrantes. Verum hoc quidem, non modo non demonstrabit, sed ne conabitur quidem. Non enim profecto triginta tyranni eos ob mala eorum de plebe merita sustulerunt, veriti, ne popularis libertas ab illis iugularetur, neque studio iura vestra tuendi, et violatores eorum puniendi. Alia omnia. Sed aiet forsitan Agoratus, inuitum se tantas turbas concitasse. Quod cum dicet, aut verum dicet, aut mentietur, et neutrum ad rem. Ego enim sic mecum statuo, iudices, si quis mala vobis crearit tanta, vt alia maiora cogitari nequeant, etiamsi inuitus crearit, non ideo nobis conuenire, vt illa inuiti facinora inulta transmittamus. Verum mentitur id prae se ferens. Licebat enim ei, apud Munychiam adhuc in ara sedenti, tutum in locum secedere, paratis et lintribus, et sponsoribus, illis eum auehere, his abeuntem comitari. Quibus si tu, Agorate, voluisses obsequi, comitemque te nauigationis dare, verendum nil erat, ne tot Athenienses tolleres, ne si voluisses quidem, nedum vt inuitus. Verum auctoritate ductus eorum, quicunque fuerunt, quorum in auctoritate fuisti, sperabas te bona nescio quae et quanta adepturum, dummodo Strategorum atque Taxiarchorum nomina indicares. Nullo itaque modo conuenit, hanc, quam tu assimulas, stultitiam atque credulitatem tuam penes nos veniam inuenire, quam illi, quos tu peremisti, abs te nullam inuenere. Et Hippias quidem Thasius, atque Xenophon Icarienfis, eadem de causa in curiam acciti, qua tu fui-

tu fuisti, capite luerunt, Hippias quidem sic, vt alii, qui vulgo capite plectuntur, Xenophon autem praeterea quoque ante mortem tormentis subiectus. Videbantur nempe hi duo viri triginta tyrannis homines frugi, non indigni salute, quippe qui ciuem Athenienſem neminem indicio suo perculissent. Agoratum autem absoluebant ideo, quod visus esset eorum libidini seruisse. Verum audio illum partem huius negotii, quod in delatione versatur, in Menestratum collatum ire. Ego vero totam rem, vt habet, exponam. Audite quaeso. Menestratus, de quo agitur, ab hoc Agorato, vna cum reliquis, deferebatur, ideoque comprehensus in vincula dabatur. Sed erat Menestratus ex eodem demo, seu municipio, oriundus, vnde Hagnodorus Amphitropaeenſis, qui Critiae, illius noti, e collegio XXX tyrannorum, sororem in matrimonio habebat. Hic Critias ergo, partim ipsius Menestrati tuendi et conseruandi studio, partim spe lucri fui; (sperabat enim eum habere indicem idoneum, laqueum quasi, ad alios adhuc multo plures in exitium pertrahendum:) producit ergo Critias hunc Menestratum ad concionem, in Munychiae theatro congressam. Ibi, vna cum Hagnodoro, perficiebat vt hoc decretum scriberetur, quo Menestrato spiritus venia dabatur. *Decretum.* Secundum hoc decretum igitur indicabat Menestratus nomina adhuc alia quædam, praeter illa iam ab Agorato indicata. Verum enimuero, quem Menestratum triginta tyranni absoluerunt, perinde atque hunc Agoratum, eademque de causa, quod nempe visus esset vera indicasse: eum vos multo post homicidii reum nacti, cum haberetis potestati vestrae obnoxium, iudicio legitimo habito, condemnastis, atque carnifici tradidistis, a quo fustibus ad necem caesus est. Atqui, si Menestratus extremo supplicio tolerando meritas dedit poenas, quanto maiori iure dabit Agoratus, qui Menestratum indicando, non

do, non modo Meneſtratum, ſed omnes vna a Meneſtrato indicatos ad fatalem moriendi neceſſitatem adegit. Ecquis enim ſit vllus alius, in quem iſta culpa iuſſius conferatur, quam is, qui Meneſtratum coegit alios indicare? O quam diſſimilis Agorato fuiſſe videtur Ariſtophanes ille Chollidenſis, qui vadimonium pro hoc ipſo Agorato tum temporis obibat, atque lintres in Munychia comparabat, ſuper quibus vna cum hoc Agorato auffugere paratus erat. Quantum in eo erat, abibas tu tum ſaluus; eique ſi eſſes obſecutus, neque Athenienſium quemquam exitio dediſſes, neque nunc in hoc tanto capitis diſcrimine verſarere. Iam vero tu et hunc tuum vadem et reliquos vna vades tuos omnes indicare auſus es, indicioque iſto tuo peſſum dediſti. Volentes enim quidam hunc Ariſtophanem, quaſi haud ſatis ingenue ciuem, tormentis ſubiici, auctores facti ſunt populo vt decretum ſcribi iuberet in hanc formulam. *Decretum.* Adibant hoc facto ad Ariſtophanem hi penes quos tum ſumma rerum erat, rogantes, vt indicando nomina conſciorum ſalutem ſuam redimeret, neque ipſe ſemet in periculum extrema quaeque patiendi demitteret, vbi in iudicium peregrinitatis vocatus eſſet. Ille vero abrupte conditionem aſpernabatur. Tam frugi erat Ariſtophanes veſtraeque plebis amans et ſtudioſus, vt mortem indicinae praeferret. Talis igitur erat Ariſtophanes, ipſe quoque a te ſublatus, talis Hippias Thaſius, talis Xenophon, quem modo dicebam in tormentis exſpiraſſe. Tu vero ciues Athenienſes quam plurimos, viros fortes et bonos, quos nullo ſcelere noſſes obligatos, delatione tua occidiſti. Cur tandem? Imponi nempe tuae ſtultitiae atque credulitati paſſus eras a triginta tyrannis, qui falſa te pollicitatione ductitabant, vbi innocentes hos calumnia tua confodiſſes, vt te tum, velut in mercedem latrocinii, ad principatus tum coaleſcentis conſortium admitterent. Aperiam vobis, iudices,

dices, quantis vos luminibus priuarit Agorati scelus; quae pauca numero si essent, audiretis me de vnoquoque sigillatim exponentem. Tot autem numero cum sint, omnes vna complectar praedicatione. Indicatorum ab hoc Agorato quotquot Strategatus gesserunt, eosque saepius iteratos, iussu atque mandatu vestro, hi rempublicam successoribus tradiderunt a se non imminutam, sed amplificatam. Aliis autem functi honoribus, aut trierarchorum qui munia crebras per vices obierunt, hi nunquam commiserunt, vt turpe in crimen incurrerent. Horum plerosque Agorati scelus prostrauit. Si quos tamen eorum secunda quaedam fortuna et sors sua superstites voluit esse, cum per huius Agorati crudelitatem Orci faucibus iam obiecti atque condemnati essent, sed, sorte iudicii non exspectata, fuga se subduxerunt, eoque manus insectantium eluserunt, quo minus comprehenderentur, atque postmodum e Phyla in patriam redierunt; hi nunc a vobis vt viri fortes et magni faciendi honorantur. At hos tamen, tot numero tantosque viros vnus Agoratus, alios occidit, alios solum vertere coegit! cuias ipse? vnde ortus? Oportet enim vos nosse, eum seruum et e seruis oriundum esse, quo sciatis, cuias fuerit ille vester carnifex. Pater ei nempe fuit Eumares, seruus Nicoclis atque Anticlis. Ascendite mihi testes. *Testes.* Tot numero sunt, iudices, facinora atque dedecora, et ab hoc ipso Agorato, et ab eius fratribus admissa, vt ea omnia oratione exsequi nimis operosum sit futurum. Neque magis necesse mihi video esse, vt actiones eius forenses machinationesque nefandas recenseam, quibus famam fortunasque studuit honestis et innocentibus ciuibus per summum nefas, artibus veteratoriis, per speciem aequi iuris, eripere, alios causis capitalibus perduellionis, alios minoribus, de priuatis quibusdam iniuriis et fraudibus, innectendo; alios vt aerarios detulit, eorumque bona proscripsit.

Nam

Nam vt omnes illas eius calumnias, quae multae sunt, paucis verbis complectar, vos omnes, tam in concione, quam in tribunali, sycophantiae damnastis, eoque nomine mulctam decies mille drachmarum ei dixistis. Quo vos eum publico vestro testimonio hominem nequam et furca dignum declarastis. Et nihilominus tamen, homo tam turpis cum esset, tam ignobili ortu, tanta obsitus infamia, tam probrosa nota inustus, matronas vestras, ipse seruus, stuprare conatus est. Moechus in facinore deprehensus est, cui facinori poena a legibus mors est constituta. Cita testes. *Testes.* Quatuor hi erant fratres, o iudices. Maximus natu in Sicilia deprehensus in conatu proditionis a Lamacho imperatore fustuario necatus est. Nostris enim in castris quae gererentur, ea per ignes furtim accensos hostibus significabat. Alter, cum puerum hero surreptum hinc Corinthum exportasset, rursus illinc ancillam huc reportare, plagio item interceptam, conabatur. Sed deprehensus, in carcerem incidit, in quo periit. Tertium Phaenippides hinc e concione, iniecta manu, ad vndecimuiros abduxit. Inde vos, causa legitime cognita, morte eum damnastis, atque carnifici tradidistis, a quo fustibus ad necem concisus est. Vera me haec omnia dicere, et ipse, ni fallor, Agoratus confitebitur, et testes ego producam confirmaturos. Ecqui ergo non vobis omnibus conueniat, hunc Agoratum vno consensu condemnare? Nam si fratrum vnusquisque propter singula facinora morte dignus est habitus, affectusque, quanto vos magis decebit huic mortis poenam irrogare, mercedem tot tantorumque scelerum ab eo commissorum, quibus et vniuersam remp. et priuatim vestrum quemque laesit, quorum scelerum vnicuique mortem poenam leges scripsere. Verum conabitur hoc vos commento, iudices, circumuenire, vt aiat, sub quadringentorum principatu Phrynichum

nichum esse iugulatum; eiusque ob meritum facti se ciuitate a vobis donatum. Quae cum iactabit, certos vos esse volo, eum mentiri. Neque enim Phrynichum occidit, neque populus Athenienſis eum vnquam ciuem ſibi adſciuit. Nam Phrynichus aliorum ferro cecidit. Res geſta ſic eſt. Phrynicho inſidiabantur, comparatis inter ſe conſiliis, Thraſybulus Calydonius et Apollodorus Megarenſis. Vt igitur aliquando hi, quos dixi, ei per viam inambulanti occurrebant, Thraſybulus quidem Phrynichum vno ictu deiectum exanimauit. Apollodorus autem prorſus ne attigit quidem. Nam inter haec oborta conclamatione, concurrente hominum turba, illi auffugiebant. Agoratus autem neque a percuſſoribus in conſilium facinoris adhibitus eſt, neque exſecutioni eius interfuit. Quae a me vera dici, decretum hoc teſtabitur. *Decretum.* Hoc e decreto conſtat Phrynichum ab Agorato peremtum non eſſe. Nusquam enim iſtius decreti nomen Agorati legitur ſcriptum, nuſquam haec formula: velle, iubere populum Athenienſem, vt ob meritum peremti tyranni Agoratus ciuis Athenienſis habeatur, quemadmodum eodem decreto Thraſybulus atque Apollodorus ob id meritum ciuitate donati ſunt. Et quamquam, de quo inter omnes conſtat, facto nihil eſt facilius, quam vt homines, neque nati ciues, neque vnquam creati, nomina ſua in tabulas ciuium publicas furtim inſcio populo, iniuſſuque eius, immittant, fraude oratorum et tabulariorum, largitionibus corruptorum, qua de re decretum hoc certos vos faciet, a ſcriba mox recitandum; nullae tamen vsquam locorum exſtant tabulae, quibus Agoratus ciuis Athenienſis creatus atque nuncupatus eſſet. *Decretum.* Certos iam confido vos eſſe, iudices, Agoratum ciuem Athenienſem non eſſe. Et nihilominus tamen, alienus a veſtrae ciuitatis nomine atque iure cum ſit, tam eſt audax,

tam

tam proteruus, tam impurus, tam veſtri contemptor, vt et iudex ſederit, et in concionibus cum populo egerit, cauſasque capitales nullius non generis, quas modo mens humana comminiſcatur, accuſator egerit, praeſcripto in capitibus accuſationum: *Agoratus Anagyraſius.* Eum enim ſe fert. Adhuc aliud luculentum videte documentum, vnde conſtet, ab Agorato Phrynichum haud eſſe deiectum, cuius caedis ob meritum Agoratus ſe ciuitate veſtra donatum iactat. Phrynichus hic dominationem quadringentorum inſtituerat; quorum plerique, illo ſublato, in exſilium abierunt. Triginta viri poſt inſecuti et ſenatus, qui ſub illis ſedit, erant omnes ex horum numero exſulum. Quod ſi ergo Phrynichum ſuſtuliſſet Agoratus, videturne vobis, iudices, hi triginta, cum ſenatu ſuo, hunc Agoratum, quem in poteſtate haberent, vnquam dimiſſuri fuiſſe, et non potius poenas ab eo repetituri, cum caedis in amico ſuo commiſſae, tum moleſtiarum exſilii a ſe ipſis propter Agoratum toletati. Nae, aut vehementer ego fallor, aut punituri erant Agoratum, ſi is caedem Phrynichi perpetraſſet. Atqui non punierunt, ſed abſoluerunt potius. Vtcunque eſt, ſiue reuera Phrynichum, quod ait, occidit Agoratus, ſiue gloriam ſibi arrogat ementitam, vtroque tamen pacto tenetur reus. Nam ſiue caedem, vt a ſe commiſſam, falſo iactat, quam non commiſerit, (vt ego nego commiſſam) nefas facit, vobis imponendo. Sin autem nihilominus tamen hoc facinus tuum eſſe pergis contendere, fingamus tantiſper, tibique largiamur; hilum tamen non proficis. Quid enim? Maioribus neceſſe eſt atque atrocioribus iniuriis populum Athenienſem abſte affectum eſſe, quibus illius tuae caedis in Phrynicho commiſſae memoriam ex animis triginta virorum eraſeris. Nemini enim vni tu hominum omnium perſuadebis, vt credat, triginta viros vnquam fuiſſe commiſſu-

missuros, vt, cum tu Phrynichum occidisses, te tamen absoluerent, nisi tu vulnera reipublicae Athenienſium imposuisses insanabilia atque feralia. Quod si ergo Phrynichum a se aiet peremtum. mementote horum, quae modo dixi, et poenas scelerum ab eo repetite. Sin autem negabit, interrogate eum, cuius ob meritum facti ciuem se gerat Athenienſem. Quod si minus habebit demonstrare, punite eum hac de causa, quod, Athenienſis cum non esset, tamen, perinde atque qui iure optimo ciuis est, et iudex sedit, et in concionibus cum populo egit, et calumniis multos perculit, criminibus implicitos per nefas a se conſectis, quibus ille criminibus, velut Athenienſis, nominis sui praescripsit auctoritatem. Audio illum hoc quoque sibi parare genus defenſionis, vt aiat, et ad Phylam se concessisse, et illinc rursus cum exsulibus rediisse; in eoque arcem quasi suae defenſionis esse constituturum, sed illam profecto infirmam. Res enim sic se habet. Venit vtique ad Phylam, verum crimen hoc ipsum est atrox, quo grauatur. Homo enim inueniri qui possit impurior atque impudentior eo, qui, cum nosset apud Phylam nonnullos eorum esse, quibus exsilium ipse conſciuisset, ausus tamen est horum se oculis ingerere, potestatique caput suum vltro obiicere? Nam vt primum conſpicati eum sunt, palam ad locum supplicii abduxerunt, vbi solebant in latrocinio alioue quopiam simili maleficio deprehenſos extremis suppliciis afficere. Anytus autem, qui tum Strategus exsulum ad Phylam congressorum erat, intercedebat, negans istis eorum temporibus conuenire, vt inimicorum quemquam poenis capitalibus vlciscerentur. Nondum eo perductas esse ipsorum res, vt de vltione exsequenda cogitare oporteat. Nunc oportere, se continere, pacique atque concordiae studere. Vbi domum aliquando rediissent, tum copiam ipsis haud defuturam scelerosos

rosos puniendi. Haec docendo, efficiebat Anytus, vt tum temporis Agoratus supplicium apud Phylam effugeret. Neque enim facere poterant exsules, vt dicto imperatoris audientes ne essent, si vllo salutis suae sensu studioque tenerentur. Verumtamen acribus eum oculis obseruabant. Percontari enim si voletis, neminem reperietis omnium ad Phylam congressorum, qui aut mensae, aut tabernaculi communione cum Agorato vsus esset, neque aut taxiarchum reperietis, qui eum cohorte sua, aut magistrum equitum, qui turma recepisset. Nemo non congressus eius deuitabat, velut hominis piacularis. Sermonibus cum eo conferendis pollui sibi videbantur. Cita mihi Taxiarchum. *Testis.* Reconciliata inter ciues pace, cum redeuntes ab exsilio e Piraeeo versus vrbem in armis solenni cum pompa procederent, Aesimo praeeunte, qui processioni illi dux erat, Agoratus ibi quoque suam proferebat audaciam. Nam ipse quoque, qui ciuis non esset, ciuium agmen versus vrbem procedens comitari sustinebat. Vbi autem prope portam vrbis ventum erat, consistere in armis iussos ciues lustrans Aesimus, obseruabat Agoratum, agmini, duce inscio et inuito, furtim immistum; propiusque congressus, scutum ei de humero sua manu detractum humo allidebat, iubens eum ex agmine ciuium fortium et honestorum, ad furcam et coruos, quibus dignus esset, abire. Negabat enim decere, homicidam cum agmine incedere ad fanum Mineruae in arce situm festiua cum supplicatione in armis procedente. Hoc pacto Agoratus ab Aesimo cum infamia ablegabatur. Vera haec a me dici, quo vobis constet, cita tu mihi testes. *Testes.* Videtis, iudices, qua opinione publica, qua fama, quo denique loco Agoratus penes ciues, et apud Phylam, et in Piraeeo fuerit. Nemo nempe cum eo, vt cum homicida, sermones caedebat, et quominus trucida-

retur,

retur, vnus Anytus intercedebat. Quodsi ergo suam ad Phylam profectionem iactabit, occurrite ei sic, vt interrogetis, num Anytus ipsum periculo mortis eripuerit, cum reliqui ciues omnes parati essent, sanguine eius scelera tot et tanta expiare, ciuiumque Manibus parentare; item, num Aesimus scutum ipsi detractum solo afflixerit, neque fuerit eum triumphali ciuium processioni interesse; denique num centurio vnus aliquis adscriptum suae cohorti habuerit. Vt autem vos has eius reliquas friuolas excusationes repudiabitis, ita hanc quoque repudietis velim non minus inanem, cum dicet, nos nimis longo post patratum scelus tempore poenas sceleris repetere. Nulla enim mihi videtur esse temporis quamuis longissimi praescriptio, per quam scelera tam atrocia impunitatem adipiscantur. Contra ego arbitror, quicunque, siue statim a patrato facinore, siue diu post, in ius vocatus fuerit, eum oportere planum facere, cuius facinoris reus agatur, id facinus aut a se non esse commissum, aut iure factum. Doceto igitur Agoratus quoque pari modo, aut illos fortes viros a se non esse peremtos, aut iure peremtos optimo, vtpote laedentes maiestatem populi Athenienſis. Quod si autem nos, qui dudum debueramus in eum animaduertere, nunc demum tanto tempore post animaduertimus, habeto nobis eius rei gratias, quod se passi simus, tam diu, contra quam oportebat fieri, in viuis superesse, et in lucro tempus hoc ponito. Viri tamen illi fortes, quos sustulit, nil ideo minus propter eum occubuere. Semper est manetque sicarius eorum, tametsi multo post demum latrocinii postulatur. Vrgere denique Agoratum hoc audio, quod in libello accusatorio, contra se in hac causa exhibito, quae sit causa ἀπαγωγῆς, cuius modi causae in fures et latrones atque sicarios instituuntur, in scelere deprehensus dicatur ἐπ' αὐτοφώρῳ. Homicidam vero ἐπ'

αὐτοφώρῳ se nequaquam esse. Ego vero me nego satis mirari posse stultitiam hominis, si argumento vtetur tam siculneo. Nam si actioni ex titulo ἀπαγωγῆς, h. e. in sicarium, ideo minus est obnoxius, quod libello accusatorio clausula ἐπ' αὐτοφώρῳ sit adscripta, consequitur, eum huic actioni obnoxium esse, si illa clausula omittatur. Age, tollamus clausulam. Viden, sublata est. Teneris ergo actione in sicarium. Scelus ergo a se commissum cum fateatur, tum in illa latebra calumniae sperat sibi perfugium fore, solaminisque aliquid in illa clausula se reperturum. Quasi referat quicquam, cum tu fatearis te homicidium commisisse, vt tum te neges ἐπ' αὐτοφώρῳ fecisse, h. e. sic, vt in actu sceleris ipso deprehendere. Quasi, si occidisset quidem, non tamen ἐπ' αὐτοφώρῳ, h. e. isto, quo dixi, pacto, saluus et inultus abire debeat. Videntur mihi vndecimuiri, accusationem hanc aduersus Agoratum, pro actione ἀπαγωγῆς, seu in sicarium, a Dionysio sibi exhibitam recipientes, quod suspicarentur omissionem formulae ἐπ' αὐτοφώρῳ causam Agorati esse aduturam; ideo rectissimum et tutissimum secuti consilium, coegisse Dionysium, vt actionis suae in Agoratum, vt in sicarium, libello adscribi a tabulario publico curaret hanc clausulam ἐπ' αὐτοφώρῳ. Quod faciens Dionysius, cum salua fide sua et veritate rei gestae faceret, tantum abest, vt causam debilitauerit, vt potius hoc magis confirmarit. Vbi enim quaeso te magis geras homicidam ἐπ' αὐτοφώρῳ, quam si, quem occidas, eum coram tot numero testibus, iisque tam grauibus, occidas, atque fecit Agoratus, qui tot fortes bonosque ciues, primum coram quingentis viris in curia considentibus, deinde coram vniuersitate populi Atheniensis in concionem congressi, detulit. Quam delationem secutum est iudicium, quo illi omnes mori iussi sunt. Quo negari nequit, Agoratum indicio suo necem

necem ipsis consciuisse. Aut profecto nemo mortalium omnium eos occidit; id quod est inconsentaneum. Nam si probamus id, quod Agoratus vult, hoc vrgens, manus a se violentas illis admotas non esse, consequetur, neminem esse homicidam, praeterquam siquis alteri manu sua feralem plagam intulerit, tigno ictum, sicaue prosternens. Viros ergo a te, Agorate, delatos nemo plane occidit. Nemo enim eos feriit, nemo iugulauit, sed delatio tua coëgit eos ipsos sibi mortem consciscere. Iam nega, si audes, te eorum esse sicarium in scelere deprehensum. Nam si lingua tua eos non interemit, in conspectu tantae multitudinis, nemo potest alius esse, qui eos occiderit. Atqui tamen occisos esse, in confesso est. Es ergo tu homicida ἐπ' αὐτοφώρῳ. Sed audio illum pactorum quoque atque sacramentorum facturum esse mentionem, et questurum de iniuria sibi facta, qui capitis causam dicere cogatur aduersus pacta, vrbanis cum Piraeensibus contracta, et iureiurando sancita. Quo si nitetur argumento, ipse suo propemodum ore se homicidam fatebitur. Ipsi enim innocentiae veritati e factis exsplendescenti diffidens, nescio quas ad latebras religionum iureiurando consecratarum, pactorumque, aut temporis dudum elapsi, aut formulae ἐπ' αὐτοφώρῳ, confugit. Vos vero decet, iudices, omnibus istis spretis offuciis, eiusmodi defensionem poscere, vt planum faciat, viros illos a se non fuisse delatos, neque secundum suam delationem in supplicio exspirasse. Praeterea nulla, si quid sapio, pacta nobis cum illo sunt communia, nullae iurisiurandi religiones. Pacta enim ea iureiurando confirmata sunt, quae nos Piraeenses cum vrbanis contraximus, non alia. Iam, si Agoratus illo tempore, quo pacta haec Piraeensium cum vrbanis sanciebantur, in vrbe fuisset, posset haec de pactis praetensio fortasse vestrum nonneminem veri quadam

ſpecie ludere. Verum erat Agoratus quoque tum temporis in Piraeeo vna nobiscum; me puta, et Dionyſio, et quotquot eum nunc hac actione vltum imus. Cui nihil hac quidem ex parte obſtat. Nullo enim ſacramento dicto Piraeenſes ſeſe Piraeenſibus obſtrinxerunt. Omnimodo videtur Agoratus mihi morte non vna dignus eſſe, qui, quo a populo ſe tum aiat adoptatum, cum ciuitate donaretur, ſi dis placet, et quem ipſe ſuum patrem appellet, erga eum populum ita ſe geſſerit, vt ſi qui filius ingratus, immemor beneficiorum a patre propitio acceptorum, non modo nil curet eum demereri, ſed etiam male de eo mereatur, deſerat in malis, ea denique prodat hoſtibus patris, per quae pater antehac amplior atque ſuperior hoſtibus fuiſſet. Qui ergo, et patrem a natura datum verberarit, et de neceſſariis vitae praeſidiis ita parum ei proſpexerit, vt patri inedia pereundum fuiſſet; et rurſus patrem adoptiuum bonis praeſentibus atque paratis euerterit, ecqui conueniet eum non morte dignum haberi, cum hoc titulo, tum illo altero legis in liberos latae, a quibus parentes male habentur? Imo vero vobis, iudices, vniuerſis publice conuenit, virorum fortium Manes huius Agorati ſanguine placare, perinde atque priuatim noſtrum vnicuique conuenit iniurias illis oblatas exſequi. Mortis enim in articulo conſtituti, non nobis magis, quam vobis, cunctisque Athenienſibus mandarunt, vt Agoratum hunc, perculſorem ſuum, vlciſci, vexare, exagitare, pro ſua cuiusque quamuis minima facultate, fatageretis. Nam ſi meritum vllum aut ornamentum ab illis ad remp. aut ad plebem veſtram profectum eſt; quae ornamenta haud pauca eſſe, inter omnes conſtat, ipſique vos confitemini; neceſſe eſt, vos omnes, qui reip. beneuelitis, amicos atque familiares ipſis fuiſſe. Sin autem amici veſtri fuerunt, (et fuerunt vtique) vltionem ſui ſanguinis non nobit magis,

gis, neceſſariis ſuis, quam veſtrum cuique demandarunt. Neque ergo per religiones deorum, neque per leges veſtras vobis licet hunc Agoratum impunem dimittere. Vos ergo, viri Athenienſes, quoniam illo tempore, quo iſti exſpirabant, per miſera, quae tum remp. oppreſſerant, turbidaque tempora non poteratis, nunc ſaltim, quo tempore in poteſtate veſtra eſt, vlciſcimini atque punite hunc iſtorum ſicarium, religionique vobis ducite, facinus committere omnium diriſſimum atque ſacerrimum. Agoratum enim ſi ſententiis veſtris abſoluatis, non ei ſolummodo impunitatem atque ſecuritatem condonabitis, verum etiam illos viros, quos ipſi confitemini vobis amicos atque beneuolos fuiſſe, eadem ſententia morti condemnabitis. Abſoluentes enim eum, qui mortis ſupplicium illis conſciuit, nihil aliud decernetis atque pronuntiabitis, quam eos ab hoc ad mortem criminibus meritam adactos eſſe. Quo pacto calamitate miſerrima et luctuoſiſſima vterentur, ſi vos, quibus vltionem ſui morientes, tanquam hominibus amicis, mandaſſent, iidem contra ipſos eadem cum tyrannis ſciſceretis. Neutiquam, iudices, neutiquam, per deos Olympios vos obſecro, nullo pacto, nulla fraude pronuntiate aduerſus eos viros, qui, propterea, quod multis modis bene de vobis meriti eſſent, a triginta tyrannis et ab hoc Agorato necati ſunt. Recordati calamitatum omnium, quae ab horum virorum exceſſu vniuerſamque remp. et priuatim vnumquemque oppreſſerunt, punite hunc malorum veſtrorum architectum. Vndecunque planum vobis eſt factum, teſtatumque, tam e decretis, quam ex indicibus nominum delatorum, ex aliis denique omnis generis documentis, Agoratum hunc moriendi neceſſitatem ipſis conſciuiſſe. Praeterea conſentaneum eſt, vos contra ſciſcere, atque triginta viri ſciuerunt; hoc eſt, quos illi morti condemnarunt, eos a vobis abſolui par eſt;

contra, quos illi suis sententiis a mortis poena absoluerunt, iis vos eam irrogare. Iam triginta viri ciues illos fortes et bonos, qui vobis amici erant, morte damnarunt; quapropter absoluite vos nunc eosdem. contra Agoratum absoluerunt tyranni, quod visus ipsis esset hos amicos vestros cupide perdidisse. quapropter eum condemnate. Quod cum facietis, tum vos primum a turpissimo crimine conseruabitis intactos, similitudinis puta atque consensus in consiliis atque decretis cum hominibus impuris atque sacrilegis; deinde laudem reportabitis contentionis in vlciscendis amicorum vestrorum iniuriis, denique mortalibus omnibus videbimini humanoque iuri atque diuino fecisse consentanea.

ORATIO XIV.

quae est accusatio Alcibiadis, qui deserta militia pedestri, cui adscriptus erat, conatus esset in equestrem se ingerere.

Tametsi, iudices, si quis hunc Alcibiadem accusare in animum induxerit, ab eo vos mihi non videmini causam odii aduersus illum requisituri; qui se iam a puero inde ciuem gesserit eum, vt, etiam si quis nulla sit ab eo priuata laesus iniuria, facere tamen non possit, quominus eum ob mores ipsius atque institutа odio prosequatur et abhorreat: neque enim minuta sunt Alcibiadis delicta, neque venia digna, neque spem mouentia futuri meliorem ad frugem reditus, sed tanta est eorum enormitas, tanta foeditas, tantum odium, vt in iis, in quibus ille exsultat, nonnulla sint, quorum ipsos inimicos pudeat: sunt mihi tamen, praeter causas cum rep. communes, priuatim quoque causae quaedam propriae, cur eum, si possim, ope vestra adiutus, vlciscī studeam. Non enim vetustum solummodo illum inimicum habeo per simultates, quae maioribus

ioribus meis cum maioribus eius iam a longinquo interceſſerunt, ſed etiam nunc recens malum ab eo accepi. Quorum omnium poenas nunc ab eo, ſi per vos licebit, repetam. Et de reliquis quidem ſic ſatis dixit Archeſtratides. Leges enim recitauit, teſtesque de criminibus qui usque produxit. Quae vero ille mihi omiſiſſe videtur, ea vos ego ſingula docebo. Recita tu mihi legem. *Lex.* Nunc primum a reconciliata pace, iudices, huiusmodi in cauſa ius dicturi ſedetis. Quocirca conſentaneum eſt, vos nunc non iudicum modo, ſed legislatorum quoque partes agere, bene gnaros, vtrnuis in partem vos nunc huiusmodi de crimine pronuntiaueritis, id ita in poſterum quoque ratum et in rep. valiturum eſſe. Ciuis autem boni et iudicis aequi partes hae mihi videntur eſſe, vt in legibus interpretandis atque exercendis ita verſetur, vt non praeſentis modo temporis rationem habuiſſe, ſed futuro quoque proſpexiſſe, eaque conſtituiſſe videatur, quae reip. in perpetuum ad ſalutem decusque ſint fructuoſiſſima. Sunt nempe, qui negare audeant, deſerti ordinis militaris teneri quemquam [eorum, qui nouiſſimis in caſtris eſſent verſati.] pugnam enim nullam interueniſſe. legem autem ſic edicere: ſi quis ordinem deſeruerit, retrorſum cedens, formidine victus, reliquis dimicantibus, de iis Strategos cognituros eſſe. Audio. recte admonent. lex vtique ſic edicit. verumtamen non de his ſolummodo lex praecipit, ſed de illis quoque, ſi qui ſe in acie pedeſtri patiantur deſiderari. Recita legem. *Lex.* Auditis, iudices, legem de ambobus definire, tam illis, qui feruente pugna retro ſe receperint, quam his, qui a pedeſtri militia prorſus abfuerint. At quosnam oportet adeſſe? Non hos, qui id agunt aetatis, quod agit Alcibiades? non hos, quos Strategi delectu habito nominatim militare iuſſerunt? Nullum ego, iudices, arbitror eſſe alium ci-

uium omnium migratae huius legis totius reum, quam vnum Alcibiadem. Nam non ſolummodo ἀςρατείας ſeu abſentiae a caſtris, iure merito reus peragatur, quippe qui, adſcriptus militiae Doberum iuſſae proficiſci, de vniuerſo exercitu ſolus in vrbe remanſit, in caſtra non exiit, copiam ſui corporis centurionibus non fecit, vacuum in acie pedeſtri locum ſuum reliquit. verum etiam non minore iure δειλίας, ſeu trepidationis condemnetur, propterea quod, cum ex edicto praetorum, vnusquisque militantium inter milites grauis armaturae dimicare deberet, ſolus Alcibiades equo merere maluit. Cuius eum audio hanc parare defenſionem, vt ſe, qui equo meruiſſet, eo peccaſſe neget. Ego vero iure vos optimo arbitror in eum ideo animaduerſuros, quod, cum lex ἄτιμον, ſeu capite minutum et iure honores petendi multatum declaret eum, qui nullo praevio cenſu [ſeu non tolerato morum fortunarumque ſuarum ſcrutinio, neque in eo probatus] in equeſtrem militiam ſe ingeſſerit, Alcibiadem tamen nil puduerit, praetermiſſo examine, in hanc militiam irrumpere. Recita mihi legem. *Lex.* Verum non ſubſtitit hominis dementia in contemtu veſtri, in reformidatione hoſtium, in appetitione militiae equeſtris, in proculcatione legum veſtrarum, ſed ipſa adeo tanta diſcrimina a legibus propoſita penſi non habuit, capitis imminutionem et bonorum proſcriptionem. Maluit infamis fieri, maluit facultates videre publicatas, maluit poenis omnibus obnoxius fieri a lege ſancitis, quam inter ſcutatos verſari, ſcutatis allegi. Et alii quidem, qui antea nunquam in ſcutatis meruiſſent, ſed ſemper in equitibus, et hoc genere militiae fungentes hoſtibus multas clades intuliſſent, tamen [in nouiſſima expeditione] auſi non ſunt in equos inſcendere, metu veſtri legisque. Ibant nimirum in hoſtem, animis ita comparatis, vt confiderent, remp. haud eſſe peritu-

perituram, sed saluam atque amplam futuram, et iniuriarum sibi oblatarum poenas a facinorosis repetituram. Alcibiades autem vnus ausus est in equum ascendere, neque plebis vestrae studiosus, neque nunc tenens artes equestris militiae, neque in censu a vobis probatus, perinde ac si caritura esset resp. facultate proteruiam in iura sua grassantem castigandi. Verum oportet meminisse, si patiendum vobis sit quaecunque allubescat quemque agere, in cassum leges esse latas, incassum vos in curias, in concionem, in tribunalia coire, incassum militiae magistros deligi. In prima iussus acie stare, iudices, si quis, hostibus cominus accedentibus, illinc in secundam aciem se subduxerit, sine controuersia nemo est, quin eum ingnauiae atque pauoris damnet. Sin autem in scutatis militare iussus, subito inter equites mirantibus omnibus circumuolitet, mirer equidem, si quis eum venia donet. Ego vero vos ius dicere, iudices, autumo, non ipsorum solummodo, qui identidem sunt, reorum causa, sed quo alios quoque disciplinae contemptores scueritate vestrae animaduersionis a sceleribus absterreatis, atque sapere doceatis. Quod si ergo solos ignobiles puniatis, nemo reliquorum omnium corrigatur; quum nemo facile eum norit, si quem vos vestra sententia perculeritis. Sin autem nobilissimos quosque puniatis, nemo erit ad quem exempli fama non permanet. Quo fiet vt hoc exemplo docti ciues sapere, diligentiorem operam virtuti dent postmodum. In hunc autem Alcibiadem si, prout vos decet, animaduerteritis, non ad vrbis incolas solummodo vestrae severitatis laus percrebescet, sed socios quoque vestros, ipsosque adeo hostes ad maiorem reipublicae habendam reuerentiam excitabit, cum videbunt, aduersus hoc imprimis flagitiorum genus, quo Alcibiades se obligauit, vos exardescere, veniamque prorsus omnem iis denegare, si qui ordinem disci-

disciplinae militaris conturbauerint. Recordamini, quaeso, iudices, nostrum, quotquot illi expeditioni interfuimus, magnam fuisse partem, alios inualidos, alios rerum necessariarum egentes. Libentissime, mansissent illi quidem in oppidis, atque corpora recreassent, hi vero domum reuersi priuatam quique suam rem refeciissent. Verum non licebat. Illi quidem, inualidi, inter leuis armaturae milites munia fungi iubebantur, hi vero, commeatibus destituti, in equitatu discrimina belli adire. Et nihilominus tamen erat omnium nemo, qui, quam sortitus esset stationem, eam deserere auderet, aut sibi iucunda edictis imperatorum praeferre. Multo enim magis patrii iuris acerbitatem, quam hostium arma reformidabatis. Horum memores oportet vos ea, quam nunc feretis, sententia testatum ad omnes facere, si qui Athenienſium iussi hostibus occurrere detrectent, eos facere non posse, quo minus in vestrae seueritatis aciem incurrant. Verum enim vero, de iure quidem militari, ipsaque de re nihil habebunt neque Alcibiades, neque aduocati eius, quod contra dicant; attamen e tribunali hoc vos exorare supplices contendent, vt pauoris dedecore Alcibiadis filium, viri clarissimi, ne respergatis. Quasi Alcibiades pater multis rempublicam, non malis affecisset, quibus affecit, sed ornamentis cumulasset. Atqui fuit Alcibiades, huius pater, is, quem si tum statim de medio sustulissetis, quum tantillus adhuc esset, primi criminis eorum omnium criminum, quorum causam vnquam ex hoc loco coram vobis stans dixit, reum peractum; nae tot tantaeque clades rempublicam non attriuissent. Graue profecto, iudices, mea quidem sententia, indignumque sit, vos filio, delicti reo, eius in gratiam patris ignoscere, quem ipsi vos sententia mortis perculissetis. filium, qui vestris in castris dimicare recusasset, a vobis absolui, cuius patrem nil pudduisset,

duiſſet, in caſtris hoſtium rem aduerſus vos gerere. Puer adhuc cum eſſet hic iunior Alcibiades, parum aberat, quin ob patris crimina vndecimuiris traderetur; quo tempore nullis adhucdum conſtabat documentis, qualis olim aliquando eſſet futurus. Illum enim vero nunc, ob patris ſcilicet merita, commiſeratione moti cenſebitis abſoluendum, poſt factam ad patris crimina acceſſionem a filii criminibus, quae iam vſu veſtro cognita atque perſpecta habetis? Dura vtique et perquam iniqua ſit ſors noſtra, ſi fatale ſit, vt Alcibiadis quidem neceſſarii, quocunque in flagitio deprehenſi, propter generis nobilitatem, ſalutem atque veniam inueniant: nos autem e captiuitate miſſionem praedicandis maiorum meritis non poſſimus. Nam ſi per horum negligentiam diſciplinae militaris factum eſſet, vt clade accepta, in poteſtatem hoſtium veniſſemus, nemo noſtrum libertatem ab hoſtibus impetraſſet, neque precibus, neque maiorum fortia facta collaudando, quae ſunt et numero multa, et magnitudine ampliſſima, et pro ſalute vniuerſae Graeciae edita, nulloque pacto cum horum erga rempublicam flagitioſiſſimis moribus comparanda, o iudices! Aient Alcibiadis aduocati, ſe amicitia ductos eius cauſam tueri. Recte vero. Nil reprehendo. Laudo etiam. Verum ſi illi tuendis amicis officio bonorum virorum ſe ſatisfacere autumant, in quo non errant; liquet, vos quoque poenis ab inimicis veſtris repetendis laudem virorum fortium eſſe conſecuturos. Ego vero vos hortor, iudices, cum neceſſariorum eius nonnulli venient hunc a vobis exoratum, vt indignemini, quod, qui aut hunc rogare inſuper habuerint, aut rogantes ab hoc impetrare non potuerint, vt imperiis patriae pareret, iidem nunc vobis perſuadere contendant, poenas a criminoſis nullas eſſe repetendas. Sin autem virorum in republica potentium quidam Alcibiadi praeſto ſint futuri, quo do-

cumentum aliquod potentiae suae illustri in loco collocent; (laudi enim sibi ducunt, et in hoc laborant efficiendo, vt constet inter omnes, auctoritatem opesque ipsis esse tantas, vt manifestorum adeo scelerum reos tamen eripere manibus vltricis iustitiae valeant) vos tum contra decet istaec meditari; primum, si omnes Alcibiadi essent similes, plane nihil opus tribunis militum esse futurum; quippe qui tum non essent habituri, quibus imperarent, si nemo esset, qui parere vellet. Deinde, multo magis conuenire ipsis, desertores ordinum militarium accusare, quam oratione defendere. Ecquae enim spes supererit, fore vt sint, qui mandata imperatorum exsequi velint, si imperatores ipsi turbatores disciplinae militaris eripere discriminibus capitis contendant. Censeo itaque sic; Alcibiadis patroni atque deprecatores planum si fecerint, eum in scutatis militasse, aut in censu probatum equestrem militiam obisse, tum eum a vobis absoluendum esse. Sin autem destituti ab omni iusta et legitima causa, tamen flagitent, vos iram in eum nullam expromere, meminisse decet, illos vobis velle periurii, defectionisque a norma legum magistros fieri, studiique sui importunitate pro sceleratis nitentis, multos ad imitationem eorundem malorum exemplorum allicere. Miror equidem, iudices, si quid aliud, hoc imprimis, si qui vestrum autument, tantam esse oportere auctoritatem pro Alcibiade nitentium, vt saluus hoc e iudicio seruatusque per ipsos discedat, nullamque haberi rationem scelerositatis, qua extrema quaeque exempla meritus est. Qua de scelerositate Alcibiadis doceri vos dignum arbitror, quo certi sitis, recte vos haud esse facturos, si hoc eum nomine absoluatis, quod, cum hac vna in re deliquisset, tum in reliquis tamen omnibus ciuem se bonum atque fortem gessisset. Eiusmodi enim sunt reliqua eius instituta et acta, vt, ea si tenea-

neatis, propter ipsa eum summo iure morte sitis mulctaturi. Oportet itaque vos ea, qualia sint, cognoscere. Nam vt defendentium de suis virtutibus, de maiorumque beneficiis in vos collatis praedicationes non aspernamini, ita rursus accusatorum quoque orationes aequis auribus vos accipere consentaneum est, docentium, reos in vos multa peccasse, ab eorumque maioribus incommoda noxasque quam plurimas ad vos esse profectas. Alcibiades itaque hic, adhuc puer, apud Archedemum, illum lippi cognomine, furtorumque enormitate nobilitatum, quibus peculium vestrum depeculatus est, apud hunc ergo, coram testibus quam plurimis, potauit, sub eadem cum illo stragula accumbens. Sed et multo adhuc die comessatum iuit cum scorto, adhuc impuber, maiores ita suos imitans, existimansque, negatum sibi fore adultiori facto, clarum nomen adipisci, nisi in pueritia famam hominis turpissimi atque nequissimi collegisset. Flagitiis palam et aperto capite exercendis cum infamiam contraxisset, ab Archebiade obiurgatus est. Quamquam de eo, iudices, quaenam vos oportet arbitrari, qui flagitiositate morum illius ipsius in offensionem incurrisset, qui aliis flagitiorum magister esset? Oreos Theotimo prodiderat, cum quo insidias in patrem, Alcibiadem seniorem, comparauerat. Potitus itaque loco Theotimus per iunioris proditionem, primum constuprauit eum, iam puberem factum, deinde in carcerem dedit, negans libertatem ei reddendam, nisi certa imperata mercede eam redimeret. Quo tempore tanto pater odio filii exarsit, vt se negaret ossa adeo filii lecturum, si illa in captiuitate diem supremum obisset. Illa eum e captiuitate Archebiades, amator eius factus, patre exstincto, redemit. Non multo autem post, absumtis per aleam bonis, piraticam exercuit. E Leuca Acta euectus amicos ponto demersit. Lon-

gum

gum sit, iudices, omnia enumerare scelera, quibus aut ciues, aut necessarios, aut hospites suos, aut alios quoscunque violauit. Vnum hoc audite. Hipponicus coram multis testibus, ad hanc vnam rem conuocatis, vxorem suam, Alcibiadis huius sororem, domo eiecit, affirmans, hunc Alcibiadem domum suam frequentare, vt vxoris suae non fratrem, sed maritum. Talium, tot numero et tam atrocium sibi scelerum cum conscius esset, nulla tamen eorum ducitur poenitentia, neque futurorum angitur sollicitudine; tametsi vnum eum decebat omnium maxime sobrium atque pudentem esse, quo per vitae suae innocentiam patris criminibus excusationem pararet, et quasi portum aperiret. At ille contra iniuriis atque contumeliis alios vltro lacessere audet, quasi fieri possit, vt cordati homines veram credant vel millesimam partem earum calumniarum, quibus probra sibi domestica gentique suae propria in alios confert. Quem oportebat meminisse, filium se illius Alcibiadis esse, qui Lacedaemoniis auctor fuit Decelear communiendae, quo vos domi vestrae compesceremini; qui vestra cum classe hinc abiit, quo insulas vobis amicas atque fidas a fide abstractas potestati vestrae eriperet; qui hostibus nuda reipublicae latera demonstrauit et vlcera occulta denudauit. qui saepius in castris hostium venit, vt iugum patriae ceruicibus imponeret, quam vobiscum exiit ad hostes perdomandum. Quae tanta scelera tam impii hominis vos par est, vestrique causa et posterorum, vlcisci, quemcunque tandem ex eius prole atque necessariis sub potestatem vestram nanciscamini. Audio quidem eum saepius hoc inuidiosum accentare, haud conuenire, vt, quo ab exsilio reuocatus pater ipsius multis et insignibus donis atque honoribus a populo cumulatus sit, illius exsilii inuidia haud merita et odio iniquo ipse prematur. Mihi vero indignum

dignum videretur, si vos, cum tributos aliquando honores patri rursus derogauissetis, ceu per nefas et citra meritum delatos, tum filium, criminibus et flagitiis obsitum, velletis absoluere; quo locum essetis interpretationi siniſtrae facturi, ac si pater eius ciuis fuisset de patria optime meritus. Verum enim vero, cum alias multas ob causas, tum hanc haud minime ob impudentiam, dignus est Alcibiades, quem condemnetis, quod ad colorandam suam patrisque improbitatem exemplo vestrae virtutis abutitur. Rem a vobis praeclare gestam, quae summae laudi vobis cessit, assimulatum it turpissimo patris facinori, in quo ipsum ait vos imitatum esse. Negat, qua est dementia, patrem in eo scelus atrox commisisse, quod arma patriae infesta intulit. Nam vos quoque exsulantes, Phyla occupata, attici agri culta et sata igni ferroque peruastasse, moenia vrbis adortos esse, iisque rebus omnibus non dedecus liberis vestris contractum reliquisse, sed gloriam immortalem ad omnes homines peruagatam peperisse; quasi pares loco, paribusque modis accipiendi sint, illinc, si qui, ob crimina in exsilium acti, patrium in solum, a ciuibus adhuc legitime insessum, eius desolandi ergo, in castris hostium rediere; hinc, qui in vrbem sibi natalem, a Lacedaemoniis hostibus insessam, vnde per vim et nefas expulsi fuissent, rediere. Atqui constare inter omnes ego equidem de hoc arbitror, Alcibiadem, cum factione, reditum in patriam eo consilio molitum esse, quo, Lacedaemoniis tradito maris imperio, ipsi domi ciuium capitibus insultarent. Vestra plebs autem reditu in patriam armis parto hostes eiecit, ciuiumque etiam illos, si qui seruire vltro vellent, liberali manu in libertatem vindicauit. Orationem itaque Alcibiadis, quis ferat, res inter se quam dissimillimas comparantem? Et nihilominus tamen, in tot tantisque cladibus domesticis, de patris improbi-

tate gloriatur, quem iactat tantum potuisse, vt reip. mala vnus omnia contraxerit. Atqui non potentiae haec, sed sceleroſitatis, est nota. Ecquis enim vnus homo, vel infimus atque contemtissimus, qui patriae malum dare animum induxerit, tam est rerum patriae capitalium ignarus, vt hostibus loca demonstrare, quae occupari e re ipsorum sit, castella indicare parum praesidiis firmata et insidiis oportuna; vlcera publica denudare, quae res labent, aperire, socios in fide nutantes nominare nesciat? Nam, si vnquam, quod tu ais, pater tuus tantum in republica potuit, vt non solum istius potentiae metu in exsilium ageretur, sed etiam per eandem potentiam malis quam plurimis ciuitatem exsul exagitaret, non eum profecto illa potentia statim ita deseruit, domum reuocatum, (quamquam per impostoram a vobis deceptis redeundi veniam minus impetrauit, quam furatus est;) vt, magnae classi cum imperio praefectus, ista tanta cum classe tamen, neque hostes patrio solo proturbare, neque Chios, quos ipse antea ad defectionem impulisset, rursus ad fidem reuocare, neque vllum aliud ornamentum vobis conciliare posset. Quare perspectu facile est, Alcibiadem potentia quidem aliis nil quicquam antecelluisse, flagitioſitate autem vniuersae ciuitatis longe fuisse principem. Vlcera enim si quae nosset vestrae reip., ea ipse Lacedaemoniis vltro aperiebat. Exercitus postmodum vestros tametsi duceret ingentes, imperatoria cum potestate a vobis praefectus, nunquam tamen eos hoc tam acri telo sauciare potuit. Regem Persarum cum recepisset suam in gratiam pecunias vobis praebiturum, vestrum aerarium plusquam ducentis talentis defraudauit. Denique maiestate vestra tam multis et tam atrocibus laesa criminibus, tametsi et ipse facundia polleret, et amicis fideret, diuitiisque affluueret, tamen ausus non est, huc reuersus,

ocu-

oculos vestros sustinere, copiam sui vestrae seueritati facere, rerumque a se gestarum rationem reddere, sed exsilium ipse sibi indixit, Thraciaeque maluit, aliusue cuiuscunque oppidi incola, quam patriae suae ciuis esse. Postremo, quasi cumulus adhuc deesset impietati, cumulum hunc imposuit, ausus vna cum Adimanto classem vestram Lysandro prodere. Quare, si quis est vestrum, quem aut commiseratio ciuium moueat, illa fatali in pugna nauali caesorum, aut pudor ciuium ab hostibus in seruitutem raptorum, aut ob diruta moenia indignatio, aut odium erga Lacedaemonios, aut in triginta tyrannos iracundia, eum oportet horum omnium malorum culpam in vnum Alcibiadem, huius patrem, conferre, atque recordari, ab auis vestris illum Alcibiadem, qui rei nostri auum genuit, item Megaclem, maternum huius nostri rei auum, ambos bis, suffragiis testulariis, quod suffragationis genus ostraciſmum vsurpant, vrbe exactos esse, vestrumque adeo ipsorum qui supersunt adhuc natu paulo grandiores, eos in Alcibiadem, rei patrem, sententiam mortis tulisse. Existimantes itaque vos, hunc ciuitati inimicum quasi a maioribus hereditate traditum esse, condemnare decet, et neque commiserationem, neque ignoscendi lenitatem, neque gratiam vllam maioris facere, quam leges publice fixas, et iusiurandum, quo vos obstricti iudices sedetis. Existimare quoque conuenit, quanam tandem de causa huiusmodi hominibus parcatur; num propterea, quod in rep. quidem ſiniſteriore vſi ſint fortuna, de reliquo autem vitam egerint pudentem atque sobriam? Non multi eorum corporibus prostituendis quaestum fecerunt meretricium? non sorores in matrimonio habuerunt? non liberos aliqui e filiabus ipsi suis quaesiverunt? non sanctissima sacra, profanis oculis negata, vulgo per mimum ostentarunt? non Hermas amputarunt? non

deos omnes sacrilegiis violarunt? non totam remp. offenderunt, cum in alios iniuriis, legumque audacissimis perfractionibus grassando, tum sese mutuo fraudibus, et periuriis et conuiciis exagitando, qui a nullo facinore audaciae pleno se abstinuerunt, nullam atrocem machinationem sibi reliquerunt intentatam. Quaecunque passi sunt mala, pro meritis passi sunt, eadem, quae aliis dedissent. Ea enim sunt mente, vt laudum quidem atque decorum eos pudeat, in dedecoribus autem se iactent atque exsultent. Interdum, iudices, absoluitis homines, visos quidem illos vobis fontes, cum spe tamen, fore vt resipiscant aliquando, probabilesque atque frugi fiant. Ab hoc autem Alcibiade ecquod tandem bonum resp. speret se percepturam? quem stipitem et fungum esse, ex ipsius oratione, cum pro se dicet, intelligetis; nequam autem eundem esse, e reliquis eius moribus vobis iam constitit. Ne hoc quidem est, quod metuatis, ne vrbe eiectus malum vobis inungat. Ecquod enim vobis malum det homo, qui timidus idemque pauper sit, ad res ingentes suscipiendasque atque gerendas corporeque animoque torpens et inualidus, cum necessariis ipse suis diffidens, odiis aliorum oppressus. Quae omnia faciunt, vt necesse nil habeatis eum reformidare, sed statuendum potius in eo vobis sit exemplum, in quod intuentes cum alii, tum imprimis amici eius resipiscere discant, qui, cum imperia vestra gaudeant aspernari, tum studia Alcibiadis imitari ardent; reique suae familiari male cum prospexerint, tamen concionantes vobis auctores fieri consiliorum de administranda atque tuenda re vestra publica non erubescunt. Iam ego hac accusatione, quam potui, optime defunctus, probe noui, in hac circumstante corona fore, qui mirentur, qui occulta huius Alcibiadis facinora tam sollerter indagare potuerim. Ipse autem hic, credite mihi, me

ridet,

ridet, qui ne centesimam quidem partem dedecorum, quorum ipse sibi conscius est, enumerauerim. Vos itaque vobiscum et modo a me dicta, et praetermissa reputantes, hoc magis eum condemnate, recordati maiestatis eum crimine teneri, cuius criminis eum ego reum feci, magnamque ciuitatis esse felicitatem si tales a se ciues amoliatur. Recita tu [scriba] ipsis [iudicibus] leges et iusiurandum, et formulam accusationis. Istorum enim memores aequam et iustam ferent sententiam.

ORATIO XV.

quae est accusatio eiusdem Alcibiadis eodem de crimine.

Cum vos rogo, iudices, vt ex aequo et vero pronuncietis, tum Strategos oro, vt, quemadmodum in omni reliqua magistratus sui functione dignos se fide famaque reip. gesserunt, ita etiam in causis ἀστρατείας [h. e. absentiae a castris] aequos se communesque parti litigantium vtrique praebeant, neutiquam vero, alteri parti, in quam propendeant magis, succurrendo, conentur omni neruorum contentione sententiam aequo iuri aduersantem vobis extorquere; qui reputare vobiscum debeatis, quam grauiter sitis laturi, si Thesmothetae in censu nostro [cum scrutinium morum nostrorum nobis est tolerandum] in hunc suggestum ascendant, atque inde verba facientes vos orent, vt quos ipsi condemnatos velint, eosdem vos quoque condemnare velitis. Grauissime vtique laturi mihi videmini, si, qui Strategi concertationem inter accusatorem reumque commisissent, atque tabellas inter iudices distribuissent, iidem Strategi vobis, qui iudices estis, praescribere sustineant, vt alios absoluatis, alios condemnetis. Ecqui mos alius sit turpior, quod institutum reip. exitiosius, quam si Archon in causis virginum orbarum nubilium, quae heredes sint patrimoniorum a patribus relictae, iudices roget, vt li-

tem ſecundum ipſius arbitrium dent? aut ſi Polemarchus et Vndecimuiri rerum capitalium id idem faciant in cauſis ad forum ipſorum pertinentibus? Pari modo aequum eſt in hac quoque, quae nunc agitur, cauſa Strategos liberum, quod penes vos eſt, cenſendi ius vobis relinquere, neque interponenda auctoritate ſua vobis obſtrepere. Sed et vos decet, iudices, pari cum aequitate atque ſanctimonia hac in cauſa diſceptanda verſari, reputantes, aeque parum decere veſtram perſonam, vt in cauſis non obitae militiae cuiquam peculiariter faueatis, atque Strategos decet pro quoquam apud vos intercedere; eos nempe Strategos, qui cum tabellis, quas vobis tradiderunt, vna quoque liberum arbitrandi ius tribuerunt. Videte nunc, iudices, ſitne hoc, quod nunc proferam, ſatis idoneum documentum, vnde conſtet, Strategos eosdem, qui nunc pro Alcibiade ſic contendunt, tum temporis, quum in caſtris adhuc ageremus, nondum corruptos, neque in fauorem eius conciliatos fuiſſe. Vera enim ea ſi eſſent, quae nunc illi iactant, oportebat eos tum ſtatim ad tribunal ſuum citatum Pamphilum obiurgare, quod Alcibiadis ementita denuntiatione [*Φάσει*] remp. equite fraudaret. [Pamphilus nempe actionis illo genere, quod *Φάσις* appellatur, Alcibiadem erat perſecutus, eo titulo, quod Alcibiades equitem ſe gereret, qui equum publicum a rep. nullum vnquam accepiſſet.] Oportebat item, eosdem Strategos Phylarcho, ſeu praefecto turmae eius, cui Alcibiades ſe ingeſtum ibat, mulctam pecuniariam irrogare, qui illa e turma Alcibiadem extruſiſſet, eoque pacto ſuam [Strategorum] minuiſſet auctoritatem, imperiumque debilitaſſet, atque irritum feciſſet, quo Alcibiadi locum in equitibus ipſi aſſignaſſent. Oportebat denique, Strategos Taxiarcho, ſeu centurioni illius manipuli, in quo Alcibiades adhuc pedes meruiſſet, mandare, vt nomen eius ex albo illius

lius manipuli expungeret. Iam vero Strategi nihil horum omnium, neque fecerunt, neque fieri curarunt; sed Alcibiadem passi sunt in castris oberrare probris et sannis et conuitiis omnium exagitatum, et in equestris militiae genere vilissimo, in sagittariis equestribus, merere. Postquam autem, causa ad vestrum tribunal delata, res eo deuenit, vt nefarii facinoris reo poenae sint dandae, gratificantes Alcibiadi Strategi falsum perhibent testimonium, a semet ipsis eum in equestri militia fuisse collocatum. Indigna enimuero, iudices, atque nefanda res. Qui Strategi, quamuis ab vniuerso populo delecti, penes quem solum ius et arbitrium est honorum deferendorum, tamen ausuri prius non sint imperium in vos militare capessere, quam in scrutinio legitime probati fuissent, hos eosdem Strategos nunc audere, arbitratu suo, nulla eius rei auctoritate instructos, patriae legibus inuitis atque aduersantibus, Alcibiadi noua munia demandare, locumque nouum assignare! Qui ferendum sit, iudices, penes quos Strategos non est, quem velint, ex ordine equitum, quem in ordinem nemo cooptatur non probatus, in ordinem scutatorum transferre, vbi scrutinio plane nil opus est, eos Strategos e scutatis, quorum nullus est probatus, quemquam in ordinem equestrem, ad quem sine censu nemo admittitur, tamen transferre, censu ante non habito? Quod si Strategi potestate militares ordines pro lubitu perturbandi gauderent, conniueatis forsitan ipsis, quamquam haud scio an nullo iure, si, gaudentes hac potestate, multis in equestrem ordinem transferri flagitantibus hanc gratiam denegassent, vni Alcibiadi indulsissent. Iam vero ipsi negant sibi potestatem esse munia militaria distribuendi. Oportet ergo vos recordari, iusiurandum esse a vobis dictum, spondentibus sententiam ex aequo et vero pronuntiandam, non prout hi vobis au-

ctores facti fuerint. Neminem rogantium atque supplicantium pluris conuenit a vobis fieri, quam vosmet ipsos et religionem iurisiurandi a vobis dicti. Quod si cui vestrum grauior aequo poena haec videbitur, et lex nimis rigida, meminisse oportet, vos nunc sedere, ea de causa, cuius ergo disceptandae conueniistis, non leges conscriptum, sed sententiam latum ex praescripto legum dudum publice fixarum; neque, quo commiseratione criminosos amplectamini, sed multo magis irae vestrae seueritatem in eos expediatis, vniuersaeque reip. labanti succurratis, probe qui teneatis, poenas criminum iam commissorum a paucis quibusdam repetendo vos hoc esse consecuturos, vt qui imposterum pro patria dimicaturi, capitaque sua belli periculis obiecturi sint, hi disciplinae militaris sint tenaciores. Suae solummodo saluti si prospexit Alcibiades hic, immemor eorum, quae patriae deberet ipse, et quae sors patriam maneret, pensi non faciens; oportet contra, iudices, vos saluberrimis consiliis conferendis ita patriae prospicere, vt nullam rursus habeatis Alcibiadis rationem, praesertim, qui et iureiurando receperitis, pro optima vestra fide atque facultate verissime atque religiosissime pronuntiaturos, et nunc de Alcibiade laturi sitis sententiam, qui si vos circumuenerit, hinc discedet totam ciuitatem lato cachinno explodens. Non enim profecto gratiam vobis referet, vbi tabellis, clam in cistam inferendis, bene de eo promeruerit. Nesciet enim, cui vestrum salutem suam debeat. Praeterea ne didicit quidem Alcibiades acceptorum beneficiorum memor esse Amicis enim palam bene de se meritis bonam gratiam pessima rependit. Planum vobis factum est, Alcibiadem, qui a rep. iussus esset in peditibus grauis armaturae militare, statione illa deserta, legibus repugnantibus, nullo probatum scrutinio, in equestrem militiam se ingessisse, et quarum rerum pote

statem

ſtatem leges ſibi ſolis reſeruant, vetantes praeter ſe cuiquam quicquam illis in rebus licere, ſiue Strategus ſit, [magiſter militiae pedeſtris,] ſiue Hipparchus [magiſter equeſtris,] ſiue alius quicunque, earum rerum arbitrium atque licentiam ipſum ſibi, qui priuatus eſſet, arrogaſſe. Iam ego equidem haec praefatus, cum quo Archeſtratidae operam nauarem, homini amico, tum, quo Alcibiadem vlciſcerer, hominem inimicum. vos rogo, vt aequa et ſancta pronuntietis, eadem induti mente, quae tum vobis erat, in procinctu ſtantibus, cum hoſte congredi paratis.

ORATIO XVI.

qua Mantitheus, honorem petens, morum vitaeque a ſe actae rationem reddit.

Niſi noſſem, ſenatores, omni modo accuſatores contendere mihi malum dare, magnam ipſis gratiam huius accuſationis haberem, exiſtimans, iniuſta oneratis calumnia ſummorum bonorum auctores atque conciliatores eſſe eos, ſi qui ad neceſſitatem reddendae rationis de omni ſuperiori acta vita ipſos adigant. Ego enim ita ſecurus ſum, fidoque ipſe memet, vt ſperem, etiamſi quis animo a me ſit alieniore, eum tamen eſſe hanc maleuolentiam ſecundiore opinione mutaturum, poſteaquam ex oratione mea de moribus meis omnique vitae ante actae ratione certior fuerit factus, animoque ſuo hanc de me inducturum eſſe opinionem, vt multo me virum fortiſſimum atque honeſtiſſimum impoſterum habeat. Videte, ſenatores, num ſponſio placeat, quam vobis offero. Solum hoc ſi docuero, me formae reip., quae nunc eſt, beneuelle, et in neceſſitatem deueniſſe eadem vobiscum pericula ſubeundi, exiſtimate, me nil admodum magnum elaboraſſe. Sin autem planum fecero, me caeteris quoque

in rebus modeſtum ciuilemque me geſſiſſe, multoque id magis, quam vulgaris fert opinio, inimicorumque vult criminatio, tum rogo vos, vt iudicio veſtro approbatum me ad gerendum honorem admittatis, hos autem accuſatores mei homines turpes infamesque habeatis. Primum autem hoc docebo, me, tenente triginta tyrannorum tyrannide, neque equo publico meruiſſe, neque in vrbe fuiſſe, eoque nullam in partem rerum ab iis tum geſtarum veniſſe. Pater enim nos [fratres, liberos ſuos] iam ante cladem in Helleſponto acceptam, in Pontum miſerat, ad Satyrum, notum illum Ponti regulum. vt ibi moraremur. Quo factum, vt, neque cum moenia diruerentur, neque cum noua reip. forma indueretur gubernationis, intereſſemus. Sed rediimus quinto, non citius, die ante, quam exſules e Phyla in Piraeeum redeuntes appellerent. Iam credibile non eſt, nos in articulum temporis tam turbidum atque tam ſuſpicioſum compulſos, cupiditate fuiſſe tentatos periculis nos immiſcendi ad nos nil pertinentibus. Aeque parum rurſus conſtat, illis tyrannis hanc fuiſſe mentem, vt ipſos adeo peregre agentes, nulloque ſcelere ſibi cognitos, ad participationem ſui dominatus admitterent. Contra vero multo magis hos probris atque contumeliis dehoneſtabant, quam eos honoribus cumularent, quos in euertenda rep. ſocios atque adiutores habuiſſent. Sed aiunt nomen meum in tabula ſcriptum eſſe inter eos, qui tum equeſtri militia functi fuere. Atqui ſtulta haec eſt colligendi ratio. Nam in illa tabula multorum nomina ſcripta non proſtant, qui ipſi profitentur, ſe tum in equitum numero fuiſſe. Rurſus ibi ſcripta leguntur aliorum nomina, qui, ſi neceſſe ſit, vel iureiurando ſint confirmaturi illa militia ſe nunquam functos eſſe. Eſt igitur hoc quidem argumentum ſiculneum. Ego vero firmiſſimum hoc oppono

bonae

bonae meae cauſae documentum, in reliquis palmarium. Ex quo in patriam rediſtis, praefectis turmarum equeſtrium decreto mandaſtis, vt in tabulis perſcripta vobis exhiberent nomina functorum equeſtri militia, quo manupretia ab ipſis redigeretis. Iam nemo facile erit, qui doceat meum nomen aut a magiſtris turmarum exhibitum vobis, aut rurſus a vobis traditum Syndicis fuiſſe, h. e. aduocatis fiſci, aut me manupretium in anteceſſum tuliſſe. Obuium tamen eſt vnicuique facileque cognitu, niſi praefecti turmarum nomina ederent habentium manupretia, luendum ipſis de ſuo fuiſſe pro illis, ſi quos celarent. Quapropter vos indici a praefectis turmarum exhibito multo maiorem habebitis fidem, quo ab indice nomen meum abeſt, quam teſtimonio tabulae, cui nomen meum per nefas inſcriptum legitur. Nam ex illa tabula facile erat volenti cuique expungi; quo factum eſt, id quod dicere memini, vt multorum ibi nomina minus legantur, quos conſtat in equis meruiſſe ſub triginta tyrannis; et rurſus pariter erat facile aliorum nomina falſo ſubiici. Fidem itaque ille laterculus haud meretur. In illo autem Phylarchorum indice neceſſe erat, quotquot tum temporis in iſta reipublicae perturbatione equeſtri militia functi fuiſſent, eorum nomina omnium ſumma fide diligentiaque perſcripta eſſe, vt neminis nomen deſideraretur. Praeterea, Senatores, ſi reuera ego in illa meruiſſem militia, non profecto id, velut grande quoddam ſcelus, irem infitiatum, ſed planum facerem, ciuium omnium nullum a me malo affectum eſſe, eoque facto, ſic demum rogarem vos, vt in ſcrutinio probatum me in ſenatum allegeretis, de repulſa ferenda nil veritus. Video enim vobiſmet ipſis quoque mentem hanc mecum eandem eſſe, vt illa militia functos nihilo per eam factos deteriores, neque honoribus petendis redditos inhabiles exiſtimetis. Multos eorum, qui

tum

tum equites fuere, nunc video, alios in senatu, alios magistros pedestris militiae, alios equestris creatos. Quod si ergo nullius mali facinoris hactenus insimulari possum, existimate hanc esse luculentissimam mei defensionem, atque confessionem vi veritatis ab ipsis accusatoribus expressam, ipsos ausos esse mendacio me perspicuo atque manifesto percellere. Ascende tu mihi, atque testare. *Testimonium.* De hac quidem itaque incusatione, senatores, non video quid attineat me amplius verba facere. Sed supereſt adhuc aliud quid, hac oratione mihi necessario exsequendum. Aliis in causis sufficit, defensorem criminationes accusatoris a se depulisse atque refutasse. Verum huiusmodi in causis, atque haec mea est, vbi nimirum quaeritur, sintne homini in iudicium adducto mores ii, ob quos dignus honoribus habeatur, reddenda reo est totius ab ipso actae vitae ratio. Id quod ego nunc facturus maiorem vos in modum rogo, senatores, atque obtestor, vt aequi atque beneuoli me audire velitis. dicturum pro me quam potero breuissimis. In fortunarum ista mediocritate, quae a patre mihi relictae fuerant, (facultates enim nostrae per calamitates, alias patris priuatas, alias ciuitatis communes, admodum conciderant) duas tamen sorores elocaui, minis tricenis in dotem vnicuique additis; cum fratre vero hereditatem ita creui, vt ipse fateretur, se partem patrimonii longe amplissimam abstulisse. Reliquos erga ciues autem ita me gessi facilem atque sedatum, vt nulla mihi lis vnquam cum quoquam intercesserit. Sic in priuatis. In rep. autem grauissimum hoc atque luculentissimum arbitror esse meae continentiae documentum, quod quicunque adolescentium aut alea, aut compotationibus, aut aliis eiusmodi friuolis atque pudendis intemperantis lasciuiae oblectamentis otium fallerent, hos omnes, inquirere si velitis, deprehensuri sitis, a me

animis

animis abalienatos, ſimultates mecum exercere, rumuſculoſque de me maligniores, a ſe per mendacium confictos, diſſeminare; quibus animus, id quod in confeſſo eſt, erga me ſit longe alius futurus, ſi ſtudia cum ipſis eadem fuiſſem ſectatus. Porro, ſenatores, nemo eſt vnus omnium, qui demonſtrare poſſit me vnquam aut ob priuatam aliquam turpem cauſam in ius vocatum, aut maieſtatis perduellionisue poſtulatum eoque nomine apud magiſtratus delatum, quamquam alios haud raro videtis eiuſmodi certaminibus implicari. In expeditionibus denique militaribus et periculis pro patria obeundis, videte, ſenatores, qualem me patriae praeſtiterim. Primum inſtante illa expeditione, qua ſuccurrendum cita ope Haliarto erat, vi pactorum de ſocietate belli, quam cum Boeotis inieratis, videns ego reliquos omnes equeſtrem militiam pedeſtri praeferentes, quod opinarentur, equitibus neceſſario ſecuritatem, peditibus autem diſcrimen eſſe propoſitum, tametſi id facerent non ſcrutinio probati, contra legis auctoritatem; ad Orthobulum acceſſi, equeſtris militiae magiſtrum, a quo illam in militiam allectus fueram, rogans, vt ex albo ſuorum equitum meum nomen expungeret, dedecori mihi futurum ratus, me militia fungi ea, quae vt mihi eſſet tuta, reliquis periculoſa fungentibus, comparaſſem. Aſcende mihi, Orthobule. *Teſtimonium.* Congreſſis itaque, antequam in caſtra exiremus, in concionem municipalibus, cum me haud quaquam fugeret, eſſe in ipſis haud paucos, honeſtos quidem illos ciues, militesque ſtrenuos et acres, verum viatico carentes neceſſario, ad cibaria, ad arma, ad reliquum expeditionis inſtrumentum comparandum, auctor ego fiebam locupletioribus, vt egentibus de victu proſpicerent. Neque verbis modo, ſed exemplo quoque auctor iis fiebam, duobus municipalium de meo tricenas viritim drachmas largiens, non

quo

quo patrimonii iactarem amplitudinem, quod est modicum, sed quo exemplum aliis praeirem. Ascendite mihi testes. *Testes.* Postmodum, senatores, incidente illa expeditione, quae nobis ad Corinthum suscipienda fuit, multis militiam desugientibus, quod liquidum esset omnibus, rem ad arduum pugnae decretoriae discrimen esse deuenturam, precibus ego, gratiaque et contentione mea ab imperatoribus impetraui, vt prima in acie pugnandi locus mihi assignaretur; et quamquam equestris turma, in qua ego merebam, clademaccepisset tantam, quantam alia nulla, commilitonumque plerique occubuissent, ego tamen excessi, ugna post ipsum adeo illum militem glorioſum, Thrasybulum Stirienſem, quem nil puduisset, ignauiam atque pauorem nemini non exprobrare. Ita omnes prae se contemnebat. Non multo post, cum loca quaedam circa Corinthum munita, a nobis occupata, praesidiis nostris teneremus, videns Ageſilaus, illa sibi loca inacceſſa et imperuia esse, conuertebat arma in Boeotiam, irrumpens in agrum vacuum, inermemque ideo relictum, quod nemo speraſſet, hostem illuc esse penetraturum. Decernebant itaque principes, delectos aliquot illuc mittere manipulos, qui hosti resisterent, amicisque laborantibus succurrerent. Ibi trepidantibus omnibus, neque immerito, arduum enim et anceps erat, qui vix et aegre periculo euasissemus, eosdem nos iterum nouo discrimini obiici; egi ego cum tribuno cohortis meae, vt cohortem nostram etiam extra sortem illuc mitteret. Quod si ergo vestrum sunt, qui stomachentur in eos, si qui, cum discrimina publica defugiant, honores tamen ambiant quaestuosos, remp. carpere auentes, et ex eius administratione ditescere, nil est, quod ab hoc genere collegarum vestrorum mihi timeam. Is enim ego non sum, qui cum illis ignauis et cupidis in eundem cogi debeam ordinem; quippe qui

pe qui non imperata modo promtus et alacer exſecutus ſim, ſed etiam labores vltro depopoſcerim. Id quod eo non feci, quo rem leuem atque contemnendam ducerem, cum Lacedaemoniis dimicare, ſed quo, ſi forte aliquando iniquiorem aliquam in cauſam in foro agitandam per nefas coniicerer, ius ego meum hoc facilius impetrarem, quod vos omnes his meae virtutis exemplis moti, fortem me ſtrenuumque iudicaretis. Aſcendite vos mihi horum futuri teſtes. *Teſtes.* Quaecunque poſtmodum ſuſceptae ſunt expeditiones bellicae, ab earum nulla abfui. copiae ſi quae vſquam locorum emitterentur ad praeſidendum in caſtello quopiam, etiam illis interfui. Quoquo exiretis, inter primos in viam me dedi, et in redeuntium poſtremis fui. Atqui gloriae cupidos, et temperantiae deditos, ex huiuſmodi documentis virtutis ſpectare oportet, non ideo odiſſe, ſi quis lingua ſit paulo promtior et ſubferoculus. Mores enim huiuſmodi ſubagreſtes, quorum laboro inuidia mihi concitata, nemini, neque publice, neque priuatim nocent; contra pro patria dimicare promti, quam plurimum vobis omnibus proſunt. Decet ergo, ſenatores, non e forma quemque habituque corporis in oculos incurrente, neque amare, neque odiſſe, ſed e facinoribus animum ſpectare. Multi enim, quibus vox eſt ſubmiſſa, oratio verecunda et conciſa, inceſſus ſedatus, et ad pudorem compoſitus, magna vobis ſaepe numero mala concitarunt. Alii, contemtores eiuſmodi ineptiarum, multis magnisque vos ornamentis cumularunt. Animaduerti quoque, nonnullos hoc moleſte ferre, quod ego, adhuc adoleſcentulus, cum populo tamen agere ſuſtinuerim. Sed accipite meas excuſationes. Primum pro fortunis meis omnibus cauſam in concione dicere coactus ſum. Deinde, quamquam ipſe memet ſentio ad orationis aliquam inſolentiam a gloriae cupiditate vltra, quam par eſſet,

esset, euectum, in loco tam lubrico me labi mirandum non erat, qui, cum maiorum meorum erga remp. voluntatem recordarer, nullos non honores adeptorum, nullis non muniis functorum, tum vos arbitrari viderem, (oportet enim id fateri, quod res est,) solos mei similes aliquo in loco atque censu esse habendos. Videns itaque vos ea mente praeditos, ecqui non efferrer pro rep. et agendi et loquendi fuducia? Ecquid tandem quoque vos huiusmodi hominum, cuiusmodi ego vobis videor esse, poeniteat? Acquiescens itaque vestro de me iudicio, reliquorum fremitus tanti non faciam; qui ecquid tandem mihi nocebunt? Non ipsi sunt huius causae cognitores, sed vos estis.

ORATIO XVII.

quae est prima earum trium, quibus populus iniuriarum reus agitur, ob bona insontium per nefas publicata.

Fortasse vestrum quidam, iudices, propterea quod me hominem frugi esse volunt, aliis etiam facundia praestare autumant. Tantum autem abest, vt de rebus ad me nil pertinentibus ornate probabiliterque verba facere sciam, vt potius verear, ne ipsis de rebus ad me ita pertinentibus, vt facere nequeam, quominus dicendo eas agitem, ne ea quidem, quae e re sint, disputare valeam. Interim tamen, vbi omnia vobis inter meque liberosque Eratonis gesta ordine expoſuero, spero me hoc consecuturum, vt ipsi per vos facile inueniatis, quae decernenda vobis sint hac in διαδικασία, seu actione in fiscum, qua partem bonorum Eratonis publicatorum mihi vindicatum eo. Accipite ergo rem a principio. Eraton, Erasiphontis pater, ab auo meo dua talenta mutuo sumserat. Eratonem hoc argentum numeratum tulisse, et tantundem sibi credi rogasse, testabuntur vobis hi, coram quibus illud aes contractum

ctum fuit. *Testes.* Quam vero in rem Eraton id impenderit, et quantos inde fructus perceperit, de eo vos isti melius, atque ego, docebunt, qui certius norunt, in re eius familiari tractanda versati. Rursus cita mihi testes. *Testes.* Donec igitur Erato quidem in viuis supererat, et vsuras ab eo aufferebam, et reliqua omnia, quae ex pacto tabularum ille mihi debebat praestanda. Ex quo autem viuis excessit, liberi eius relicti, Erasiphon, Eraton iunior, et Erasistratus, parti nulli iuris mei satisfecerunt. Iam inter belli fremitus interquiescente litium disceptatione, negatum mihi fuit debita ab iis redigere. Quam primum autem, restituta pace, causae priuatae rursus in foro coeperunt agitari, litem instituebat pater super vniuerso debito aduersus Erasistratum, qui fratrum solus in vrbe tum aderat. Quem sub Archonte Xenaeneto condemnauit. Etiam horum dabo testes. Cita testes. *Testes.* Eratonis itaque bona de jure nostra fuisse, nullus dubito quin vos ex his facile intelligatis. Eadem autem illa bona vniuersa fisco addicta esse, facile perspectu id e tabulis τῆς ἀπογραφῆς est, seu recensus bonorum publicatorum. Tres enim quatuorue diuersi homines totidem diuersos indices vniuersorum Eratonis bonorum a se confectos in aerario deposuerunt, rebus omnibus inter se consentientes. Atqui nemini non hoc est obuium, illos recensores in recensibus istis suis conscribendis non facile quicquam fuisse praetermissuros, si quid adhuc aliud in bonis Eratonis fuisset, praeter haec bona, de quibus controuersia nunc agitur. Recensentes ergo bona Eratonis omnia, etiam haec, quae ego iamdudum possideo, illos in indices redegerunt. Sed et hoc perspicuum arbitror esse, si vos haec bona, quae mea sunt, ad fiscum trahatis, negatum nobis esse aliunde id exigere, quod nobis a filiis Eratonis debetur. Audite adhuc super isto quo-

que capite, cum vitio nobis datur, iisdem de bonis nos et vobiscum, et cum priuatis quibusdam hominibus in iure agere. Res sic se habet. Donec Erasiphontis necessarii nobiscum super his bonis contendebant, vniuersa illa bona mea esse aiebam, hoc titulo, quod Erasistratus cum patre meo de toto nomine contracto litigans, causa cecidisset; et agrum Sphettium iam tertium in annum mercede pacta elocaui; de rure autem Cicynnensi, et de domo in vrbe, quae quondam Eratonis fuerunt, cum possidentibus iure experiebar. Verum has actiones anno superiori discederunt homines quidam, qui se mercatores ferebant; et iudices rei mercatoriae atque nauticae, qui nuper mense Gamelione sortiti sunt, actiones has nondum disceptarunt. Posteaquam vero vobis visum fuit Erasiphontis bona fisco addicere, remisi quidem fisco duas partes bonorum ab Eratone relictorum, tertiam vero partem, quae est Erasistrati, postulo mihi per sententiam vestram adiudicari; et id iure quidem, quoniam iamdudum ante illa bona nostra esse pronunciauistis. Tertiam ergo solummodo partem de bonis eorum mihi reseruaui, decisionem obseruans non diligentissimam. Multo enim plus quam duas partes fisco reliqui, id quod facile cognitu est ex aestimatione bonorum illorum. Vniuersa enim bona aestimata sunt talenti et pluris. Quae autem ego mihi vindico, eorum alterum quidem quinque minis, alterum vero decem aestimaui in libello meo accusatorio. Quae si pluris vaenibunt, sectioni subiecta, excessum aerario permittam. Quo itaque certi sitis, vera haec esse, quae dico, testes ad vos producam, primum quidem eos, qui rus Sphettium a me mercede conduxerunt; deinde vicinos ruris Cicynnensis, qui norunt nos iam tertium in annum hoc de rure in iure contendisse; denique etiam magistratus anni superioris, ad quos hae actiones delatae tum fuerunt,

runt; postremo arbitros, qui nunc sunt, rei maritimae. Praeterea recitabuntur vobis etiam indices horum bonorum proscriptorum. Nam ex iis potissimum intelligetis, nos non nuper demum coepisse bona illa nobis vindicare, neque nunc cum aerario contendere super summa maiore, quam est ea, super qua cum hominibus priuatis antea contendebamus. Testes cita, *Testes.* Tenetis iam, iudices, non contra ius et fas me postulare, vt litem hanc, quae mihi cum rep. super bonis Eratonis proscriptis est, secundum me detis, sed magnam quoque partem eorum, quae mihi iure optimo debebantur, aerario concessisse, ideoque iure poscere, vt pauxillum hoc, quod ipse mihi reliqui, reddatur. Superest, vt id agam, quod mearum duco partium esse, vt et vos supplex rogem, iudices, et hos vna. aduocatos fisci, coram vobis.

ORATIO XVIII.

qua liberi Eucratis, qui frater Niciae, imperatoris clarissimi, erat, aduersus Poliarchum agunt, qui videtur patronus fisci fuisse, bona sua a proscriptione vindicatum euntes.

* * Quapropter vobiscum reputate, iudices, et qui nos ipsi simus ciues, et quorum ciuium necessarii, qui nunc vos rogamus, iniuriam passi, vt commiseratione sortis nostrae moti, ius nostrum nos adipisci patiamini. Non enim de fortunis solummodo, sed ipso adeo de statu ciuili periclitamur, hoc est, num par sit, libertatem, qua resp. haec gubernatur, nos quoque participare. Primum quidem Niciae recordamini, qui patris nostri frater fuit. Quaecunque is auspiciis suis, auctore et arbitro semet, pro plebe vestra gessit, ea sunt eiusmodi, vt quamcunque in partem spectentur, diluceſcat, multa ab eo commoda at-

que ornamenta ad remp. profecta esse, ad hostes autem clades et numero plurimas, et re grauissimas. Quae autem inuitus et coactus gessit, molestiarum inde enatarum partem ipse non minimam exantlauit, et culpa calamitatum publicarum vacat, in eos merito conferenda, qui pernicioforum illorum consiliorum auctores vobis fuere. Voluntatem ille quidem erga vos suam in secundis vestris temporibus, et in hostium aduersis, testatam fecit; quorum multa cepit oppida, praeclaraque fixit tropaea, tot numero, vt longum sit enumerare. Frater illius, Eucrates, pater noster, suae erga plebem vestram caritatis documenta edidit non minus luculenta. Victa enim classe vestra in illo fatali praelio nauali, [ad Aegospotamos] imperator a vobis creatus, a sceleratis, libertati plebis vestrae insidiantibus, ad communionem principatus cum optimatibus inuitatus, obsecundare noluit, quamquam eo deprehensus tempore, quo plerique animum cum fortuna mutant, seruientes praesentibus, aurisque cedunt reflantibus. Plebe rebus aduersis oppressa, cum ab administratione reip. non excluderetur, neque priuatae ipsi simultates cum factione dominatum affectante intercederent, sed liceret ei in numero triginta virorum esse, neminique eorum potentia cedere, maluit tamen in contentione salutis vestrae tuendae mortem oppetere, quam oculis spectare suis moenium vestrorum ruinas vestris manibus diseerptorum, classem vestram in potestatem hostium deditione venientem, plebem vestram iugum seruitutis subeuntem. Pari modo haud multo post Niceratus, Niciae filius, frater meus patruelis, ob beneuolentiam, qua plebem vestram amplectebatur, comprehensus a triginta viris, mori coactus est; non, quo tyrannis, aut ob genus, aut ob facultates, aut ob aetatem, indignus communione principatus haberetur, sed quod ea essent, et

ipsius,

ipsius, et maiorum, de plebe vestra merita, vt, ne si vellet quidem, formam gubernationis mutatam appetere posset. Norant enim tyranni, vniuersum Niciae genus ob partes, quas illud genus in rep. secutum esset, semper in honore atque reuerentia fuisse habitum, saepe pro salute vestra pericula adisse, grandes collationes pecuniarias de suo ad necessitates reip. contulisse, munera edidisse splendidissima, nullas vnquam a rep. sibi demandatas partes defugisse, sed omnes lubenti animo exsecutos esse. Iam quinam alii nobis sint miseriores futuri, si sub tyrannis quidem beneuolentiae erga plebem poenas morte luerimus, restituta vero plebi libertate bonis priuemur, quasi poenas maleuolentiae nescio cuius debentes. Diognetus ipse quoque, a calumniatoribus atque delatoribus in suspicionem odiumque tyrannorum adductus, mortis quidem periculum fuga elusit, nulla tamen animi vobis infesti indicia illo in exsilio edidit. Non cum sociis exsilii, qui haud pauci erant, vestram vrbem oppugnatum venit; non Deceleam occupauit. Denique nullum vnquam ad vos incommodum ab eo profectum est, neque exsilium tolerante, neque domum reuerso, sed tanta fuit eius virtus, vt sceleratos, a quibus vexati essetis, ardentiori etiam odio prosequeretur, quam caritate amplecteretur eos, quibus beneficium reditus in patriam deberet. Obtinentibus tyrannis, honores gessit nullos; vt primum autem Lacedaemonii in Academiam venerunt, Pausania duce, assumtis Nicerati filio nobisque, qui tum adhuc pueri eramus, accessit ad Pausaniam, cuius in genua cum Nicerati filium imposuisset, nobis circum adstare iussis, miserabili ad Pausaniam reliquamque coronam oratione exposuit, quantas toleraſſemus iniurias, et quantam sortis duritiem, rogauitque Pausaniam, vt amicitiae memor, hospitiique, quod ipsi cum necessariis nostris intercessisset, nobis succurrere, atque oppres-

fores vlciſci dignaretur. Qua orationis grauitate atque miſerabilitate iniecta fuit Pauſaniae menti quaedam erga plebem noſtram propenſio, vt mala genti noſtrae a tyrannis oblata circumſtantibus amicis pro exemplo proponeret, vnde diſcerent, quam flagitioſi et conſcelerati homines hi tyranni eſſent. Clare enim iam perſpicueque conſtabat Peloponneſiis, qui tum vna cum Pauſania noſtram ad vrbem venerant, non peſſimos ciuium peremtos fuiſſe, ſed eos, quos et generis ergo, et diuitiarum, et reliquarum virtutum, in honore eſſe oportuiſſet. Tanta penes Pauſaniam erat noſtri commiſeratio, tam alte in eius animum perſuaſio de indignitate atque atrocitate iniuriarum nobis oblatarum deſcenderat, tantus inuaſerat contemptus atque auerſatio tyrannorum, vt cum ab his miſſa nomine hoſpitalis coenae munera repudiaret, tum a nobis miſſa admitteret. Non ergo indignum atque nefas ſit, hoſtibus quidem iis, qui ad tuendam atque conſtabiliendam optimatum dominationem veniſſent, pueritiam noſtram commiſerationem mouiſſe; nunc autem, hoc aetatis agentes nos, poſt tot edita tantaque noſtrae erga remp. voluntatis documenta, a vobis, o iudices, qui eſtis aequi iuris ciuilis vindices atque ſtatorea, bonis omnibus ſpoliari; nos, quorum maiores pro libertate veſtrae plebis mortem oppetierint? Certus ſum, iudices, Poliuchum ſummi facturum, ſi ſibi contingat, hoc certamen ex animi ſui ſententia decertare; ideo ſolummodo, quo praeclaram habeat oportunitatem, et ad ciues, et ad peregrinos, ſuam iactandi potentiam, qua tantum valuiſſet, vt vos eosdem permoueret ad contraria vobismet ipſis ſciſcendum, iis de rebus, de quibus ipſi vosmet ſanctiſſima iurisiurandi religione obligaſſetis. Permanabit enim tum rumor ad omnes, Poliuchum eſſe eum, qui, cum nuper auctoritate ſua perfeciſſet, vt decreto publico mulcta mille drach-

drachmarum ei ſanciretur, ſi quis fundum noſtrum proſcribere auderet, nunc legem pertuliſſet eodem de fundo noſtro publicando; quo factum eſſet, vt Athenienſes accuſari poſſent, contra formulam iuris, vtroque in decreto, eodem auctore, contraria ſciuiſſe. [Leges enim vetare, duas leges in legibus haberi ſibimet repugnantes.] Non ergo turpe ſit, cum Lacedaemoniis quidem inita pacta vos ſancte ſeruare, decreta autem inter vosmet, et veſtri cauſa facta, tam promte reſcindere? Vosne pacta veſtra cum Lacedaemoniis rata habebitis, quamquam Lacedaemonios tantopere contemnitis, et rurſus vosmet ipſi tam ſuſpicitis, vt reliquis Graecis grauiter ſuccenſeatis, ſi quis eorum pluris Lacedaemonios, quam vos, faciat: erga ciues autem veſtros, committetis, vt fides veſtra videatur eſſe intutior atque fluxior, quam erga hoſtes? Sed hoc inprimis ſtomacho dignum eſt, ſedentibus ad clauum reip. has eſſe mentes, haec ſtudia, vt oratores non ea ſuadeant, quae reip. quam maxime conducant, ſed auctores vobis fiant ea ſciſcendi, vnde ipſi quaeſtum faciant vberrimum. Veſtrae quidem plebi ſi expediret, aliis quieta bonorum ſuorum poſſeſſione perfruentibus, alios proſcribi, merito vos orationem noſtram contemneretis. Iam vero veſtrum nemo vnus eſt omnium, quin in hoc conſentiat, concordia maius aliud bonum reip. nullum eſſe; diſcordiam autem et bellum ciuile matrem malorum omnium; nullamque rem aliam diſcidia ciuium atque contentiones inter ſe gignere crebriores atque funeſtiores, quam, ſi ſint alii, qui bona aliena concupiſcant, alii, qui bonis ſuis per vim et nefas euertantur. Ipſi vos ita ſenſiſtis atque ſtatuiſtis, rectam ſecuti rationem, cum a reditu in patriam adhuc eſſetis recentes. Erant enim tum vobis adhuc in recente memoria clades veſtrae ſuperiores. Vt igitur in concordiam coaleſceret, atque ad pacem rediret ciuitas,

magis tum in votis habebatis, eaque de re deos supplicationibus magis fatigabatis, quam vt ciuitas in vltionem superiorum iniuriarum conuersa rursus in discordiam atque tumultus et arma exardesceret, per quae oratores ditescerent. Atqui multo et honestior, et ad veniam propior fuisset vltio, si tum statim a reditu vestro in patriam, recente adhuc ira, in vestrarum iniuriarum auctores saeuissetis. Nunc autem turpe est, vltraque veniam, vos ad ultionem iniuriarum tanta temporis interiecti diuturnitate dudum obliteratarum incitari ab iis instigatoribus, qui cum ipsi in vrbe mansissent, nullamque partem gustassent earum molestiarum, quas in exilio vestro vos toleraſtis, tamen nunc sperant se fidem vobis suae erga vos beneuolentiae facturos hac re, si vos defraudent, opprimant, excrucient, non si ciuiles se bonosque gerant, nostraque secunda, quae nunc sunt, tempora si carpant, iidem, qui aduersa non participarunt. Publicata ab his bona si salua reip. manere, iudices, eique reseruari, et fructus eorum ad remp. redire videremus, ignosceremus tamen et ferremus. Verum enim vero nostis, bonorum publicatorum alia prorsus hastae non subiici, sed ab his furto subduci; alia, sectioni quidem subiici, verumtamen, magni cum sint valoris, teruncio vendi, pauxillumque illud aeris e venditione redeuntis interuerti. Quod si ergo morem mihi geratis, bonaque nostra sinatis penes nos in potestate nostra manere, fructus inde redibit ad vos haud minor, quam ad nos ipsos, qui erimus domini. Diomnestus, egoque et frater, tres cum simus, vnam communem gerentes rem familiarem, ex hac vna re familiari sumtus adhuc sumsimus tribus trierarchatibus necessarios. Nostrum enim quisque trierarchi munere adhuc functus est. Verum illa substantia nobis ademta, nemo nostrum erit, qui postea trierarchatu fungatur. Pari modo reip. pecuniarum egenti

egenti ex eadem, quamuis modica, substantia et contulimus adhuc, et conferemus porro, si salua nobis maneat. Parcite ergo nobis, quaeso, vt iis, qui et eo simus erga remp. animo, et iis vtamur maioribus. Nam profecto, iudices, nil video, quominus omnium mortalium simus infeliciſſimi atque miserrimi, si nos, super orbitatem nobis adhuc pueris a scelere triginta tyrannorum oblatam, nunc etiam, rep. in libertatem asserta pristinam, fortunis priuemur, nos, quibus fortunae indulgentia hoc tribuisset, vt infantes adhuc per congressum nostrum cum Pausania, patriae salutem redderemus. Tantae cum sint laudes nostrae, tanta de patria merita, ecquosnam ad iudices malimus receptum habere, quam ad eos, quorum consilia et instituta omnia consentiunt ad eam tuendam reip. gerendae formam, pro qua necessarii nostri mortem oppetierunt? Quorum omnium meritorum vnam hanc vos nunc rogamus gratiam, vt ne sinatis nos ad incitas delabi, neque necessariis vitae praesidiis carere, neue maiorum beatam fortunam in nobis exstinguatis, sed potius in nobis ornandis atque demerendis exemplum proponatis aliis, vnde discant, quam fortes et nauos atque fidos vos habituri sint suis in periculis protectores, si qui bene de patria voluerint mereri. Nulli mihi sunt deprecatores, quos in hunc suggestum ascendere iubeam, iudices. Necessariorum enim alii, cum viros se strenuos et acres in armis gessissent, praeclarisque facinoribus virtutis bellicae remp. amplificassent, fortiter dimicantes occubuerunt; alii, pro tuenda plebis vestrae libertate atque maiestate contendentes, a triginta tyrannis cicutam bibere coacti sunt. Quo factum, vt hanc nobis solitudinem hinc fortia maiorum facta, illinc publicae patriae calamitates contraherent. Quae vos recordantes decet, iudices, strenue nobis promteque opitulari, existimantes, in hac reip. liber-

tate recte a vobis meritoque ornari, si qui sub tyrannorum dominatione calamitates publicas vobiscum pro sua quisque virili parte tolerarint. Sed et hos rogo, fisci aduocatos, dignumque ipsis censeo, vt nobis sint propitii, recordantes illius temporis, cum vos patria eiecti bonisque denudati, viros fortissimos haberetis eos, si qui pro vobis occumberent, diisque vota faceretis, vt liceret aliquando vobis, eorum soboli meritas grates persoluere. Has nunc grates vos reposcimus, ex illis nati, et cum illis necessitudine sanguinis coniuncti, qui capita sua pro vestra libertate tuenda periculis extremis obiecerunt; rogamusque vos, vt nolitis per nefas nos pessumdare, sed praesto nobis potius esse velitis, qui vestras calamitates participauerimus. Ego equidem rogo vos obtestorque et obsecro supplex, vt rogata mihi indulgeatis. Non enim de re minuta periclitamur, sed de fortunis nostris omnibus.

ORATIO XIX.

qua actor, qui est frater vxoris Aristophanis, contendit, vt bonorum Aristophanis publicatorum pars a fisco liberis orbis, viduaeque Aristophanis pro dote, reddatur.

Magnam mihi sollicitudinem creat metumque hoc certamen, iudices, reputanti mecum, si causam parum apte periteque dixisse videar, non me solum, sed patrem quoque in opinionem improbitatis atque fraudis datae esse incursurum, bonaque me omnia amissurum. Quamquam igitur ad eiusmodi causas in foro agendum a natura factus sum parum idoneus, necesse tamen est mihique patrique me succurrere, prout potero. Inimicorum quidem et copias aduersus me comparatas instructasque videtis, et ardorem, vt nil opus sit hac de re pluribus dicere; ego autem quam

fim

sim a dicendi facultate et ab vsu fori desertus, omnes norunt, qui me norunt. Quocirca rem vos aequam et indultu facilem rogabo, vt animis non minus aequis sedatisque nos quoque reos audiatis, atque accusatores audiitis. Defensorem enim etiamsi vos aequi audiatis, necesse tamen est, iniquiore loco esse, quam accusatorem. Aduersarii enim insidiis e longinquo comparatis accusationem exorsi sunt, periculi nihil sibi creantem. Nobis autem certamen est decertandum, formidinis plenum, inuidiaeque e calumniis contrahendae. Decet ergo vos erga defensores animo etiam propensiore esse, in tanta et accusatorum et testium immanitate, discriminumque vtrinque existentium disparitate. Neminem enim esse vestrum omnium arbitror, quem fugiat, fuisse hac in ciuitate permultos, quos nil puderet, insontes tanta criminum aperte ementitorum atrocitate onerare, vt statim ipso in iudicio agniti, atque mendaciorum perspicuorum conuicti cum odio bonorum omnium discederent. Testes quoque falsi saepe numero, cum innocentes per nefas pessumdedissent, deprehensi atque condemnati sunt, sed sero, iam prostratis atque hausis iis, quos testimonii sui venalis mendacio perculissent, cum facta res infecta fieri iam non amplius posset. Quotidie igitur euenientibus huiusmodi fraudibus atque erroribus, decet vos, iudices, oratione accusatorum citius non fidere, quam nos quoque causam pro nobis dicentes audieritis. Audio enim, id quod vestrum quoque plerosque nosse arbitror, contractam e calumniis inuidiam rem esse rerum omnium acerbissimam atque dirissimam. Sed hoc inprimis graue accidit atque calamitosum, multis tecum simul eandem ob criminationem in ius vocatis, te primo loco induci. Nam plerumque qui postremi iudicantur, hi absoluuntur. Auditis enim eos, iracundia iam sedata atque satiata, auribus

ribus doceri volentibus. Recordamini ergo, Nicophemum Aristophanemque, indicta causa, morte mulctatos esse, priusquam iudices sortirentur, eorum causam cogniturí; vt iis, de criminibus interrogatis, aduocatus nemo praesto esse posset. Vt enim comprehensi sunt, prorsus e conspectu hominum disparuere. Ne ossa quidem exstinctorum, fuit, qui necessariis ad sepulturam redderet, sed peste iacent oppressi tam dira, vt, ne caetera commemorem, ipso adeo hoc tam vulgari atque tam necessario honore carendum ipsis esset. Verum, age, transmittam istaec equidem nunc silentio, quibus deplorandis, re facta, nihil profecero. At, quamuis horum fuerit sors miserabilis, multo tamen miserabilior mihi videtur esse sors liberorum Aristophanis. Non enim solummodo, cum neminem omnium, neque publice, neque priuatim, laesissent, contra iuris vestri statuta, patrimonio sunt denudati, verum etiam, quae sola adhuc reliqua manere potuerat spes, vt ab auo [Nicophemo] saltim alerentur, si fatale ipsis fuisset patre orbari, vel ea ipsa quoque spes in exitu aui tam funesto atque lamentabili exspirauit. Nos ipsos denique videte, nostraeque sortis duritiem atque iniquitatem. Affinibus priuati, [fororis nostrae socero et marito] dotem sorori, cum elocaretur, a patre additam amisimus. Vna cum sorore tres eius liberos alere necesse habemus. Ne hoc quidem miseriarum satis est. A nefariis calumniatoribus insuper exagitamur, et in periculum coniicimur auita bona amittendi, quae maiores honestis artibus quaesiuerunt; tametsi, o iudices, pater meus tota vita is fuit, qui plus numorum soleret in rempublicam, quam in semet necessariosque, erogare. Erogauit, credite mihi, erogauit in rempublicam duplo plus, quam nobis nunc in fortunis est. De quo certo mihi constat, qui saepe adfuerim patri, sumtus a se in rempublicam factos compu-

computanti. Nolite igitur temeritate praeiudicii veſtri eum cupiditatis damnare, qui, cum in ſe perparum, tum in vos quotannis quamplurimum impenderet. Damnate potius illos, qui, non patrimonia ſolum, ſed etiam aliunde ſi quid acquirere potuerint, id turpiſſimis voluptatibus prodigere conſueuerunt. Arduum quidem eſt cauſam agere et aduerſus opinionem, quae multorum animis prorſus abnormis inſedit, de magnitudine diuitiarum a Nicophemo relictarum; tum aduerſus illam, quae nunc hac in ciuitate regnat, paratae pecuniae caritatem; denique aduerſus aerarium, cum quo nobis hoc certamen forenſe decertandum eſt. Verumtamen, etſi tot tantisque vndique ſepti teneamur difficultatibus, facile tamen intelligetis, criminationes ab accuſatoribus in nos intortas omnes falſas atque mendaces eſſe. Quocirca quibus poſſum modis contentionis acerrimis ego vos rogo atque obteſtor, vt, vbi me dicentem vsque ad finem orationis benignae audientiae conſtantia proſecuti fueritis, tum demum hanc in partem pronuntietis ſententiam, quae pars optima vobis videbitur eſſe, atque cum religione iurisiurandi a vobis dicti inprimis conſentanea. Primum itaque hoc docebo, quomodo Nicophemus atque Ariſtophanes neceſſitudinem affinitatis nobiſcum contraxerint. Conon nempe claſſem veſtram imperatoria cum poteſtate circa Peloponneſum exercens, pro vetuſtate amicitiae, quae illi cum patre meo erat, tum trierarchi munus ſungente, rogabat patrem, vt filiam ſuam, ſororem meam, Nicophemi filio, Ariſtophani, in matrimonium elocaret. Pater, videns hos, et Cononis gratia florere, et fidem ei ſuam approbaſſe, caeterisque item in rebus homines commodos et frugi eſſe, denique populo, tum certe, probari, nil de inuidia ſuſpicatus odioque, in quod ipſis fatale fuit, vt poſtmodum incurrerent, aſſenſus eſt; praeſertim, cum nemo

nemo facile veſtrum omnium fuiſſet, quem tum puduiſſet cum his affinitatem contrahere. Patrem enim non cupiditate opum illectum, hunc ſibi generum delegiſſe, facile id collectu eſt ex eius reliqua vita, moribus et inſtitutis. Adoleſcens enim cum poſſet aliam quamcunque bene dotatam domum ducere, vxorem ſibi delegit eam foeminam, e qua me procreauit, quamquam dotis nihil afferentem; quod nimirum ea filia Xenophontis illius eſſet, qui, patre vſus Euripide, non priuatim ſolummodo famam boni viri penes vos meruit, ſed et hoc publice, vt imperatoris honores ei deferretis. Cuius rei auctores mihi ſunt ciues natu grandiores. Pater itaque in legenda vxore decus generis magis, quam facultatum ſectatus amplitudinem, in filiabus quoque elocandis, quae duae ei natae ſunt, maiorem dignitatis, quam fortunarum, habuit rationem. Nam cum eſſent, qui eas procarentur, homines admodum locupletes, denegauit tamen illis, quod viderentur loco ignobiliore nati eſſe, ſed alteram Philomelo nuptui dedit, Paeanienſi, quem inter omnes conſtat, fortem quidem ſtrenuumque virum, at parum locupletem eſſe; alteram Phaedro, Myrrhinuſio, e ſorore nepoti, cum is iam ad egeſtatem decidiſſet, quamquam non culpa ſua, neque morum flagitioſitate; poſtmodum vero Ariſtophani eandem collocauit. Harum filiarum vnicuique quadraginta minas in dotem addidit; quantum Ariſtophanes quoque tulit. Ipſi denique mihi pater auctor fuit, vt egregie dotatae, quam nanciſci poteram, minus dotatam anteferrem, quo certior eſſem affinitatem a me contrahi cum ſocero, eiusque liberis et generis, omnibus honeſtis et frugi. Quo factum eſt, vt domi meae nunc habeam illius Critodemi Alopecenſis filiam, qui in illo fatali circa Helleſpontum praelio nauali cecidit, cum Lacedaemoniis dimicans. Atqui, o iudices, qui fiat, vt in contrahen-

trahenda cum Nicophemo et Aristophane affinitate cupiditatem secutus recte videatur is, qui et ipse indotatam domum duxerit, et par filiarum elocans, ingentem cuique dotem addiderit, et me, qui filius eius essem, hortatus sit, vt exigua in dote acquiescerem? Accedo nunc ad alium huius causae locum, quo planum faciam, ab horum reorum, Nicophemi atque Aristophanis, causa nostram esse prorsus disiunctam, adeoque nos eo laedi, quod bona nostra bonis illorum immixtum, vnaque cum illis proscriptum eatur, quo aerario satisfiat. Aristophanes enim, domi iam habens sororem meam, multis aliis potius amicis, quam patre meo, vtebatur. id quod nemini mirum videbitur, discrimen cogitanti, quod ipsorum aetates disiungebat; et multo etiam maius discrimen morum et ingeniorum, quibus illi inter se quam plurimum distabant. Pater insueuerat rerum suarum satagere. Aristophanes autem, non suas priuatas magis, quam ciuiles amabat agere. Aeris si quid esset, id in gloriae quaestum conferebat. Vera haec me dicere, e factis eius intelligetis. Primum enim Cononi, in Siciliam aliquem allegare volenti, Aristophanes vltro se offerebat, atque proficiscebatur cum Eunomo, Lysiaque; quo Lysia amico vtebatur et hospite, viro egregio, qui bona et ornamenta vestram in plebem contulit quam plurima; cuius rei auctores mihi fuerunt Piraeensium illi, qui rebus in Piraeeo tum gestis interfuerunt. Legationi huic per mare obeundae proposita haec erat meta, vt studeret Dionysium, Syracusarum tyrannum, ad contrahendam cum Euagora affinitatem adducere, atque permouere, vt hostem Lacedaemoniis, vestrae autem ciuitatis amicum et in bellis socium se ferret. Quae quamquam legati adepti non sunt, non prorsus caruit tamen haec legatio prospero euentu. Legati enim multis superatis periculis, et a saeuitie

uitie maris, et ab hostium insidiis oblatis, in Siciliam perlati, Dionysio persuadebant, vt, quam tum comparabat classem Lacedaemoniis auxilio mittendam, eam ne mitteret. Tempore post, legati e Cypro cum huc uenissent, auxilii petendi ergo, nihil Aristophanes ad contentionem sibi fecit reliquum, vt vos ad praestandum illud auxilium oratione adduceret. Adducti vos, cum triremes indulsistis, tum reliqua quoque decreuistis, quae simili tempore locoque decerni et tribui mos est. Verum pecunia carebant, vnde classis instrueretur. Nam et parum viaticati aduenerant illi legati Cyprii, et multis indigebant. Non enim solummodo classiarios milites, sed peltastas quoque conduxerant. Arma etiam emerant. Suppeditabat quidem Aristophanes de suo pecuniarum partem longe maximam; quia vero facultates ipsius propriae non sufficiebant, amicos ad mutuo credendum hortabatur, ipse sponsorem de reddendo se ferens, et quadraginta minas, penes se depositas, fratre conscio et consentiente, (fratris enim illae minae erant, ab eodem patre procreati) insumebat. Pridie autem eius diei, quo classis illa e portu nostro soluit, domum nostram venit, patrem rogans, vt sibi, paratae quicquid esset pecuniae, id mutuo crederet, ad persoluendam peltastis mercedem nonnihil adhuc deesse aiens. Erant nobis in arca septem minae. Has quoque nactus, insumsit. Ecquem enim, iudices, qui gloriae ita studiosus esset, vt fuit Aristophanes, qui literas a patre [Nicophemo] tulisset, e Cypro missas, affirmantes, ibi nihil defore; porro, qui esset legatus a vobis designatus, qui ad Euagoram [regem tam opulentum, tam liberalem, a quo praeerogata omnia, cum lucro etiam, esset recuperaturus] proficisceretur; ecquem, inquam, talem existimatis non loculos suos omnes excussurum, non facultates funditus exhausturum, sed reseruaturum sibi aliquid fuisse,

fuisse? Dubitatis adhuc pronuntiare, illum videri potius nihil non, quod posset, contulisse, quo gratiam iniret apud Euagoram, a quo non minorem esset recuperaturus! Vera haec esse, quo vobis constet, cita mihi testem Eunomum reliquis cum testibus. *Testes.* Audistis e testibus, cum affirmarent, se non modo, rogatu Aristophanis, pecunias credidisse, verum etiam recuperasse. Relatae enim sunt ipsis cum triremi [illa, qua Aristophanes in Cyprum peruectus est, illinc Athenas redeunte] Facile est e dictis collectu, Aristophanem nulli parti peculii sui parsurum fuisse. Sed luculentissimum videte huius rei argumentum. Demus, Pyrilampis filius, vni naui ex illis decem in Cyprum mittendis praeerat cum potestate trierarchi. In apparatu huius nauis, cum pecunia deficeretur, me conuenit, rogans, vt Aristophanem conuenire, suoque nomine ei significare vellem, se, Demum, a rege Persauum aliquando phialam auream in tesseram accepisse. Hanc phialam se velle Aristophani pro sedecim minis oppignerare, si Aristophanes sibi tantum credere velit. Constituisse illas XVI. minas naui, quam ducturus esset, instruendae insumere. Vbi primum in Cypro appulisset, operam daturum, vt phialam illam viginti minis relueret. In vniuersa enim continente [Asia minore] propter hanc tesseram, largam sibi fore copiam, vt aliorum bonorum, ita numorum quoque. Aristophanes, auditis ex me, qui interpretem agerem, quae Demus se rogaret, quamuis Demi preces meis adiutarem, et ipse pateram auream esset habiturus, quam secum ferre, ostentareque atque vsurpare pro sua interim posset; quamuis denique quatuor minas tam cito foenerari posset; tamen negabat pecuniam sibi paratam esse, iureiurando idem confirmans, atque addens haec: hospitibus, [Cypriis] praeter illud aes, quod ipse credidisset, necesse fuisse aliud insuper quaerere.

Nam alias se libentius, quam vllum alium mortalium, facturum fuisse, vt et patera aurea potiretur, et studio precibusque nostris inseruiret. Vera haec esse testes confirmabunt a me producendi *Testes.* Ex his, quae et a me dicta, et ex his testibus, audistis, iudices, facile perspectu est, ab Aristophane hinc in Cyprum proficiscente, nihil neque auri, neque argenti facti signatiue relictum esse. Aeneae suppellectilis non multum possidebat. Quid? quod hospitali conuiuio cum Euagorae legatos exciperet, multis vsus est vasis ab amicis corrogatis. Quae autem Aristophanes reliquit, ea scriba vobis recitabit. *Index supellectilis recitatur.* Nonnullis vestrum sine dubio, iudices, haec pauca scruta videbuntur esse. Ego viro vos reputare velim, Nicophemo quidem, aut etiam, si mauultis, Aristophani, ante victoriam pugnae naualis, in fundis nihil fuisse, praeter vnum paruum rus Rhamnunte. Euenit autem illa pugna naualis Archonte Eubulo. Per itaque est inconsentaneum existimare, multam supellectilem, eamque pretiosam, ab eo hic fuisse relictam, qui ab illo inde Archonte intra quadriennium aut quinquennium, tam grandes sumtus fecisset e re familiari, quae ei ante id tempus nulla fuisset. Bis enim Choregi partes egit Aristophanes, suo nomine semel, et iterum patris. triennio continuo triremi praefuit. contributiones multas pecuniarias reip. contulit, domum quinquaginta minis emit, agri plusquam trecenta iugera. Atqui auitis qui pollentes diuitiis habentur, necesse si habeant, supellectilem suam in publicum efferre, quam vereor, ne admodum sint parum habituri, quod proferant, commemoratione quidem dignum. Saepenumero enim nè sunt quidem venalia istiusmodi vasa, etiamsi tu vel maxime emere cupias, quorum adspectu, vsuue, aut ostentatione imposterum tota reliqua tua vita delectere. Videte hoc aliud. Quorumcunque

cunque aliorum bona proſcripſiſtis, eorum non modo ſupellex ſub haſta vaeniit, ſed ipſae adeo quoque fores aedium cardinibus euulſae. Nos autem, publicatis iam Ariſtophanis bonis, cum ſoror iam domo emigraſſet, cuſtodes illi domui appoſuimus, quo neque fores auellerentur, neque vaſa, neque rerum aliarum quicquam periret, ex illa domo exportatum, quae iure optimo mea eſt. Confectus eſt, in tabulasque publicas relatus index pecuniae redactae e ſupellectilis ab Ariſtophane relictae ſectione, quae pecunia mille drachmarum excedit ſummam, quantam aeris ſummam e nullius alius domus proſcriptae ſectione ſupellectilis vnquam redegiſtis. Adde, quod et dudum aduocatis fiſci detulerimus, et nunc vobis, iudices, deferamus ſponſionem iurisiurandi, quam ab hominibus exigi dicique poteſt ſanctiſſimi, quo, facultatum Ariſtophanis penes nos nihil eſſe, confirmemus. Haec enim domus, quae quondam Ariſtophanis fuit, nunc noſtra eſt, quinquaginta minis ab eo emta. Nobis autem debetur ab Ariſtophane dos ſororis meae, quadraginta minae; praeterea debentur ſeptem aliae, quas Ariſtophanes hinc in Cyprum proficiſcens, a patre meo mutuo ſumſit. [vna cum foenore.] Qui iam poſſunt homines eſſe alii miſeriores, quam ſi qui, bonis ſuis propriis mulctati, tamen eorum bona, a quibus in extremam calamitatem pertracti fuiſſent, interuertiſſe videantur, et, qui malorum cumulus eſt, ſororem habeant, quam non poſſunt facere quominus domo ſua ſuſcipiant, numeroſa prole grauem, illosque omnes alant, quamuis ne ipſis quidem ſit, vnde ipſi alantur, ſi bonis ſuis a vobis exuantur? Age, per deos ſuperos, rem ſic ſpectate, iudices. Fingamus tantisper, veſtrum aliquem filiam ſororemue Timotheo Cononis filio in matrimonium elocaſſe; Timotheum inter haec, domo abſentem, in offenſionem veſtram incurriſſe; pu-

blicata eius bona sub hasta vaeniisse omnia, e sectione ne quatuor quidem talenta esse redacta. Ideone aequum, et personis vestris dignum censeretis, operam vos dare, vt Timothei necessarii quoque arrepti pessumdarentur, quod de bonis eius sectis ne centesima quidem pars redierit eius summae, quam speraſſetis inde redituram, decepti vanitate famae, de amplitudine facultatum Timothei in vulgum ditatae? Atqui nostis vos omnes, qui habitus mutuus Cononi cum Nicophemo intercesserit. Nostis illum imperatorem, hunc, vtpote quaestorem, in istius potestate fuisse. quo fit, vt Nicophemo necesse esset, in Cononis auctoritate esse. Consentaneum itaque est, emolumentorum bello partorum vix centesimam partem a Cononе cum alio quopiam fuisse communicatam. Quod si ergo sunt, qui Nicophemo autument ingentia bona fuisse, necesse est, eosdem confiteri, Cononi fuisse decuplo ampliora. Praeterea, constat inter omnes, illos inter se nunquam dissensisse. Quapropter consentaneum est existimare, in ratione gerendae rei familiaris eos quoque secum consensisse hactenus, vt eorum vnusquisque, cum filio hic reliquisset, quod satis esset, tum reliqua sibi priua et propria reseruaret. Erat enim vtrique gemina familia, altera hic, Athenis, altera ibi, in Cypro. Cononi in Cypro cum vxore filius erat, Nicophemo cum vxore filia. Arbitrabantur enim, quae bona in Cypro possiderent, ea perinde sua esse, atque quae hic. Adhaec etiam hoc cogitate, iudices. Bona si quis inter liberos sua superstes adhuc diuideret, non a se illa quaesita, sed a patre hereditate relicta, non is videtur vobis partem illorum bonorum haud minimam ipse sibi reseruaturus esse? Vtique. Quanto itaque bonorum magis eorum, quae ipsi marte suo peperissent? Malunt nempe omnes, bona ipsi sua tenentes, arbitrium eorum dispensandorum, et quasi frena tenere, quibus pietatem, reuerentiam, officia libero-

berorum gubernent, atque sibi obstricta habeant, quam per inconsultam et improuidam indulgentiam egestati se committere, quae cogat ipsos iu liberorum potestate esse, ingratorum crudelitati obnoxios. Sed redeo in viam. Fingamus ergo, Timothei, offensam vestram meriti, bona hastae subiici. Id quod ego equidem omen detestor, fierique nolim, nisi si quod ingens bonum inde reip. exsistat. tum, e sectis Timothei bonis minus etiam redigi, quam ex Aristophanis redactum fuit. Ideone vos aequum censeretis, necessarios quoque Timothei bonis suis spoliari? Nequaquam. Abhorret enim. Sed video vos mirari me, iudices, suspicantem e sectione bonorum Timothei minus etiam esse rediturum, quam ex Aristophanis rediit. Non temere sic suspicor, facilique me spero facturum opera, vt mihi assentiamini. Quas Conon tabulas in Cypro postremas consignauerat, eae post ipsius excessum resignatae aperuerunt, ipsius veram substantiam multis partibus infra vestram opinionem subsediſſe. Mineruae enim ad donaria, Apollinique Delphico, quinquies mille stateras consecrauit. Fratris filio, quo bonorum in Cypro sitorum omnium custode atque dispensatore vtebatur, legauit decies mille drachmas, fratri tria talenta, reliqua filio reliquit, talenta septendecim. Vnde summa conſit quadraginta talentorum. Neque praetendere licet, hic direptum quicquam, aut tabulas corruptas, neque optima fide prodita bona fuisse. Ipse Conon enim has tabulas, in morbo, quo postremo defunctus est, mente integra et sibi constante, probe conscius eorum, quae ageret, circaque se agerentur, consignauit. Cita mihi horum testes. *Testes.* Atqui, iudices, priusquam rationes ambarum substantiarum, Cononis puta atque Nicophemi, palam fierent, nemo non persuasum sibi habebat, substantiam Cononis multis, nescio quot, partibus maiorem esse

ſubſtantia Nicophemi. Et nihilo tamen minus compertum eſt, Ariſtophanis ſubſtantiam Timothei ſubſtantia ſolummodo pauxillo minorem eſſe. Cum domo in vrbe, poſſidebat Ariſtophanes in fundis, ad valorem quinque talentorum, et plus. In choregatum, quo gemino defunctus eſt, ſemel patris, tum ſuo nomine, quinquies mille drachmas impendit, in trierarchatus octoginta minas. Contributionis nomine, pro ſeque et pro patre, quadraginta minas reip. largitus eſt. In nauigationem in Siciliam ſuſceptam centum minas impendit. In claſſem illarum decem nauium, quas Cypriis rogantibus indulſiſtis, inſtruendam, et in mercedem peltaſtarum, et in pretium armorum coëmendorum, erogauit triginta millia drachmarum. Quae omnia in ſummam collecta talenta conficiunt paulo minus quindecim. Quocirca nulla vobis eſt querendi cauſa, iudices, cum ſic conſtet, bona Ariſtophanis tertiam partem bonorum Cononis haud paulo excedere, tametſi antea nemo non opinaretur Ariſtophanis bona vix aliquotam partem bonorum Cononis eſſe, quae Cononis bona in confeſſo eſt rite atque bona fide cenſa, et ab ipſo Conone aeſtimata atque indicata fuiſſe. Non contuli hanc ad ſummam ea, quae Nicophemus ipſe in Cypro poſſedit, vbi cum vxore filiam aluit. Satis mihi videor protuliſſe documentorum, vnde intelligatis, iudices, me nonniſi iuſtum et aequum poſtulare, cum poſtulo atque vos rogo, ne falſae opinioni de amplitudine bonorum ab Ariſtophane relictorum ita indulgeatis, eaque ita ludamini, vt iniquitate ſententiae veſtrae nos funditus perdatis. Verum non ſubſiſtam hic, ſed alia addam his ſimilia exempla, a patre aliisque ciuium noſtrorum natu grandioribus fama accepta, quae doceant, non nunc ſolummodo, ſed iam dudum ante ſaepe numero deceptos vos eſſe falſa opinione de multorum facultatibus, qui, cum habiti eſſent in opulentiſ-

lentissimis, donec adhuc in viuis supereſſent, post exceſſum reperti sunt opinione veſtra multo pauperiores. Longe ne abeam, Ischomacho cenſum eſſe ſeptuaginta talentis ampliorem, dum ſupereſſet, nemo dubitabat; de quo e vulgari fama mihi conſtitit. Defuncti autem hereditatem cernentibus filiis, qui duo ei erant, vix eorum vnicuique decem talenta in ſortem obtigerunt. Stephano, Thalli filio, cenſus erat, e vulgi quidem aeſtimatione, quinquaginta talentis amplior; verum poſt Stephani exceſſum conſtitit, vndecim ferme talentorum fuiſſe. Nicerato cenſum tribuebat opinio veſtra non multo minorem centum talentis, eiusque partem potiſſimam in numis praeſentibus in arca depoſitis. Atqui Niceratus ipſe, mortis in articulo conſtitutus, argenti auriue negabat a ſe quicquam filio relinqui. Quam autem reliquit ſubſtantiam, ea plus non valet, quam quatuordecim talenta. Callias, ſtatim ab exceſſu patris, Hipponici, Graecorum omnium habebatur opulentiſſimus. Auus Calliae cenſum ipſe ſuum, vt ipſe Callias iactat, ad cenſores ducentorum talentorum profeſſus fuerat. Nunc autem Calliae cenſus ne duum quidem talentorum eſt. Cleophon, id quod vos omnes noſtis, cum multos per annos omnia reip. negotia tractauiſſet, magnas opes ex honoribus, quos geſſerat, collegiſſe credebatur. Defuncto autem, nullae vsquam eius opes reperiebantur, ſed neceſſarii atque affines eius, quibus ſua reliquerat, ſunt, vt in confeſſo eſt, pauperes. Quibus ex exemplis conſtat, quam crebro errauerimus in aeſtimandis cenſibus tam eorum, qui auitis nobilitati eſſent copiis, quam ſi qui ex ſe Marte ſuo inclaruiſſent. Cuius rei haec mihi cauſa videtur eſſe, quod tralaticium et cuiusuis eſt, iactare, hunc illumue ex honoribus ab eo geſtis multa talenta furatum eſſe. Quae de mortuis iactari, ego equidem haud miror, quibus clauſum os eſt, quominus

nus refutare mendacia possint; at esse miror, qui de viuis et spirantibus adhuc talia comminisci audeant. Ipsi vos nuper audiebatis, cum absens Diotimus in concione diceretur quadraginta talenta, et plus etiam, in bonis habere, quibus ipse fateretur naucleros atque mercatores emunxisse. Rumor hic vestram, vt par est, iram commouebat, Proscribebantur Diotimi bona. Redibat interim ipse e peregrinatione. Grauiter ferebat, absentem se per calumnias in inuidiam adductum fuisse. Quid multa? nemo contra hiscere, nemo eum refutare, tametsi resp. aeris egeret, ipseque Diotimus ad reddendam rationem fisci a se administrati se offerret. Reputate iam ipsimet vobiscum, quantum resp. piaculum contraxisset, quantum scelus fuisset admissum, si Diotimo e rebus humanis casu quodam aduerso, vt sunt humana, sublato, priusquam ex itinere maritimo huc reuerteretur, defensionis necessitas necessariis eius imposita fuisset, de quadraginta illis talentis, quae Diotimum depeculatum esse coram vniuerso populo Athen. iactatum fuerat. Quantum in discrimen coniecti fuissent illi necessarii rerum omnium ignari. Intelligitis iam, sceleratorum hominum insontes calumniis perdere ardentium celeri ad mentiendum proiectaeque audaciae vos hoc debere, vt non solummodo vestra de multorum censibus exspectatio egregie ludatur, sed etiam vos ipsi, ita me deus amet, persaepe ad pessumdandum insontes homines coeci agamini. Neminem vestrum, ni fallor, fugit, imperium classis vestrae toto quinquennio penes Alcibiadem fuisse. Lacedaemonios concidebat. quoquo ibat, victoriam secum circumferebat. Ciuitates Graecae ei vni duplo plus conferebant, quam vlli alii nostrorum imperatorum omnium. Quo factum vt nonnulli censum ei opinatione sua tribuerent centum talenta exsuperantem. Atqui falsam illam fuisse opinionem, ex-

cessus

ceſſus Alcibiadis aperuit; qui liberis cenſum reliquit minorem etiam eo, quem a tutoribus traditum ipſe acceperat. Facile ex his iudicatu eſt, temporibus adhuc etiam vetuſtioribus ſimilia exempla haud pauca numero eueniſſe. Quorum vos auctoritati cedentes, recordamini ſapientis illius ſententiae, vt quisque ſit optimus atque ſapientiſſimus, ita ad ignoſcendum, mutandamque mentem et errorem exuendum eſſe paratiſſimum. Quod ſi ergo videmur conſentanea diſputare, et idonea documenta praeſtare, miſeremini noſtrum, iudices, quoquo modo miſeremini, neque eſto rerum omnium quicquam, quod a commiſeratione noſtri vos auertat. Veſtra enim aequitas ſi verum quod nobiscum eſt, ſuſtentabit, ſperamus futurum, vt quamuis magnam calumniam profligemus. Sin autem nobis refragari pertinaciter decreueritis, ſpes ſalutis nulla ſupereſt. Verum, per deos ſuperos, inducite potius animum, iudices, vt nos ſeruetis, prout vos facere ius et fas eſt, quam vt nos perdatis; quae ſumma foret iniuria; certumque habete, eos vera loqui, qui aetatem omnem in ſilente atque a gloriationis ſtrepitu aliena pudoris atque temperantiae exercitatione degant. Audiſtis itaque, iudices, et de proſcriptione bonorum Ariſtophanis ipſa, et quomodo cum eo affinitatem contraxerimus, eique cum claſſe e portu ſoluturo pecunias ſuas haud ſuffeciſſe, ſed neceſſe fuiſſe alias aliunde mutuato ſumere; haec, inquam, omnia, et ex me audiſtis, cum exponerem, et e teſtibus, quos ad fidem verbis meis faciendam produxi. Iam de memet ipſo pauca quaedam iuuat ad vos praedicare. Tametſi annum aetatis iam ago trigeſimum, nunquam tamen neque patris auctoritati ſum refragatus, neque commiſi, vt ciuium cuiquam cauſa eſſet in foro me accuſandi. Prope forum cum habitem, nunquam tamen fuit, qui me aut in tribunali, aut in curia verſantem videret, prius-

quam haec nos calamitas obrueret. De patre autem, ignoscite mihi, iudices, si praedicanda ad vos liberalitate, qua et reip. et amicis priuatim succurrit, calumniam cupiditatis depellere coner, qua eum accusatores respersum ierunt. Non studio gloriae istaec iactabo, sed hoc ago, vt vos doceam, qui nulla cogente necessitate tamen effusus in liberalitatem erga remp. fuisset, fieri non posse, vt idem, summo cum periculo suo, aeris publici partem interuerteret, quamquam me profecto non fugit, esse qui illiberalissima de causa liberalitate sua vos promereantur. Hi numos in vos profundunt, non quo necessitates vestras subleuent, sed quo fiduciam voluntatemque erga se vestram mercati, viam sibi ad honores muniant, quorum in latebra duplo plus furentur. Meus autem pater cum honores nunquam petiit, tum munerum sumtuosorum nullo non genere functus est. Choregus fuit in omni genere ludorum. triremi a se instructae suis sumtibus septies praefuit. contributiones multas magnasque contulit. Quibus de rebus quo sitis certiores, scriba vobis hunc indicem largitionum a patre ad remp. profectarum praeleget. *Index.* Audientes magnitudinem aeris a nobis in remp. insumti, miramini, iudices. Et est profecto summa ingens et paene incredibilis. Verumtamen spatium temporis recogitare vos vna decet, quo pater et numis, et opera praesto vobis fuit. Quinquaginta sunt anni, ex quo et numaria ope, et corporis opera vobis inseruire coepit. Et toto tamen illo, tam longo, tempore numquam fuit, qui actione peculatus aliaue eum esset insectatus. Atqui negatum nobis sine dubio fuisset, lites huiusmodi euitare, si honores gessissemus, aut in suspicionem malae fraudis admissae reique familiaris inhonestis artibus auctae incurrissemus. Tanto autem, quod dixi, temporis spatio nos a nemine vexatos litis vllius molestia fuisse, tametsi certi iam vos

omnes

omnes eſtis, quo tamen ſitis etiam certiores, teſtes producam. *Teſtes.* Erogauit ergo pater in remp. vniuerſe nouem talenta cum bis mille drachmis. Praeterea priuatim quoque multis bene pater fecit. Ciuium haud paucos indigentiores collationibus adiuuit in elocandis filiabus ſororibusue; alios ex hoſtium captiuitate redemit; aliis ad funera neceſſariorum contribuit. Quae omnia eo fecit, quod exiſtimaret boni ciuis has eſſe partes, vt amicis proſit, etiamſi beneficii nemo ſit conſcius futurus. Iam vero, patre rebus humanis exemto, conuenit ea vos ex me audire. Cita tu mihi hunc et illum. *Teſtes.* Audiſtis ab his teſtibus affirmata. Iam cogitate hoc, poſſe mores ad breue quidem tempus ad ſpeciem probitatis confingi, fucoque quodam honeſtatis incruſtari; ſeptuaginta vero per annos vt animus natura malus et ſceleroſus lateat, nequaquam fieri poſſe. Haud equidem infitiabor eſſe forſitan alia quaedam, ob quae pater recte incuſetur. cupiditatis autem eum arguere nemo vnquam auſus eſt, ne inimicus quidem Quocirca conuenit, vos inimicorum vanitate praedicationis minus, quam veritate rerum a patre per omnem aetatem geſtarum, fidere, temporisque; diuturnitate; quod tempus vos decet, iudices, habere documentum longe omnium certiſſimum atque inuictiſſimum. Ea enim mente, iisque moribus, ſi pater minus fuiſſet, haud profecto cenſum reliquiſſet ex amplo tam imminutum, atque re vera eſt, et experimentum, ſi ſumere velitis, docere vos poſſit. Nam ſi vos nunc his hoc detis, accuſatoribus noſtris, vt patiamini vos ab eorum mendaciis circumueniri, atque ad proſcribendum bona noſtra impelli, vix duo talenta e ſectione redigantur. Quapropter nos a vobis abſolui, vt gloriae veſtrae noſtraeque communis intereſt, ita e re fiſci veſtri magis eſt. Nam ſi bona noſtra nos porro tenere atque adminiſtrare ſinatis,

multo

multo vberiores ex iis fructus percipietis, quam si publicetis. Quantum enim illa reip. referant, aestimate ex indice sumtuum illinc in remp. a patre superioribus annis factorum; quem indicem modo audistis, quum recitaretur. Et e reliquiis rei familiaris, ad quas pater deciderat, et ego nunc sumtus trierarchatus tolero, et pater tolerabat item eo anno, qui postremus ipsi fuit; studeboque, ad illius exemplum, quod menti meae propositum habebo, sensim atque sensim pauxillum quid, vnde vobis aliquando prosim, comparare. Quo pacto bona haec nostra, quemadmodum iam dudum reapse vestra fuerunt, ita posterum quoque vestra manebunt. Nam cum ego mihi nihil per nefas ademtum existimabo, tum in vos hoc promtius atque copiosius erogabo; quae res fisco vestro erit fructuosior, quam si proscribatis. Adhaec spectare vos patris indolem quoque decet, quae ea erat, vt, quaecunque iuuaret extra necessaria impendere, ea omnia essent eiusmodi, (prout inuenietis inquirentes) vnde gloria ad ciuitatem speraretur reditura. Longe ne abeam, equestri cum esset in ordine, equos alebat, non splendidos modo, sed etiam in certaminibus cursus vincere doctos. Vicerunt hi quoque ludis et Isthmicis, et Nemeis; vnde et ciuitas praeconio nobilitata, et pater ipse corona ornatus abiit. Quorum, vnaque reliquorum, quae diximus, omnium, rogo vos, iudices, vt memores nobis succurratis, neque sinatis nos ab inimicorum maledicentia de medio tolli. Quibus nostris precibus concedentes et iusta atque aequa scisetis, et vobismet ipsis fructuosa.

ORATIO XX.

qua Polystratus defenditur, perduellionis reus.

Non nomini quadringentorum virorum, sed facinoribus quorundam ex isto collegio mihi videtur succensendum esse. Negari enim vtique non potest, eorum

rum aliquos vobis insidiatos esse. Rursus tamen alii, coeuntes in curia, non eo coibant, quo aut rempublicam, aut vestrum quemquam priuatim laederent, sed cum animo vestri studioso, et erga vos beneuolo. Quo in numero hic quoque fuit Polystratus, [pater noster.] Hunc enim, cooptatum tum temporis [in collegium quadringentorum] vt virum commodum et ciuilem, non erga municipales solummodo, sed etiam erga vniuersam plebem vestram; accusatores nunc maleuolentiae nescio cuius insimulant, tametsi fuisset a tribulibus delectus, qui omnium optime de suis dignoscere potuissent, qualis quisque esset. Ego vero scire velim, cuius rei causa principatui paucorum Polystratus studuisset. num, quod ea esset aetate, qua speraret, se posse orationibus suis opes sibi potentiamque parere? an quod corpore fideret, tam vegeto et robusto, vt inultus posset, quemcuuque vellet vestrum, verberare, aliisque contumeliis afficere? Atqui videtis aetatem eius, quae est eiusmodi, vt vel sola possit alios ab eiusmodi temeritate reuocare. An recuperandi status causa censendus eritpater nouis rebus studuisse? Nil minus. Profecto, si quis ob facinus aliquod superiori tempore admissum capite minutus sit, eum consentaneum est sui causa mutatam velle rempublicam. Pater autem nihil tale commisit, ob quod ei necesse esset plebem vestram sui causa odisse. At liberorum tamen? Ne horum quidem. Nam ego quidem tum in Sicilia, reliqui duo fratres autem in Boeotia agebant. A nobis ergo, qui vrbe abessemus, nullum tale facinus potuit in vrbe patrari, cuius metu territus pater, amans nostri, statum ciuilem perturbatum isset. Quocirca pater neque propter liberos, neque propter sua propria vetustiora scelera, quae nulla sunt, censendus est nouas res agitasse. Sed multitudinem honorum, quos gessit, ei dant vitio; quamquam eos male ab ipso gestos esse, nemo est qui docere possit.

Ego

Ego vero non hos peccasse arbitror, si qui in illa, quae tum erat, rerum perturbatione multos honores gessere, sed istos, qui, quos gererent, quamuis paucos, honores, iis ad pestem reipublicae abuterentur. Non enim imperiis et magistratibus rite fungentes, prodebant rempublicam, sed hi, qui commissum sibi potestatem ad scelera conferrent. Hic autem, pater noster, primum, patriam in Oropi praefectura non prodidit, neque nouis rebus studuit, aliis omnibus, qui tum cum imperio atque potestate essent, rempublicam hosti prodentibus atque vendentibus. Deinde contra fecit, atque alii omnes sceleris sibi conscii. Reliqui salutem fuga quaesiuerunt, ipsi suo sese praeiudicio condemnantes. Hic autem, ratus a se fraudem noxiamue nullam esse datam, iudicio sese nunc sistit. Tertium, pater a consiliis quadringentorum sese prorsus abstinuit. Tam proiecta quidem est accusatorum cupiditas, tam odiosa iniquitas, vt non solum quibus a reis largitiones acceperint, eos, tametsi sontes, iudiciorum seueritati subducant, a quibus autem nil lucrentur, eos, quamuis insontes, deferant, et in iure persequantur; sed etiam cunctos, qui tum in collegio quadringentorum fuerunt, accusent perinde, siue deliberationibus eorum interfuerunt, siue minus. Ego vero, quotquot ab illorum rationibus suas seiunctas habuerunt, vt pater habuit, a quo nulla vnquam dicta fuit sententia plebi vestrae noxia; eos ego omnes a vobis ideo male tractari nego oportere, quod clam vobis addicti, tyrannorum odia et iras sibi conscisce verecundati fuissent. quod vt reprehendatur, tantum abest, vt potius laudem mereatur, ceu sapienter et prouide factum. Tyrannis enim si qui refragarentur, eorum alios exsilio, alios extremo supplicio multabant. Quo factum, vt, etiamsi qui vellent pro vobis pugnare, metus et exempla caedium omnes absterrerent.

Pari

Pari modo plebeii quoque a tyrannis aut in exſilium acti, aut neci dati, de ſe iam deſperare coeperant. Contra, tyrannis qui dicto eſſent audientes, et neque inſidiaturi, neque arcana enuntiaturi viderentur, illos tyranni quietos manere ſaluosque ſinebant. Sic facile factu non videbatur, vt eorum imperium vnquam concideret. Eiuſmodi ergo tempeſtate qui dediti vobis fuere, eos nunc non decet ſuae voluntatis poenas dare. Graue vtique mihi videtur futurum, ſi, qui nullius tum ſententiae in fraudem plebis veſtrae fuiſſet auctor factus, eum nunc oporteat eadem ſorte vti, qua illos, ſi qui tum tyrannos delationibus atque ſuggeſtionibus teterrimis in vos inſtigaſſent. Eccui credibile hoc fiat, qui totis ſeptuaginta annis in vos nihil deliquiſſet, eum ſubito intra octiduum extrema quaeque in vos deſignaſſe? Crebrum quidem eſt et vulgo notum genus illud transformationum, quo fit, vt, qui tota vita improbi fuiſſent, hi repente in Logiſterio [ſeu curia cenſoria] probi fiant. Id quod nemo miratur, notis illis artibus, quibus accuſatores placantur. At vt, qui tota vita probitatem atque honeſtatem vobis approbaſſent, hi repente mali et ſceleroſi fiant, inviſum atque inauditum eſt portentum. Quod num probabimus? num in vſum admittemus? De patre porro accuſatores, cum alia multa, tum hoc quoque iactarunt mendacium, Phrynichum ei cognatum fuiſſe. Atqui, quicunque volet, vel mea manante aqua, teſtator, Phrynichum ſanguinis neceſſitudine cum patre coniunctum fuiſſe; et ego eum falſi dicti teſtimonii reum peragam. Et mentitos id illos eſſe, multa arguunt. Neque enim patri communis cum Phrynicho diſciplina puerilis fuit, neque morum ſimilitudo, neque vitae genus idem, neque officiorum neceſſitudo. Pater in vrbe liberalibus artibus a magiſtris publicis puer eſt imbutus. Phrynicho autem ludum frequen-

tare

tare non licuit, sed, paupertate constrictus, rure puritiam inter armenta et pecora exegit. Adolescenter facti locum inter se permutarunt, pater rus concessit, rei familiari curandae operam daturus, Phrynichus autem in vrbem se contulit, quaestum e calumniis facturus. Adeo nihil conueniebat in eorum moribus. Etiam Phrynicho si quando mulcta esset aerario pendenda, pater ei nihil vnquam contulit. Atqui, si alias, in eiusmodi temporibus inprimis amici, qui sunt, animum declarant. Municipalis autem patris quod Phrynichus fuerit, id vero nocere patri nullo pacto debet. Aut vos quoque in noxa eritis, ciues Phrynichi qui sitis. Ciuilitas autem quo alio declaretur luculentiore modo, quam pater fecit tum, quum visum vobis esset quinque millibus rempublicam credere? Delectus enim indici conficiendo nominum eorum, qui digni cooptatione in hunc numerum viderentur, pro quinque millibus nouem scripsit nominum millia; quo vtrosque sibi obligaret, tam eos, qui illo in indice scribi vellent, quam qui nollent; illos scribendo, hos rursus expungendo. Atqui non hi ciuilem tollunt libertatem, qui ciues creant quamplurimos, sed illi, qui ciuium numerum minuunt. Pater porro, cum et iurare, et indicem scribere recusaret, ab illis coactus est terrore mulctarum, quas ei irrogabant. Dixit ergo pater quidem iusiurandum per vim expressum, et venit quoque in curiam, sed solummodo per octiduum; quo peracto in Eretriam abiit, vbi militia functus est non instrenua, neque ingloria in pugnis naualibus. Saucius inde huc rediit, rerum facie iam mutata. Ita se pater cum gessisset, collegioque quadringentorum non nisi per octiduum interfuisset, totoque illo tempore ad dicendam sententiam os non aperuisset, mulcta tamen ei dicta est tam enormis pecuniaria: qui autem et inimicis vestris consilia infesta vobis atque exitiosa subiece-

iecerunt, et eorum collegio ab initio inde vsque ad finem interfuerunt, eorum multi absoluti sunt! Id quod, non inuidens illis dico, sed sortem nostram miserans, o quam illam iniquam! Alios fontes iudicibus visos precibus eripiunt poenisque meritis liberant viri auctoritate pollentes meritisque spectabiles, qui turbidis illis reip. temporibus egregiam vobis operam praestitisse iudicantur. Alii pariter, atque illi priores, iniuriarum furtorumque, rei accusatores largitionibus ita sopiunt, vt nil quicquam peccasse videantur. Nos vero plectimur insontes. Eccui iam non miserabilis sors nostra videbitur? Sed aient accusatores, quadringentos homines nequam fuisse. Atqui vos ipsi ab his inducti quinquies mille viris vos tradidistis. Iam quae vos, qui tot numero essetis, vobis passi estis persuaderi, ea non decebat vnumquemque quadringentorum sibi pati persuaderi? Verum, non hi sunt in culpa, sed isti, qui vos deceperunt atque laeserunt. Hic autem, pater meus, multis rebus egregiam suam erga vos voluntatem declarat. Statum enim vestrum popularem euertere si voluisset, non curia solummodo per octiduum salutata, peregre profectus esset in naue. At dicat aliquis, eum cupiditate opum colligendarum illud iter suscepisse. Fuerunt vtique qui per potestatis oportunitatem socios vestros expilarent. Hic vero quid opum vestrarum interuerterit, nemo facile dixerit. Omnia eius alia potius reprehendunt, quam cupide ab eo gestam atque impotenter praefecturam. Accusatores tum temporis quidem voluntatem erga plebem nullo prodebant documento, neque laboranti ei succurrebant; nunc autem, cum ipse secum populus optime consentit, et mutua caritate ardet, subueniunt, verbotenus vobis, reapse sibi. Tanta autem mulcta pecuniaria damnatum fuisse patrem, id vero vos mirari, iudices, nolim. Absentem enim eum, vnaque nos condemna-

runt, eo in iudicio, quod vt de absente haberetur, ipsi malis artibus perfecerant. Etsi enim testari quis ei potuisset, non licuit tamen ob metum ab iis accusatoribus, quibus testes corrupti praesto essent, nil metuentes manifesta adeo mendacia testimonio suo confirmare. Luctuosa profecto sit fors nostra, iudices, si alios quidem, peculatus ita conuictos, vt infitiari nequeant, aduocatis, viris gratiosis, exorantibus condonetis, nobis autem gratiam facere nolitis, tametsi et ipsi de plebe vestra bene mereri contenderimus, et pater nulla culpa teneatur. Peregrino quidem, ad vos adeunti, aut pecuniam, aut honorem rogatum, e. c. vt Euergetae titulo cohonestetur, sine dubio sitis tributuri. nobis autem hoc minutum denegabitis, vt imposterum simus ciues, quemadmodum ante mulctae illius scriptionem fuimus, iure ciuili redintegrato, vt qui optimo? Tyrannorum si qui fuerunt erga vos maleuoli, res vestras si male et flagitiose gesserunt, sententiarum auctores si facti sunt inimicarum vobis atque perniciosarum; iniqui sitis vos, si culpam earum rerum in absentes conferatis, vos, qui ipsos adeo praesentes, et in illis deliberationibus versatos absolueritis. Ciuium vestrorum si quis vobis non optima suadens persuaserit, non licet id vobis vitio dare, sed suasoribus. Iam illi, qui vobis tum malorum consiliorum auctores fiebant, quum praeiudicio se suo damnassent, quo iudicium vestrum praeuenirent, fuga salutem quaesiuerunt, ne poenas darent. Etiam alii si qui nescio quae in vos peccarint, leuiora quidem illa istis, at peccata tamen, suadet his metus vestri accusatorumque, vt domo profecti peregrinam militiam fungantur, quo interea aut vos vltro fiatis mitiores, aut ipsi vehementiam accusatorum placent. Pater autem, statim a restituta pace, copiam iudicii de se habendi vobis fecit, tametsi insons, recente adhuc penes vos rerum gesta-

rum

rum memoria, cum et citissime et certissime posset argui. Fecit autem, fiducia innocentiae suae, certus, bona causa armatum se cum victoriae gloria ex isto iudicio esse discessurum. Quam ciuilis autem pater fuerit, nunc docebo. Primum, quaecunque inciderent castrenses expeditiones, ab earum nulla abfuit; de quo testari poterunt conscii municipales. Deinde, bona sua cum vendere potuisset, redactumque e venditione aes clam habere, domi in arca, aut in foenore positum, eoque contributiones publicas compendifacere; fundos retinere maluit, suique vos census conscios habere; quo, ne si vellet quidem, sibi liceret malo et ignauo esse, sed contribueret potius, muniisque sumtuosis fungeretur. Nos ipsos quoque, qui liberi eius sumus, ita instituit, vt reipublicae essemus quam vtilissimi. Et me quidem in Siciliam misit, vbi, donec saluus erat exercitus, locus defuit specimen meae virtutis edendi, vnde cognosceretis, qui essem. Exercitu autem deleto, quum Catanam saluus euasissem, inde factis excursionibus totum circa agrum depraedabar, hostibusque clades haud contemnendas inferebam. E praedae quidem sectione tantum rediit, vt non modo triginta minae, decimarum nomine, inde demi atque Mineruae consecrari, pro more solito rituque patrio, possent, sed etiam supereresset, vnde milites ex hostium captiuitate redimerentur. Equestrem quoque militiam, coactus a Catanaeis, obii, et ne in ea quidem periculum vllum defugi; vt constaret inter omnes, qui mihi esset in vtraque militia, tam equestri, quam pedestri, fortis et bellicosus animus. Testes cita. *Testes.* In bellis itaque qualis fuerim, audistis, iudices, his e testibus. quo autem erga plebem vestram animo, id nunc declarabo. Syracusanus aliquis eo [Catanam] cum veniisset, secum afferens formulam sacramenti, quo ciuium nostrorum adigeret, si qui vellent, desertis par-

tibus patriae, aduersus eam arma capere et in castris Syracusanorum merere, accedebat ad nostratium, qui tum ibi essent, vnumquemque viritim, ad sacramentum dicendum inuitans, atque conditiones offerens. Ei ego me statim opposui, omniaque, quae fierent, Tydeo [magistro turmae nostrae] indicaui; qui militibus in concionem conuocatis rem ad deliberandum proposuit. Agitabatur causa vtramque in partem. Alii alia suadere. Ego vero quae tum disputauerim, hi mihi testes sunto, quos cito. *Testes.* Sed patris quoque spectate literas, quas in Siciliam proficiscenti addiderat, mihi reddendas, ipsique arbitramini, vtrum earum argumentum e re plebis vestrae sit, an ad eius fraudem pertineat. Pater enim illis in literis, secundum significationes de rebus nostris priuatis domi, hortabatur me domum redire, donec saluae adhuc in Sicilia res nostrae essent. Atque istaec cohortatio vobisque vestrisque ibi copiis conducebat. Nunquam profecto pater istaec per epistolam mandasset, nisi vobis et reip. bene voluisset. Haec de me. Nunc fratrem natu iuniorem vobis proponam spectandum qualis fuerit. Exsules nostri cum aliquando agrum atticum persultarent, et non vrbem modo quibuscunque possent modis vexarent, sed etiam ex arce sua [Decelea] prorumpentes subiectum circa agrum depopularentur, prouectus in equo frater ex ordine suo, exsulum vnum aliquem interemit. Cuius rei vobis testes oculatos praebebo, qui rei, cum gereretur, interfuere. *Testes.* Fratrem autem denique natu vetustiorem, si qui vestrum hic assident, circumuestant, illa in luctuosa expeditione Hellespontica versati, hi bene norunt commilitonem, ab eoque edita esse virtutis documenta conscii sunt, nullius alius virtuti quicquam concedentia. Ascendite vos mihi huc. *Testes.* Tales itaque nos cum simus, atque fuerimus, ecqui decebit

gratiam

gratiam nos a vobis nullam referre? Aequumne eſt ſeueritatis et gratiae momenta vos libra tam iniqua librare, vt, quibus criminationibus iniuſtis pater oppreſſus fuit, ob eas nobis haud meritis pereundum ſit; ſtudii autem noſtri pro rep. promti et indefeſſi nullam nos oporteat a vobis reportare gratiam? Summa quidem haec foret, hercle, iniuria. Quidni contra potius, etiamſi per patris offenſionem digni eſſemus malo, multo maiori iure propter labores a nobis pro rep. exantlatos digni ſimus, qui non ipſi ſolummodo ſeruemur, ſed etiam patrem vna meritis noſtris periculo eripiamus, eoque ſtudii erga vos noſtri fructum finemque ſperatum adipiſcamur? Non enim profecto lucri cupiditas ad bene de vobis merendum nos impulit, ſed hoc ſpectabamus, vt ſi quod in certamen forenſe aliquando implicaremur, amicorum deprecationes apud vos valerent tantum, vt gratiam nobis meritis noſtris quaeſitam redderetis. Verum non noſtri ſolummodo, ſed aliorum quoque cauſa mites vos atque placabiles, acceptorumque beneficiorum memores et gratiam referre paratos oportet eſſe. Nam erga nos quidem ingrati ſi ſitis, haud magnum ex ea re detrimentum acceperitis, qui iam perceptum habeatis virtutis noſtrae fructum, vſuque cognitum atque perſpectum noſtrum erga vos animum, vel antequam eo loci deueniretis, vt opera noſtra indigeretis; at aliorum contentionem vos promerendi ſic exſtinxeritis, quae contentio diligentia gratiae meritis paris referendae accendi vult. Nolite prouerbio illi vulgari, quod prouerbiorum vnum omnium eſt nequiſſimum atque teterrimum, exemplo veſtro fidem atque auctoritatem adſtruere, quo prouerbio fertur male paſſis memoria tenacior, quam bene paſſis, inſidere. Ecquis enim impoſterum velit homo frugi eſſe, ſi penes vos tortoribus veſtris ampliora ſint, quam benefactoribus, praemia conſtituta? Vi-

dete, iudices, qua de re agatur. Non hoc agitur nunc istoc iudicio, iudices, vtrum rem habituri sitis e fortunis nostris amplificatam, sed vtrum nos, ciues bonos et fortes, vestrique studiosos, necne. Olim quidem, donec adhuc pax erat, pater, sedulo frugaliterque rem rusticam exercens, censum habebat in propatulo, tabulis publicis consignatum. Ex quo autem hostes in fines atticos irruperunt, fortunis omnibus denudati sumus. Et haec ipsa causa est nostrae erga vos propensae voluntatis. Nouimus enim, numis quidem, qui nulli nobis sunt, nos non posse mulctam luere, at posse, fortassean, contentione studii vobis inseruiendi. Cuius studii nostri poscimus nunc remunerationem. Vbi quis, liberis secum hunc in suggestum adductis et circum se stare iussis, vos, multis cum lacrymis atque obtestationibus et lamentis orauerit, vt sibi liberisque parcatis, tum vos videmus in gratiam liberorum patribus delicta remittere, commiseratione motos, si vna cum patribus liberos quoque capite minui oporteat, quamquam ignoratis cuiates sint hi liberi, adultiores facti, futuri, commodine atque probabiles ciues, an mali et noxii. De nobis autem certi estis, non nos modo strenue pro rep. elaborasse, verum etiam patrem culpa vacare. Quanto igitur est aequius, vos gratia referenda illos demereri, quorum voluntates vsu vestro iam cognitas perspectasque habeatis, quam hos promereri, quorum de studiis atque moribus futuris nihil dum certo vobis constet? Euenit nobis contra, quam aliis hominibus. Alii per liberos, vtrinque adstare iussos, vos exorant. Nos autem patremque ipsosque nosmet vestris offerimus oculis, iudices, rogantes, vt ciuile ius, quo olim saluo et integro vsi fuimus, nobis imminuere, eaque ciuitate, cuius ciues fuimus, nos excludere nolitis. Misericordia potius vos senisque patris nostrique mouento. In-

to. Iniqua vestra pessumdati sententia, quomodo mutua delectabimur nostra consuetudine? quam iucunditatem adspectus nostri patri afferet? quo nos ore vultuque patrem intuebimur? quam moestam deiectis animis vitam necessario agemus et inter nos domi, et publice vobiscum, recordantes, modis nos acceptos esse indignis vestraque aequitate, et vniuersi populi magnanimitate. Auribus propitiis preces, quas vobis admouemus, qui tres sumus ex eodem patre nati, accipite. Sinite nos ad ornandam vestram remp. adhuc maiorem studii officiorumque contentionem conferre. Per ea quae vestrum cuique viritim cara et sacra sunt, vos oramus, per liberos, si cui sunt, vt nostri misereatur, per paritatem aetatis, si quis vestrum aut nobis aut patri aequalis est. Absoluite nos, haud committite, vt voluntati nostrae bene de rep. merendi obstaculo sitis. Hostes si nos interemissent, aut obstitissent, quominus salui domum rediremus, rem fecissent se dignam atque consentaneam. Sed hostes nos conseruarunt. Quam ergo dura sit futura atque indigna sors nostra, si nihil a vobis impetremus, cuius causa nos par sit nobis felicitatem hanc congratulari, cui hoc debemus, quod e telis hostium salui atque sospites in patriam euaserimus?

ORATIO XXI.

qua reus, cuius nomen hodie ignoratur, crimen largitionum acceptarum a se amolitur.

Et de criminationibus quidem haec hactenus, quibus abunde satisfactum esse, iudices, equidem nullus dubito. Sed etiam de reliquis vt me dicentem aequi audiatis, oro vos, quo sciatis, quonam de viro sententiam sitis laturi, cum de me feretis. Archonte Theopompo, in scrutinio probatus, coepi muniis virilibus atque ciuilibus fungi. Choregus tragoedis datus,

tus, insumsi triginta minas. tertio mense post in Thargeliis vici choro virili, quae victoria mihi bis mille drachmis constitit. Archonte Glaucippo in pyrrhichistas Panathenaeis magnis impendi octingentas drachmas. Dionysiis, in chorum virilem, eodem Archonte, sumtum feci quinquies mille drachmas; comprehenso nempe illa summa impendio in tripodem facto, quem dedicaui victoriam adeptus. Diocle quoque Archonte, Panathenaeis minoribus, in cyclicum chorum impendi tercentum drachmas. Inter haec continuo septennio triremi cum potestate trierarchi praefui, eamque in rem sex talenta impendi. Tantos pro vobis sumtus tolerans, ipsoque corpore meo quotidianos labores atque pericula capessens, et domo absens, nihilominus tamen duas contuli contributiones, alteram triginta minarum, alteram quadraginta. Auxia Archonte, vt primum cum classe domum redii, protinus gymnasiarchi munus in Prometheis gessi, vicique, sumtu facto duodecim minarum. Choregus postmodum choro puerili dictus, quindecim minas impendi. Archonte Euclide, choregus factus, Cephisodoto magistro vici, quam in rem septendecim minas impendi, computata supellectile et vestis dedicatione. Panathenaeis paruis sumtus feci in pyrrhichistas imborbes, minas septem. Vici quoque triremi certamen apud Sunium, cui rei quindecim minas impendi. Praeterea Architheoriis functus sum, et Arrhephoriis, aliisque similibus, in quae omnia insumtae sunt a me plus triginta minae. Haec, quae enumeraui, omnia si voluissem solummodo secundum formulam a legibus praescriptam exsequi, nae partem ne quartam quidem insumsissem eius aeris, quod a me aio insumtum esse. Toto illo septennio, quo trierarchus fui, mea triremis reliquas omnes vniuersae classis nauigandi celeritate atque felicitate superauit; id quod documentis grauissimis confirma-

firmabo. Primum enim Alcibiades, quem ego nauigationis mihi comitem nunquam obtigisse peruelim, triremis meae vectura vtebatur, quamuis neque amicus mihi, neque cognatus, neque tribulis esset. Atqui vos omnes nosse arbitror, imperatorem, cui, quicquid vellet, agere liceret, haud facile aliam in nauem fuisse inscensurum, corpusque suum crediturum, praeterquam ei, quae citissime atque dexterrime ageretur. Vt autem Alcibiadem eiusque collegas, ademto imperio, priuatos feceratis, classemque cum copiis Thrasyllo caeterisque nouem viris, eius collegis, tradideratis, horum decem virorum nullo non cupiente mea naui vehi, peruicit tandem Archestratus Phrearrhius, vt ea veheretur. Illo apud Mitylenam exstincto, Erasinides ea mecum vectus est. Atqui nauem sic instructam, quanti putatis constitisse? quantum aes absumsisse? quot noxias hostibus dedisse? quot ornamenta ciuitati comparasse? Documentum poscitis? ingens enimuero dabo. In postrema pugna nauali, cum classis vestra laceraretur, solus ego trierarchorum omnium a vobis laudem merui. Nam trierarchi quoque tum, perinde atque imperatores, re turpissime gesta in offensionem vestram incurrerunt, quod ambo pariter socordia et imprudentia sua istam vobis tantam atque tam insanabilem plagam contraxissent. Nolim itaque vos aegre ferre rei mihi glorioſae factam a me commemorationem. Solus ego tum, (nam imperator naue mea tum nullus vehebatur,) non solum nauem meam saluam in portum vestrum reduxi, sed etiam Nausimachi Phrearrhii nauem, quam e periculo et manibus hostium eripueram. Felicitatem hanc atque laudem propriam non secundae fortunae temeritati, sed sapientiae institutorum meorum debeo. Habebam enim toto illo mei trierarchatus spatio, mecum, liberalitate mea obstrictum, Phantiam gubernatorem, qui Graecorum

corum omnium gubernator dexterrimus atque felicissimus tum habebatur. Sed remiges quoque comparaueram isto gubernatore dignos, paremque illis reliquam naualium ministrorum familiam. Vera haec a me dici, nostis quidem vos omnes, quotquot tum temporis militiam ibi locorum tolerabatis; verumtamen cita tu mihi Nausimachum. *Testis.* Naues vniuersae isto e praelio seruatae sunt numero duodecim, quarum vnus ego duas opera mea seruatas in portum vestrum retuli, meam atque Nausimachi triremem. Pro tot igitur tantisque discriminibus vestri causa toleratis, ornamentisque a me in remp. collatis, rogo nunc, non munus, vt reliqui rogare solent, sed licentiam solummodo fortunas meas imposterum saluas possidendi, existimans non mihi maiori, quam vobis, dedecori futurum, si vos mihi, siue volenti, siue nolenti, per vim et nefas bona mea eripiatis. Iactura quidem ipsa bonorum haud adeo me sit cruciatura; sed vitam haud merear, vt contumeliam accipiam, muniaque sumtuosa defugientibus creetur opinio, quae in remp. erogarim, ea mihi sine gratia periisse, ipsos autem recto vsos consilio, facultatum suarum prorsus nihil in vos impendisse. Quodsi ergo me audietis, et aequam iustamque feretis sententiam, et vobismet ipsis fructuosa atque salutaria praeferetis. Vectigalia publica, iudices, videtis quam sint exigua; et illa ipsa tam exigua quam misere turpiterque ab administratoribus furtisque et rapinis discerpantur; vt verum videantur hi cernere, qui statuunt, certissima vobis vectigalia esse facultates volentium munera edere. Quodsi ergo sanioribus vti voletis consiliis, nostram, quotquot ciues vestri sumus, rem familiarem haud minore cura diligentiaque tuebimini, atque vestrum suam quisque propriam tuetur, certi cum sitis, nostra si nobis relinquatis, posse vos iis imposterum quoque perinde vti, atque pridem vsi estis,

omnes-

omnesque vos certos arbitror esse, me facultatum mearum multo diligentiorem atque fideliorem fore quaestorem, quam vestri quaestores sunt in bonis publicis administrandis. Sin autem mendicum me reddideritis, non me solummodo laeseritis, sed vna vosmet ipsos quoque fraudaueritis. Fructus enim huius iniquitatis ad vos non perueniet, sed alii vna cum reliquis bonis vestris, etiam haec nostra concerpent et inter se partientur. Etiam hoc par est vos considerare, multo magis vos decere, bona vestra mecum communicare, quam de meis mihi controuersiam mouere, et commiseratione potius me amplecti nudum et spoliatum, quam diuitiis affluentem inuidentia insectari, votaque palam ad deos facere, vt hac in ciuitate largum existere iubeant prouentum ciuium mei similium, qui perinde cupiditatem suam ab alienis compescant, quam sua in vos erogare ardeant. Quam statim dicam sententiam, eius duritie et asperitate nolim vestrum quemquam, iudices, offendi, Vera enim est, vt ego equidem interpretor. Quaesitores vestri multo mihi videntur rectius facturi, si vos in tabulas publicas referant, vt debentes mihi, quam fecerunt, cum me in discrimen causae pro me dicendae adduxerunt, quasi ego vestrorum bonorum partem meam per nefas feciissem. Ita enim me aduersus remp. gero, vt priuatim parcam, publice autem gaudeam largus et liberalis esse. Non de reliquiis fortunarum mearum ita superbio, quam de largitionibus ad vos a me profectis glorior; existimans, harum quidem gloriam propriam mihi atque perennem esse, illas autem me his debere, qui mihi reliquerunt; et ob fortunas quidem a calumniis inimicorum me per nefas exagitari, litibus molestis et iniustis implicatum; ob largitiones autem mereri veniam a vobis atque absolutionem in causis capitalibus. Consentaneum et aequum si fieret, non laborarent nunc alii deprecationibus me ve-

me vestrae iracundiae eripere, sed esset potius mea tanta apud vos auctoritas et gratia, vt, siquis amicorum meorum eiusmodi certamen, quale hoc meum est, haberet decertandum, vos eum mihi poscenti condonaretis; aut si causa capitis ipsi mihi peregrino in foro esset dicenda, vos per legatos pro me apud illos extraneos deprecaremini. Ne ista quidem criminari licet, multos honores me gessisse, per quos de vestro creuissem; neque turpibus de causis me in ius vocatum esse, aut dedecus aliquod vobis contraxisse, aut publicis malis delectatum esse. Vniuerse, priuatimque publiceque ita me gessi, ni fallor, (et fidenter ad conscientiam vestram prouoco) vt purgandae vitae ante actae ergo nil opus sit me multa verba facere. Quocirca vos rogo, iudices, vt eadem de me nunc quoque, quae pridem, existimetis. neque solum sumtuosorum munium, quae pro vobis gessi, recordemini, sed etiam morum meorum, studiorumque vitae omnis meae priuatae, arbitrantes, functionem hunc vnam omnium esse multo molestissimam, vt a puero indevsque ad calcem vitae pudentem te atque temperantem praestes, et neque a libidine te quapiam vinci, neque a cupiditate illici et aufferri patiaris, sed ita te geras, vt ciuium nemo, neque de te queratur, neque audeat in ius te vocare. Nequaquam ergo conuenit, iudices, auctoritati accusatorum vos tantum deferre, vt nos condemnetis, ab hominibue proiectae audaciae accusatos, qui per sacrilegia, quorum rei aguntur, ad istam potentiam istasque ad opes grassati sunt, et tanta proteruia ipsi semet fidunt, vt, cum purgare crimina in se intorta nequeant, ipsi vltro alios accusationibus lacessere sustineant. In castris tam raro versantes, vt Cinelias ipse, in ista valetudine mollitieque corporis muliebri, tamen crebrius arma gesserit, tam acres se ferunt patriae propugnatores, stomachoque tam

tam graui iniurias eius vltum eunt. Nihil de suo conferentes, quo respublica amplior fiat atque beatior, nullum non mouent lapidem, vt vos aduersus viros fortes, optime de republica meritos, irritent atque exacerbent. Mores vtinam ipsi suos in concione depraedicent! neque enim habeo, quod ipsis imprecer grauius malum. Ego vero vos, iudices, modis omnibus oro quaesoque et supplex obsecro, vt nolitis me largitionum acceptarum, eoque corruptorum iudiciorum reum pronunciare, sed potius existimare, nullas esse tantas opes, quas merere velim, vt per me pestis aliqua patriae conscisatur. Insanirem enim profecto, si ego, qui gloriae studio incensus facultates ad patriae inseruiendum exhauserim, largitiones acciperem, quo eidem patriae molestia creetur. Veritate suffragante nil dubito de me ita praedicare, vt aiam, ita me de vobis esse meritum, vt, si optabile sit benefactoribus, iudices habere eos, quibus ipsi bene antea feciſſent, non videam, quos malim alios de me sententiam, quam vos, dicere. Porro, iudices, (iuuat enim hoc quoque commemorare) nunquam pertaesus sum in vos sumtus facere; neque metus meum cor incessit, ne, quo plus in vos erogauero, hoc indigentiores sim meos necessarios relicturus, sed istud mentem meam multo vehementius commouit, si a vobis imperata minus promte minusque libenter exsequerer. Neque miseratio me vnquam cepit, si vitae periculum in pugnis naualibus adeundum mihi esset; non lacrymaui tunc, non vxoris, non liberorum subiit recordatio, neque graue et acerbum duxi, si pro patria occumbens liberos orbos, patre destitutos, essem relicturus, sed illa me multo magis vsit sollicitudo, si quaerenda turpi modo salute mihique ipsisque probra iniungerem. Cuius meae erga vos voluntatis nunc praemium vos depoſco, aequum censens, pro eo, atque

que ego erga vos fuerim animo, periculis caput pro salute vestra obiiciens, vos nunc, in tuto cum sitis, mei meorumque liberorum salutem in periculo versantem vobis ante alia omnia tuendam ducere; existimantes, nobis quidem acerbum, vobis autem turpe fore, si eiusmodi ob crimina debeamus infamiae notam suscipere, aut, exuti fortunis, in magna rerum multarum indigentia, circumcursitare mendicantes, quae res futura sit vobisque indigna, nostrisque de vobis meritis. Neutiquam, neutiquam, iudices, sed absoluendo nos facite potius, vt imposterum quoque tales nos habeatis viros, quales olim habuistis.

ORATIO XXII.

quae est accusatio dardanariorum.

Multi me conuenerunt, iudices, qui se mirari dicerent, quod ego frumentarios coemtores in senatu accusassem, auctoresque mihi essent, tametsi eos flagitiosissime censeatis agere, censere tamen vos, accusatores eorum nihilo ipsis esse aequiores, sed ab his illos iniqua causa opprimi. Exponam itaque primo loco, quid me coegerit hos accusare. Prytanes his de hominibus ad senatum cum retulissent, tanta exarsit senatus in eos iracundia, vt essent in oratoribus, qui senatui auctores fierent, vt frumentarios indicta causa morte mulctandos vndecimuiris traderet. Ego vero graue et indignum ratus, senatum hoc modo assuefieri poenarum extremarum praecipitandis exsecutionibus, cum assurrexissem, dixi, me censere, aduersus coemtores frumentarios oportere iudicium ex formula processus forensis instrui, quod existimarem, vos, iudices, frumentariis, si digna extremo supplicio feciſſe fuissent conuicti, non minus esse iusta decreturos poenamque meritis dignam irrogaturos, atque nos, senato-

senatores qui sumus. Sin autem nihil deliquissent, non oportere eos indicta causa exitio dari. Qua oratione senatui approbata, erant qui me conarentur in inuidiam adducere, ac si studio frumentarios seruandi huius ego factus essem auctor sententiae. Ego vero apud senatum quidem, cum istaec causa agitaretur, huic criminationi satisfeci. Reliquis enim senatoribus tacentibus, cum assurrexissem, frumentarios ita accusabam, vt toti confessui planum facerem me pro iis non dixisse, sed legibus in republica nostra sancitis subuenisse. Has ego ob causas litem hanc exorsus sum. Metuens autem a plebe criminationes, volo causam hanc in vestro quoque, iudices, foro exsequi, existimans, turpe mihi fore, eam prius a me omitti, quam vos de ea pro arbitrio vestro pronunciaueritis. Ascende tu mihi, primus omnium. *frumentarius ascendit.* Dic mihi, inquilinus es? Sum. Iuribus inquilinatus frueris ea lege, vt pareas legibus ciuitatis, an, vt facias quaecunque allubescit? Vt paream. Aliam ergo tibi poenam conuenire nullam censes, quam mortis, si constiterit, te commisisse aliquid eiusmodi, in quod leges poenam mortis sanxere? Nullam aliam. Responde ergo mihi, faterisne te frumenti plus coëmisse, quam leges permittunt, quae leges quinquaginta tonnas coëmi permittunt? Ego plus coëmi, quam leges permittunt, at iussu magistratuum. Iam absoluite hunc, iudices, vbi legem protulerit, iubentem frumentarios eam granorum copiam coëmere, quam magistratus imperarit. Quod si minus potuerit facere, vos eum condemnare oportet. Nos enim legem vobis exhibuimus vetantem, hac in vrbe commorantium quenquam frumenti plus quinquaginta tonnis (vel doliis) coëmere. Oportebat quidem, iudices, haec hactenus dicta ad accusationem sufficere, reo crimen confitente, et lege factum id vetante, quod hic se

com-

commisisse fatetur, vobisque iureiurando obstrictis sententiam ex praescripto legum dicere. verumtamen quo vos de hoc quoque certi siatis, hunc frumentarium mendaci calumnia magistratus infamatum isse, necesse habeo, hoc de loco pluribus agere. Frumentariis nempe culpam in magistratus [rei annonariae tuendae atque regendae praefectos] conferentibus, arcessebamus [nos, prytanes] magistratus, eosque interrogabamus, quid id rei esset. Tum duo quidem plane negabant se causae huius quicquam tenere. Anytus autem aiebat, superiori hyeme, cum in annonae caritate frumentarii alii alios plus licendo superare contenderent, interque sese certarent, atque rixarentur, auctorem se ipsis esse factum, vt desinerent contendere, existimantem, vobis ipsis, qui ab his frumentum emturi essetis, conducere, quam vilissimo vos emere. Non enim licere frumentariis carius obolo in modium, quam ipsi emissent, vendere. Quo itaque vobis constet, Anytum huius sententiae auctorem ipsis esse factum, non quo frumentum a se coemtum reconderent, sed solummodo ne in coemendo se mutuo superatum atque perditum irent, ipsum ad vos Anytum producam. *Testis.* Ecquis iam neget, Anytum quidem, sedente adhuc superioris anni senatu, huiusmodi oratione fuisse vsum, hos autem frumentum hoc coëmisse consilio, vt id rursus hoc anno, hoc, qui nunc sedet, senatu, carissimo venderent? Audistis hos magistratuum iussu frumentum non coëmisse. At fac tamen eos vel maxime vera praedicare. Quid tum? Non purgantur istiusmodi excusatione, sed hoc agunt, quod ad rem minime pertinet, vt criminis sui poenaeque communione magistratus implicent. Legibus enim ita destricte atque diserte edicentibus, qui fiat vt poenas a legibus constitutas effugiant, siue qui facto per se, siue qui per alios auctoritate, in leges impingunt? Verumtamen

tamen ne ipse quidem suspicor eos ad hanc latebram esse receptum habituros; at nescio an coram vobis quoque, prout in senatu fecerunt, iactaturi sint suum vestri studium, dicturique, se beneuolentia erga ciuitatem actos frumentum coëmisse, quo possent id vobis quam vilissimo vendere. Sed eos in hoc mentiri, cum aient, documento planum faciam imprimis graui atque perspicuo. Vestri enim caritate si fecissent, oportebat eos frumentum a se coemtum plures per dies eodem pretio vendere, donec coëmtae copiae defeciissent. Iam vero medimnum persaepe eodem die drachma carius vendebant, quasi medimnatim coemissent. Testes producam. *Testes.* Miram enimuero atque incredibilem inconstantiam atque repugnantiam in modo, quo hi suam erga vos voluntatem, si dis placet, declarare contendunt. Quum collationibus pecuniariis conferendis amor erga vos declarandus ipsis est, tum conferre recusant, paupertatem excusantes, quamquam gloriam mereri sic possent, fama liberalitatis ad multos permanante; Cui autem crimini leges mortis poenam praefiniunt, id crimen summa cum cautione atque latendi diligentia committentes, quod latere ipsorum interfit quamplurimum, gloriantur id se vestri studio facere. Atqui vos omnes nostis, his omnium minime conuenire, vt studeant in vestrae caritatis excusatione dclitescere. Eccui enim minus, quam his, conuenit bene vobis velle, atque vt res vestrae prospere vobis succedant, in votis habere, quorum tam separata sunt emolumenta rationesque a vestris, vt e damnis vestris ipsi crescant? Lucrantur enim tum quam plurimum, quum nuncio publicae alicuius calamitatis acceptae ciuitas conterretur. Tunc frumentum cariissimi vendunt. Tam sunt malorum vestrorum auidi, iisque tam delectantur, vt non solum vera, et reapse vobis coelitus immissa aut quacunque alia fraude oblata mala primi omnium sciant, atque in

famam emittant, sed et, veris deficientibus, ipsi falsa comminiscantur, quo ingentia annonarum pretia in vanum vobis territis extorqueant. Rumores spargunt a se confictos, classem frumentariam in Ponto naufragio periisse, aut e Ponti faucibus egredientem a Lacedaemoniis interceptam esse, aut emporia clausa, aut induciis renuntiatum iri; eo denique procedunt inimicitiae, vt vna cum hostibus certatim vobis insidientur. Frumento enim cum maxime indigetis, [classe hostium portus vestros obsidente, commeatuumque importationes impediente] tum hi maxime frumentum horreis clausum tenent, tum vendere nolunt, ne scilicet de pretio frumenti secum decidamus, sed cupide, atque cum congratulatione redimamus, quantiuis indicent. Quo fit interdum, vt ipsa tenente pace ab hisce patriae hostibus veluti obsidione premamur, machinisque conuellamur. Dudum est ex quo ciuitas horum hominum nequitiam et erga vos maleuolentiam sensit, eique obicem ponere cauit. Satis enim habens aliarum rerum omnium venalium inspectionem vnis aedilibus demandare, huic vni generi quaestus exercendi peculiarem magistratum praefecit. Sunt hi Sitophylaces, sic dicti, seu specierum annonariarum custodes; quos per sortem creatis. Hos Sitophylacas saepe vos, cum vestri ciues essent, tamen extremis suppliciis affecistis, quod horum frumentariorum fraudes domare et coercere non valuissent. Atqui custodes furum si morte afficitis propterea, quod fures satis compescere non potuerunt, ecquid fures ipsos pati, quas poenas dare vobis oportebit? Recordari quoque, iudices, vos decet, fieri nullo modo posse, vt hos absoluatis. Eos enim si absoluatis, qui ipsi fatentur se aduersus mercatores coniurasse, incurretis in eam opinionis foeditatem, vt ipsi vos quoque peregrinis vestros portus frequentantibus insidiari videamini. Aliud

enim

enim quodcunque, non hoc, si excusarent, nemo haberet, quod de vestra eorum absolutione quereretur. Nam penes vos est, vtris malitis credere, accusatoribus, an reis sese purgantibus. Iam vero qui faciatis, vt grauis et indigni facinoris notam effugiatis si eos impune sinatis abire, qui ipsi fatentur a se consciis et volentibus leges esse violatas? Recordamini, quaeso, iudices, quam multos hoc ipso de genere hominum morte mulctaueritis, qui cum hoc ipso de crimine, quo nunc hi, fuissent in iudicium vocati, infitiando subterfugere studuissent, suaeque innocentiae testes adeo coram vobis produxissent. Accusatorum nempe criminatio credibilior vobis reorum infitiatione videbatur. Atqui quomodo res sit non miranda, si ius eodem de crimine dicentes, reos punire malitis infitiantes, quam ipsos confitentes? Praeterea, iudices, nullum est genus certaminum forensium, e cuius dextra sinistraue disceptatione enascens emolumentum detrimentumue magis ad vniuersam ciuitatem pertineat, quam hoc genus. Quaerent itaque ciues atque noscitabunt, quae vestra sit hac de causa sententia. Existimant nempe, mortis quidem poenam in hos reos si decernatis, reliquos etiam hac de familia pudentiores imposterum fore; sin autem hos sine damno abire sinatis, effrenem licentiam vestro exemplo dedisse his furibus videbimini, pro libidine sua grassandi. Verum oportet, iudices, non ob peccata solum iam commissa punire, verum etiam exemplis statuendis terrorem post futuris iniicere. Nam aut hoc pacto, aut nullo, consequemini vt sint tolerabiles. Quamquam vel sic quoque vix erunt. Recordamini, iudices, etiam hoc. Nullo ex alio hominum ordine plures, quam ex hoc, causas capitis certarunt. Tam spissa lucrantur ex isto quaestu frumentario, vt quotidie pericula capitis adire malint, quam finem modumque imponere cupiditati, turpissimis et iniquissimis artibus vos defraudanti at-

que expilanti. Ne si lamentabiliter quidem supplicent atque obsecrent, recte commiserationi locum dederitis. Multo sit satius, vos miserorum ciuium, quos horum sicariorum cupiditas iugulauit, miserari sortem, nec non mercatorum, quorum in capita fortunasque hic furum globus coniurauit; iisque debitas poenas ab his repetere, eoque pacto et gratiam a mercatoribus inire, et eos ad annonas huc conuectandas multo reddere lubentiores atque paratiores. Sin minus, certo futurum existimate, vt mercatorum quoque animos occupet eadem opinionis foeditas, atque, id quod modo dicebam, vestra absolutio horum nebulonum in ciuium animis creatura videtur. Ecquid enim aliud, quam vos cum furibus colludere, censebunt mercatores, audientes, eos mangones specierum annonariarum a vobis absolutos esse, qui ipsi fassi sint, se nauicullariis insidiari? Nescio iam, quae plura disputare debeam. Nam aliorum quidem reorum crimina necesse factu vobis est, vt ab accusatoribus doceamini; horum autem improbitatem ipsi vos omnes iam dudum nostis. Quod si ergo hos condemnabitis, vna iuri aequo satisfacietis, et frumenti pretium minuetis; sin minus, accendetis.

ORATIO XXIII.

qua Pancleo negatur Plataeensis esse.

Multa, iudices, hac de causa disputare, neque scio, neque opus esse arbitror. Recte autem a me in hunc Pancleonem suscepta esse actionem hoc ex titulo, quod Plataeensis non sit, quem se fert, id vero nunc planum vobis facere studebo. Hic Pancleon itaque, cum diu me vexasset, iniuriasque dandi finem nullum faceret, accessi ad ergastulum fullonium, in quo mercenariam operam nauabat, diemque dicebam, qua essem cum eo in foro Polemarchi acturus, iubens, ea die ad-

esse

esse causam dicturum. Opinabar enim, inquilinum esse. Recusante autem illo, atque negante forum illud esse sibi competens, qui, non inquilinus, sed Plataeensis esset, interrogabam, quonam ergo in demo seu municipio domicilium haberet, et cuinam esset demo adscriptus. Inter haec amicus ex iis, quos mecum sumseram, vt de actis testarentur, auctor mihi fiebat, vt illum eam quoque apud tribum, vnde se Pancleon oriundum esset laturus, denunciarem. Cui admonitioni parui. Illo itaque respondente, se Decelea esse oriundum, citabam eum ad iudices tribus Hippothoontidis. Post ad tonstrinam ibam, vbi Deceleenses conuenire solent. Ibi scisitabar, nec non si quos alibi Deceleenses indagarem, num nossent aliquem Pancleonem, qui se e municipio ipsorum oriundum ferret. Negabant omnes nosse. Vnde coepi certior esse, non Plataeensem, sed peregrinum esse, Quo cum accederet, quod audirem, ab aliis quoque hunc hominem apud Polemarchum fuisse delatum, illarumque litium alias adhuc pendere, alias iam esse decisas, sed ita, vt aere mulctatus abisset, ego quoque nullus iam dubitaui nomen eius ad idem forum deferre. Primum itaque testes ego vobis exhibebo Deceleensium eos, qui se nosse negarunt, Pancleonem municipalem suum esse; deinde, quotquot in vrbe iam adsunt ex iis, qui lite aduersus eundem instructa perfecerunt vt condemnaretur. *Testes.* Tenetis iam causas, iudices, quibus ego motus eum in foro Polemarchi in ius vocaui. Illo autem, opponenda exceptione fori haud competentis, hoc iudicium eludente, coepi multo etiam, quam ante, acrius in veri fontem inquirere, cauendum mihi ratus, ne cuiquam arrogantia et proteruia elatus contumelioſa calumnia hominem insontem vexare magis, quam ab inimico poenas iniuriarum mihi debitas repetere viderer. Omnium itaque primum

Euthycritum, quem Plataeenſium noram vetuſtiſſimum, ſuſpicatus, eum rem optime tenere, interrogabam, numquem noſſet Hipparmodori filium, Pancleonem, Plataeenſem. Bene quidem, aiebat Euthycritus, Hipparmodorum; filium autem eius neque Pancleonem noſſe, neque alio quocunque nomine appellatum. Accepto hoc reſponſo, pergebam alios quoque, quos eſſe Plataeenſes norani, interrogare. Verum omnes, negantes ſe nomen hoc noſſe, ablegabant me, ſi vellem quam expeditiſſime atque exploratiſſime certior huius rei fieri, ad forum illud, vbi recens caſeus vaenit. Illuc enim menſis cuiusque Calendis Plataeenſes omnes conuenire. Seruata die, Plataeenſes ibi congreſſos interrogaui, numquem noſſent ciuem ſuum Pancleonem. Reliquis tum omnibus infitiantibus, tandem tamen vnus eorum aliquis mihi confirmabat, ciuem quidem ſe nullum noſſe ſic dictum, at eſſe ſibi ſeruum fugitiuum hoc nomine. addebat dictis aetatem et ſtaturam hominis, artemque, quam factitaret. Haec vera eſſe, quo certi ſitis, Euthycritumque, quem primum percontatus ſum, et reliquorum Plataeenſium ad quoscunque adii, et illum ipſum Nicomedem, qui ſe dominum Pancleonis tulit, teſtes exhibebo. Inhibe tu aquam. *Teſtes.* Diebus haud multis poſt videns ego Pancleonem hunc ab hoc ipſo Nicomede, qui modo teſtatus eſt ſe dominum eius eſſe, in ſeruitutem redigi, volens cognoſcere quid rei eſſet, acceſſi. Longam et acrem poſt rixam, erant qui affirmarent, Pancleoni fratrem eſſe, qui eum in libertatem eſſet vindicaturus. Super hoc praeſtito vadimonio, hominem, quandocunque poſtuletur, exhibitum iri, diſceſſum eſt in forum. Poſtero die ego quoque in foro aderam, cum teſtibus; cum proteſtationis ergo, qua Pancleon actionem in ſe meam amolitum erat, tum actionis, qua Nicomedes eum in ſeruitutem redactum ibat; quo cognoſcerem, qui cauſae huius eſſet futu-

futurus euentus, et quisnam eum esset in libertatem vindicaturus, et quibus argumentis. Verum neque praetensus ille frater aderat, neque fideiussorum quisquam, qui pro eo cauerant, et quorum ob speratam condictamque in foro praesentiam illa sponsio superiori die acceptata fuerat. Muliercula solummodo quaedam aderat, aiens eum seruum esse suum, super eoque cum Nicomede contendens, atque negans se Nicomedi concessuram, Pancleonem in seruitutem agenti. Longum sit tum dicta enarrare. Verum, tametsi et Nicomedes eum vellet missum facere, et mulier item, si quis alius eum aut in libertatem assereret, aut seruum suum esse contendent, eo tamen violentiae atque furoris procedebant, vt abirent cum homine vi extorto atque abrepto. Vobis itaque, iudices, quo constet vera esse, quae dico, scilicet, et pridie fideiussores de ipsoque homine sistendo, et de fratre, libertatis vindice, producendo, cauisse, et tum, die postero, aduocatos eius vi manuque foro et manibus litigantium eum eripuisse et secum abduxisse, harum rerum testes vobis dabo. Tu autem inhibe aquam. *Testes.* Perspectu iam facile est, Pancleonem ipsimet sibi videri, non modo non Plataeensem, sed ne ingenuum quidem. Qui enim eo, quod passus est se vi manuque foro et arbitrio iudicum extorqueri, amicos in discrimen causae de violentia illata dicendae conicere maluit, quam via iuris aequi in libertatem vindicatus, ab iis poenas repetere, qui se in seruitutem actum issent, difficile arbitratu non est, eum seruilis suae sibi conditionis probe conscium fuisse, eoque metuisse, fideiussoribus datis, periculum iudicii de ingenuitate adire. Ex his ferme vos omnes intellexisse, iudices, arbitror, multum abesse, vt Pancleo Plataeensis sit. Verum, vt ipse semet optime norat, ita desperauit quoque vnquam futurum, vt vobis persuaderet, vt Plataeensem

esse suspicaremini. Id quod aperte institutis suis prodidit. Aristodicus enim hic, quem inter testes meos coram cernitis, iudices, hunc eundem Pancleonem actione apud Polemarchum aliquando persecutus est. In ἀντωμοσίᾳ huius causae iuratus confirmabat Pancleo se Plataeensem esse, eoque se necessitate coram Polemarcho standi nulla teneri. Testis autem ab Aristodico contra eum productus, iuratus negabat eum Plataeensem esse, Huic testi Aristodici denuntiabat quidem Pancleo falsi dicti testimonii actionem; verum actionem illam exsecutus non est, sed aequo animo tulit se ab Aristodico reum peractum mulctae condemnari. Cui mulctae luendae dictam diem exire passus aere non depenso, superdiarius factus est; et Aristodico propterea supellectilem eius domesticam diripere parante, tandem cum eo conditionibus quas impetrare potuit commodissimis decidit, et sic mulctam soluit, impetrata ab actore qualicunque remissione. Vera haec esse testes confirmabunt a me exhibendi. Inhibe tu aquam. *Testes.* Verum ante quam haec decisio coalesceret, metu Aristodici, Thebas hinc auffugerat Pancleon, vbi pro inquilino diu habitauit. Atqui vos omnes scire, iudices, arbitror, si vere Plataeensis esset Pancleon, consentaneum fuisse, vt quocunque alio terrarum in angulo latitare mallet, quam Thebas concedere. Thebis autem diu Pancleonem habitasse, quo certi sitis, audite hos testes. Inhibe tu aquam. *Testes.* Sufficere haec mihi dicta, iudices, arbitror, quae si memoria tenobitis, certus sum vos ea scituros esse, quae cum vera et aequa sunt, tum ego vos oro quaesoque vt scisca-tis.

ORA-

ORATIO XXIV.

quam qui habet, is ſenatum docet, inualidum vtique ſe eſſe, contra quam accuſator infitiaretur, eoque iure ſibi negat ademtum iri ſtipendium, quod adhuc a rep. tuliſſet, rogatque vt id impoſterum quoque ſibi percipere liceat.

Multum abſum, ſenatores, vt iraſcar huic accuſatori, vt gratiam potius ei habeam, qui certamen hoc mihi compararit. Qua enim antehac carebam oportunitate legitimaque cauſa omnem meae vitae rationem coram vobis explicandi, eam nunc per hunc adeptus ſum. Conabor itaque hac oratione planum facere, hunc quidem mentiri, me autem ad hoc diei vitam egiſſe eam, vt laude ſim, quam inuidia, dignior. Nam inuidia ductus, nullaque alia de cauſa, videtur hic homo me hos in certamen detruſiſſe; quamquam iis qui inuidet, quorum alii miſerentur, ecquod ille flagitium vnum omnium vobis abhorrere videtur? Quamquam cur mihi inuideat, ego equidem nil cauſae cerno. Nam ſi opum cauſa, nullae mihi ſunt; et ſi ait eſſe, iniuſta me calumnia it oppreſſum. Sin autem ſimultatem neſcio quam ſuam mecum praetendit, eaque ſe impulſum ait ad hanc litem mihi mouendam, pariter mentitur. Ea enim eſt eius improbitas, vt tota mea vita cauerim rei quicquam cum illo commune habere. Neutram in partem eo ſum vſus. neque amicum, neque inimicum vnquam eum habui. Eccur itaque tandem, Senatores, ita mihi inuidet? Nam ſe mihi inuidere tam apertis prodit indiciis, vt infitari nequeat. Dicam vobis. Virtute ipſi praeſto. Vſus hac, quam videtis, calamitate, ciuis tamen ſum illo fortior atque honeſtior; et ſemper ſtudui eſſe, ratus oportere labes corpori a ſiniſtra quadam fortuna oblatas mentis laudibus corrigi. Neque mei me conſilii poenitet, ſed rectam me viam tenuiſſe perſua-

mihi habeo. Mens enim si mihi sit, perinde atque corpus est, vitiosa atque mutilata, et morum prauitate si hnic praestem? non sim perinde turpis futurus et abominabilis, atque hic est? Sed haec hactenus. Ipsam nunc ad causam accedamus. de qua quam breuissimis potero, conficiam. Accusator nempe obolum a rep. adhuc mihi praebitum negat fas esse imposterum praeberi, sed ait denegandum esse. corpus mihi validum et robustum esse. titulum ergo ἀδυνάτου, seu inualidi, cuius praetextu stipem illam adhuc percepissem, mihi nullo modo competere. praeterea me artem tenere atque exercere tam fructuosam, vt ea vel sola, etiam sine illo stipendio, me possit alere. Et argumentis vtitur, ad corporis quidem robur demonstrandum, hoc, quod alias in equos non sim ascensurus; ad docendum autem, quaestum ex arte me facere satis vberem ad vitam sustentandam, isfloc, quod consuetudine vtar hominum sumtuosorum et prodigalium. Quaestum quidem ex arte mea, vitamque reliquam, quae sit, nostis, senatores, ni fallor, vos omnes. Dicam tamen nihilominus paucis. Pater facultatum mihi nihil reliquit, dudum vita defunctus. Matrem, hoc triennio ante demum defunctam, de meo ad vitae finem vsque alui. Liberi nondum sunt, qui curis suis meo corpori de victu cultuque necessario prospiciant. Artem, quam sterilem parumque fructuosam exerceo, incipio iam, obrepente senio, aegre exercere; neque comparcere mihi adhucdum potui tantum aeris, vnde seruum emerem, quem eam artem docerem, eoque adiutore in illa exercenda vterer. Vectigal mihi nullum est aliud, praeter hanc stipem, qua si me priuetis, periclitor de sorte dirissima subeunda. Quapropter penes vos cum sit, senatores, ita me seruare, vt vna ius et fas quoque seruetis; nolite me ita perdere, vt eo facto vosmet ipsi summo scelere obstringamini. neque detrahite

mihi

mihi nunc, ſeniori et inualidiori facto, id, quod olim iuniori adhuc atque valentiori dabatis, neque ſinite ab huius accuſatoris mei calumniis ita vos incitari atque in furorem agi, vt crudelibus modis accipiatis eos, quorum miſeria vel ipſos inimicos ad commiſerandum flexura ſit; poſtquam olim erga eos ipſos adeo, quibus corpus nulla deformatum eſſet labe, mirifice miſericordes fuiſſetis; neque reliquos pari ſortis aduerſitate mecum vſos ad moeſtitiam atque deſperationem adigite. id quod facturi ſitis, ſi mihi iniuriam offerre ſuſtineatis. Foret vtique abhorrens, vos, ſenatores, quam ſtipem me olim paſſi eſtis a rep. ferre, cum calamitate adhuc ſimplici premerer, eam mihi hoc tempore ereptum ire, quo ad illam olim ſimplicem calamitatem, [artuum mutilationem] geminum aliud acceſſit malum, ſenium, et morbi, cum tota cohorte malorum illinc exſiſtentium. Paupertatis meae magnitudinem vel ſolus videtur accuſator meus docere poſſe omnium liquidiſſime. Fac me, choregum tragoediis nuncupatum, illi conditionem offerre fortunarum permutandarum. Quid tum? Vel decies malit choregi partes agere, quam ſemel fortunas mecum permutare. Ecqui ergo graue non ſit accuſatorem iactare audere, me ob quaeſtus vbertatem cum locupletiſſimis verſari, atque prodigalitate certare, qui accuſator, ſi, quod dixi, eueniat, tam ſe ſit iniquum, et multo etiam nequiorem exhibiturus? De geſtatione mea in equo quod eum nihil puduit ad vos commemorare, neque vltricis fortunae metu abſterritum, neque vultus veſtri reuerentia repreſſum, neceſſe habeo me purgare. potero tamen breuis eſſe. Quibuscunque, ſenatores, huiuſmodi quaedam obtigit corporis labes, hos omnes arbitror hoc quaerere, meditari, circumſpicere, vt aliquam inueniant machinam, per quam iſta labes ſibi fiat verſatu atque toleratu quam expeditiſſima, minimaque cum moleſtia

quaſi

quasi habilis. Quorum in numero cum ego quoque essem, offensione sinistrae fortunae debilitatus, hanc mihi machinam excogitaui, qua molestias itinerum alleuarem, quae suscipienda mihi sunt paulo longiora, quam sunt illa quotidiana et ineuitabilia [in forum et ad familiares in vrbe, quo pedibus ligneis fultus commeare soleo.] Equus est illa machina, in quem inscendo, non, quod hic ait, superbia tumens, non insolentia gestiens, sed ob paupertatem, id quod perspectu facillimum est, senatores, vel vnum hoc recogitanti. Facultates amplae si mihi essent, astraba [h. e. siue mulo, siue petorrita] gestarer, non autem in equis alienis, precario sumtis. Quia vero vehiculum hoc beatorum hominum comparare mihi aere meo non possum, saepe necesse habeo equis alienis vti. Annon erit inconsentaneum, senatores, quod in equos ascendam mutuo rogatos, ex eo accusatorem contendere vobis persuadere, me δυνατὸν esse [valentem et corpore et opibus] eoque priuandum beneficio legis, solos ἀδυνάτους, invalidos, ad stipis fructum admittentis; qui accusator idem si me videat astraba [mulo, vel petorrita] vectum, haud sit hiscturus. ecquid enim dicat tandem, etiamsi oggannire velit? Quod geminis nixus inambulem scipionibus, cum alii singulis incedant nixi, vitio id ille mihi non dat; neque argumento hoc vtitur ad persuadendum me in numero τῶν δυναμένων [potentium atque valentium] esse; equis autem quod vecter, ex eo colligit, hoc in censu me haberi oportere, quamquam causa non est eadem ob quam ego baculis incedo geminis nixus, atque, ob quam diuites incedunt nixi singulis. Videte, quo impudentiae processerit hic homo, et quantum furore, quotquot sunt, homines omnes vicerit, qui, vnus cum esset, vobis, senatores, tot numero qui sitis, persuadere tamen ausus sit, inualidorum in numero me non esse habendum,

dum. Atqui vobis hoc si persuaserit, quid impedit, quominus in nouem Archontibus sortiar? quid impedit, quominus obolum, mihi; vt valido, ademtum, huic, vt invalido, sententia vestra addicatis? Non enim profecto iudicio vestro tam aperte refragaturi videntur nouem Archontes, vt, cui vos stipem adhuc, ceu inualido, indultam, rursus tamquam valido subito facto denegaueritis, eundem ipsi a sortitione sui collegii, ceu adhuc invalidum, vt pridem, arceant. Sed bene habet. res in saluo est. Non eodem vos, atque hic, furore agitamini; neque rursus hic perinde sapit, atque vos. De quo ei congratulor. Dignus enim est, qui a vobis dissentiat. Vos sanae mentis estis compotes, hic cerritus est. Quid enim? Quasi mutilatio pedum puella quaedam nubilis, orba, diues sit, de qua domum ducenda atque habenda multi inter se in iure contendant, ita hic venit mecum litigatum, vobisque persuasum ita debilitatum mihi corpus non esse, atque vos omnes esse videtis. Vos autem idem mihi facturi videmini, quod faciunt omnes, quibus mens recta constat, vt vestris potius oculis, quam huius orationi, credatis. Contumeliosum autem me cum ait esse, rixosumque, et violentum, atque petulantem, in ista, quam cernitis, mei corporis debilitate, ludos sibi de vobis facit, pro puerisque vos ridet, quasi fidem ipsi fitis habituri, formidabilem me appellanti, nullam, si admodum mitem. Ego vero vos autumo, senatores, probe debere dignoscere, quaenam hominum genera par sit per naturam rerum ad insolentiam efferri, et quibus rursus negata sit proteruia. Mendicos, rerumque omnium egentes haud est consentaneum lasciuire, sed eos, quibus multo plura supersunt, quam vita postulat sustentanda; neque, quibus corpus est imbecillum, sed lacertis et neruis maxime fidentes; neque prouectos aetate marcidosque, sed iuuenes adhuc corporibusque animisque vigentes. Diuites enim pericula foren-

forensia de vi facta numis datis emercantur; pauperes autem, ab egestate coerciti, necessario manus continent atque modestiae student. Iuuenes si quid aetatis ferocia ablati deliquerint, facile veniam a senioribus impetrant. Reliquis autem insolescentibus succenssent, obiurgantque ambo pariter, tam senes, quam iuuenes. Valentes viribus vbi alios verberibusque commulcarint, aliisque contumeliis dedecorarint, ipsi possint illaesi abire. Imbecilli autem, neque aggressores vlcisci possunt, neque, in mentem ipsis vbi venerit aliis iniuriam offerre, non succumbere. Accusator itaque proteruiam mihi atque rixositatem exprobrans, non serio agere, sed iocari videtur, neque hoc agere, vt me talem esse vobis persuadeat, sed illud, vt me subsannet, quasi facinus id sit palma dignum. Praeterea quoque homines ait penes me conuenire multos atque facinorosos, qui sua cum prodigant, tum bonis insidientur eorum, qui sua tueri et salua seruare contendant. Ego vero vos meminisse velim, senatores, haec eum iactantem non me magis, quam reliquos omnes accusare, qui artibus manuariis exercendis quaestum faciunt; neque eos magis, qui me frequentant, quam eos, qui officinas aliorum opificum. Vnus enim quisque vestrum itare solet, alius ad tabernam vnguentariam, alius ad tonstrinam, alius ad sutrinam calcearian, alius quocunque tandem, quo animus quemque fert; plerique ad proxime forum habentes, pauciss imi ad eos, quibus non plurimum a foro distant officinae, nulli prorsus ad hos, qui longissime illinc habitant. Quod si ergo vestrum quis eos, qui ad me conueniunt, ideo pro improbis habet, paret eum idem esse de aliis quoque iudicaturum, qui apud alios otium conterunt. Sin autem hos quoque pro facinorosis damnat, constat vniuersum populum Atheniensem ab eo damnari. Omnes enim soletis aliquo conueni-

ueniru, et vbi vbi tandem otium fallere. Verum non video, quid opus sit me ad singula quaeque criminationum capita insistentem, iisque occurrentem, molestiam vobis creare. Nam si grauissima quaeque refutaui, quid attinet in iis serio contendere, quae tam sunt futilia, atque totus homo ipse est. Ego vero vos, senatores, oro quaesoque omnes, vt quo pridem erga me fuistis animo, et quam de me habuistis conceptam opinionem, eandem imposterum quoque seruetis, neque huius accusatoris calumniis decepti me priuetis ea bonorum patriae portione, quam solam mihi sinistrae fortunae malignitas reliquam fecit. Praestigiis huius hominis tantum ne tribuite, vt, quod dudum mihi vltro tribuistis, id rursus, morem huic gerentes, adimatis. Vt enim fortuna summis in patria honoribus me excluſit, ciuitas decreto suo exiguam hancce stipem mihi addixit asseruitque, rata, casus in vtramque partem fortuitos esse communes omnibus. Qui ergo non sim omnium infelicissimus, si, quam largitionem ciuitas eorum sanxit in solatium, qui simili mecum calamitate perculsi sunt, ea largitione me huius accusatoris fraudet improbitas, tam diro ictum infortunio, vt propter id summis in patria honoribus carendum mihi sit? Neutiquam, senatores, neutiquam sic ponite calculum. Ecqua enim mea culpa tantam vestrae seueritatis iniquitatem meruissem? Num quod, me accusatore, mulctatus quisquam bonis vniuersis, ad mendicitatem decidit? Atqui nemo est, qui doceat, malum hoc vlli ciuium vestrorum a me datum esse. An quod alienarum rerum ad me nil pertinentium curiosus sum, et lingua proteruus, et manu praeceps, ferox, rixosus, ad suscipiendas simultates citus, et susceptarum tenax? Atqui vita mea non vtitur oportunitatibus ad huiusmodi scaeuitatem animi aut concipiendam aut nutriendam accommodatis. Sed forsitan quia intoleran-

dum

dum in modum contumelioſus, ſuperbus atque violentus ſum? Atqui ne ipſe quidem accuſator hoc affirmare auſit, niſi ſi hoc quoque mentiri velit, vt reliqua mentitus eſt omnia. At quia ſub triginta tyrannorum dominatu potens fui, eaque potentia ad ciuibus incommodandum abuſus? atqui veſtra cum plebe exſilium toleraui. In vrbe manere quamquam licebat, malui tamen vobiscum diſcrimina capitis adire, nudus rebus omnibus. Inſontem itaque me, nulliusque mihi culpae conſcium, nolite, ſenatores, iisdem excipere modis, atque merito excipitis facinoroſos, multorum ſcelerum conuictos. Recordamini, me nunc neque aerarii publici rationem reddere, quod nunquam adminiſtraui, neque honoris geſti, quem nullum vnquam geſſi; ſed de obolo certare. Quod cum feceritis, et vos aequa atque iuſta ſciſ·etis, et ego rogatis potitus gratiam vobis habebo, et hic denique, accuſator, diſcet, non infirmiſſimo cuique inſidiari, ſed ſimiles ſibi vincere.

ORATIO XXV.

quam qui agit, calumniam de affectata tyrannide depellit.

Vobis equidem, iudices, lubentiſſimus ignoſco, ſi ſermonibus huiuſmodi, atque accuſatoris ſermo fuit, veſtras aures perſonantibus, malorumque ſuperiorum memoria veſtros animos ſauciante, animo ſitis erga omnes pariter infeſto, qui tum in vrbe manſeſerunt. Accuſatores autem miror, ſi, priuatarum cuiuſque ſuarum rerum omiſſa cura, alienarum ſatagentes, cum probe ſciant, qui noſtrum inſontes ſint, et qui rurſus multis ſceleribus contaminati, tamen, lucri cupiditate ducti, territare magis inſontes calumniis atque emungere, quam vos docere ſtudeant, de omnibus, qui ſub triginta tyrannis in vrbe manſerunt, non idem vobis eſſe ſtatuendum. Nam ſi, quae ſub illorum domina-

minatu mala reipublicae euenerunt, ea commemorant ad mei criminationem nil facere existimantes, sed eo solummodo iactant, quo famam nescio cuius eloquentiae aucupentur, nae illos ego admodum indisertos duco, qui ne centesimam quidem partem facinorum a tyrannis commissorum perstrinxerint. Sin autem ista accusatorum inanis disputatio eo tendit, quo me communicatorum cum tyrannis consiliorum atque scelerum insimulent, planum faciam, quaecunque illi aduersus me protulerunt, ea omnia mera mendacia, et me talem esse, qualis vel optimus quisque Piraeensium [seu exsulum] fuisset futurus, si ista tempestate in vrbe mansisset. Vos autem rogo, iudices, vt ab hisce sycophantis diuersa sentiatis. Horum enim opus est, insontes in inuidiam adducere, in eoque elaborant, sperantes, ex eorum concussione quaestum se facturos spississimum; vestrae autem partes sunt, cum insontibus quibusque nullo discrimine ciuitatem vestram communicare. Sic enim protectores forma reip. nuper a vobis instituta et nunc obtinens quam plurimos habebit. Rogo itaque vos, et aequum censeo, iudices, vbi vobis constiterit, ad plebem vestram a me noxiam nullam esse profectam, sed potius remp. a me multis modis, et laboribus corpore meo toleratis, et contributionibus pecuniariis ornatam atque subleuatam esse, vt vos tum mihi, si non plus, quamquam plus meruisse aio, hoc saltim minutum tribuatis, vt deteriore saltim loco me esse ne sinatis, quam nullo scelere obligatos, ne dicam, bene de vobis meritos. Sceleris autem nullius me reum esse, magnum hoc vobis esto atque graue documentum. Ipsum memet si criminis commissi accusatores coarguere possent, non profecto me nunc ob tyrannorum scelera postularent, neque se decere putarent ob illorum facinora alios ab illis facinoribus disiunctissimos criminari, sed ipsos fa-

cinoroſos ad poenas dandum adigere. Iam vero autumant iracundiam, qua publice aduerſus tyrannos exarſiſtis, adminiculum eſſe ſatis idoneum ad alios perdendum, etiamſi nullo facinore obſtrictos. Ego vero perinde iniquum et inconſentaneum arbitror eſſe, ſiue tum fuerunt egregie quidam de republica promeriti, non eos, ſed alios, gratiam illorum meritorum atque honores ferre, ſiue mala quidam vobis tum magnaque et multa conſciuere, poenas eorum non hos vobis dare, a quibus illa mala profecta ſunt, ſed alios, nullius offenſionis nulliusque noxiae datae reos. Stultum ſit, quin furioſum, amicorum animos infectationibus erga vos a vobis irritari, cum inimicorum ſatis et ſuper habeatis, qui pro magno lucro ſint reputaturi. inſontes iniuſtis calumniis aduerſus vos concitari. Vt autem notam teneatis, iudices, qua ſontes ab inſontibus facile dignoſcantur, docebo vos, quosnam ciues conſentaneum ſit paucorum principatum appetere, et rurſus, quosnam populari libertate delectari. Sic enim et vos ſtatum cauſae melius perſpicietis, egoque hoc facilius atque certius hac defenſione mea defungar, demonſtraturus, e moribus atque inſtitutis meis ſi fas ſit, id quod eſſe palam eſt, animi mei erga plebem veſtram habitum colligi, eos fuiſſe meos in vtraque veſtrae reipublicae fortuna mores, eaque inſtituta, vt ſuſpicio atque infamia animi erga plebem veſtram infeſti a me debeat eſſe alieniſſima. Primum itaque hoc veſtris animis proponite, iudices, neminem eſſe, qui naſcens ſecum in vitam inferat animum aut paucorum dominatui deditum, aut popularis libertatis ſtudioſum, ſed prout cuiusque ſtudiis forma quaeque gubernationis aduerſatur, ita quemque eam mutatam velle, atque euerſum ire. In vobis itaque, iudices, haud minimum eſt ſitum, ſi veſtra intereſt, vos ſtudium atque caritatem eius conſtitutionis, quae nunc obtinet, quam plurimo-

plurimorum animis iniicere. Quae, vt disputo, ita esse, facillime vos e memoria rerum superiorum colligatis. Spectate modo, iudices, ambarum constitutionum principes quoties animum mutarint. Non Phrynichus, atque Pisander, aliique illius familiae, quos par erat partes plebis tueri, cuius aduocati essent constituti, tamen, a conscientia scelerum exagitati, quae multa et enormia commiserant, eoque metuebant, ne poenae eorum sibi essent dandae, priorem oligarchiam condiderunt? Non in quadringentorum numero fuere multi, qui postmodum inter reliquos exsules e Piraeeo in vrbem redierunt? Non eorum, a quibus horum quadringentorum potentia conuulsa fuit, permulti postmodum in collegium triginta virorum cooptati patriae viscera dilaniarunt? Quid? quod ex illis ipsis, qui, nomen ad illam expeditionem professi, qua tyrannos in Eleusine oppido conclusos oppugnatum indeque exturbatum ibatis, vobiscum in castra vestra vrbe exierant, haud pauci illinc ad triginta tyrannos transfugerunt, cum iisque obsidionem in illo, quod dixi, oppido tolerarunt. Vnde haud est difficile perspectu, iudices, dissidere homines inter se non super formis ciuitatum gubernandarum, sed super eo, quod cuiusque priuatim interest. Hunc ad canonem oportet vos ciuium quemque iudicare, inquirentes, qualem se quisque in democratia gesserit, et quodnam ad eum redituram fuerit emolumentum e status ciuilis commutatione. Nam sic demum aequissimam atque verissimam eorum facere licet aestimationem. Quotquot ergo sub democratia aut infamia notati fuissent, eo, quod honorum a se gestorum rationes censoribus approbare minus potuissent, aut proscriptione bonorum mulctati, aut alio quopiam simili infortunio icti, illis omnibus ego arbitror fuisse consentaneum, vt nouas res appeterent, sperantes in ea rerum commutatione portum

se tutum esse inuenturos. Quicunque contra non modo plebem nulla laeserunt noxia, sed eam potius tot tantisque ornarunt promeritis, vt plebem potius deceat illis praemia studii atque operae referre, quam poenas ab iis repetere criminum mentitorum; in hos si quae intorqueantur calumniae, vos eas neque auribus neque animis admittere par est, ne si omnes quidem, quotquot in parte quadam reip. gerendae versantur, eos aiant paucorum dominationi studuisse. Iam non modo mihi, iudices, in isto pristino reip. statu nulla contigit, neque priuatim, neque publice calamitas, quae me coegisset rationem cupide amplecti, qua praesentibus a malis liberarer; sed referebat etiam mea, pristinum istum statum liberae reip. manere, quia eo manente spes erat fructus e contentione mea pro patria percipiendi, quae spes mutata rep. prorsus decolabat. Quinquies triremem instruxi et rexi, quatuor praeliis naualibus interfui, contributiones pecuniarias in bello permultas contuli, al a que sumtuosa munia obii, nihilo segnius, neque parcius, quam vllus alius ciuium vestrorum omnium, pluraque in vos impendi, quam a legibus imperatum esset. Quorsum enimuero istaec? quo scilicet a vobis vir fortis et bonus haberer, et suspicioſa si quae inciderent tempora, hoc expeditius atque prosperius in iudiciis decertarem. Sperare fructum huius mei studii in democratia poteram, minus in oligarchia, quae me fortunis meis omnibus denudauit. Id quod secus fieri non poterat. Tyranni enim, non si qui de plebe bene meriti essent, eos gratia quadam sua dignos habebant, sed quo quisque vos infestius vexasset, atque torsisset acerbius, hoc cariorem habebant, et pluribus cumulabant honoribus; quasi fidei erga se pignus haberent nullum certius, quam erga vos maleuolentiam. Haec vos omnia recordantes decet, non accusatorum criminationibus fidem

fidem habere, sed e factis quemque suis spectare. Ego, iudices, neque quadringentorum tempestate florui potentia, neque triginta tyrannorum. Aut accusatorum si contra quis ait, progressus in medium, mendacii me conuincito. Nihilo me magis quisquam sub decemuiris in senatu fuisse, vllumue magistratum gessisse docebit. Quod si ergo tum magistratus nullos gessi, id eo factum est, quod aut delatos recusarem, aut iis dignus non haberer. Quod si ergo magistratus tum delatos recusaui, conuenit vt ea ipsa de causa nunc a vobis honorer. Contra, si, qui tum plurimum poterant, hi me indignum habuerunt, cum quo partem rerum suarum vllam communicarent, seu quod odissent, seu quod non fiderent; ecquod aliud excogitari potest argumentum vnde constet hos accusatores mentiri? Sed ex aliis quoque meis coeptis atque institutis hanc rem par est aestimari. Turbidis enim illis atque calamitosis reip. temporibus eum me gessi ciuem, vt si reliquis quoque sensus idem mecum, iidemque mores fuissent, nemini omnium malorum quicquam fuisset euenturum. Obtinente enim illo paucorum dominatu, reperietis neminem, si quaeretis, in carcerem a me abductum. Inimicorum neminem tum vltus sui, neminem amicorum beneficio quodam ornaui. quamquam hoc quidem non admodum est mirandum. Eiusmodi enim erant ista tempora, vt tam difficile esset bene de quoquam mereri, quam erat facils, male, qui vellet. Vt neminem in album ciuium Atheniensium intuli, ita rursus nemo eorum, quibus arbiter sediſſem, a me condemnatus est; neque doceri poterit e detrimentis vestris me rem feciſſe ampliorem. Atqui, si malorum vestrorum auctoribus iure merito succensetis, consentaneum rursus est, vos honorifice de iis sentire, si qui noxiam vobis nullam dederint. Videor itaque fidem meam erga popularem vestrae reip. constitutionem documentis vobis approbasse luculentissi-

tissimis atque certissimis, vnde certi sitis, non modo fuisse me semper vestri studiosum, sed etiam imposterum fore. Qui enim tum temporis, in illa tanta impune peccandi licentia, nihil in vos deliquerim, multo nunc magis contendam vobis probari, benegnarus, si quid deliquero, poenas delicti mihi protinus fore dandas. Verum enim vero mens mihi semper ea fuit, vt neque in oligarchia aliena appeterem, et in democratia fortunas meas in vos promte atque largiter erogarem. Nego itaque vos, iudices, recte iis succensere, si qui sub tyrannis intacti a malis manserе. quidni potius in eos iracundia vestra grassabitur, (et licet, et aequum est) qui plebem tum laeserunt? Inimicorum in numero non recte videmini eos habere, qui in exsilium non abierunt, cum istos potius deceat illo in numero haberi, qui vos in exsilium extruserunt. Iniquum est odium vestrum erga studiosos rei familiaris tuendae; quod odium iustius in eos conuertatis, qui alios spoliant. Animaduersionem vestram sibi deposcunt, non hi, qui suae salutis ergo tum in vrbe manserunt, sed isti, qui, quo alios pessumdarent, in rep. gerenda versati sunt. Sin autem opinamini oportere a vobis per summum nefas paucos etiam illos exscindi et eradicari, quos tyrannorum immanitas adhuc tamen superstites fuerat esse, nullam aliam ob culpam, quam quod exsilium vestrum non participarunt, nullus vobis ciuis supererit. Sed ex hoc quoque momento rem spectate, iudices. Nostis omnes, in illa superiori, quae ante tyrannos fuit, democratia, remp. gerentium multos fiscum compilasse. alii iura et vectigalia vestra nundinabantur; alii calumniis socios vestros a vobis alienabant, et ad defectionem adigebant. Hos solos si triginta viri sustulissent, fortes bonosque viros ipsi vos eos haberetis. Iam vero quod illorum pro furtis et sceleribus tyranni totam plebem plectendam censerent, id aegre ferebatis, indignum rati, paucorum peccata cum tota ciuitate communica-

nicari. Nolite itaque illa iniuriarum exempla imitari, quae vos cernentes, cum exercerentur, deteſtabamini. Neque, quae vos olim ipſi patientes, per vim et neſas pati putabatis, eadem nunc rurſus in aliis exercentes, iuſta vos et aequa agere arbitramini; ſed quo erga vosmet eratis animo tum exſilium tolerantes, eodem eſtote nunc in patriam reuerſi erga illos alios, quos dico, qui in vrbe manſerunt. Vt aegre tuliſtis vos a tyrannis opprimi et vexari, pari indignatione hos quoque veſtras iniurias ferre, nulli dubitate. Hoc pacto et concordiam inprimis aletis atque conſtabilietis, et remp. mirifice amplificabitis, decretisque et exemplis veſtris hoſtium animis aculeos quam acerrime pungentes imprimetis. Oportet quoque, iudices, eorum meminiſſe, quae ſub triginta tyrannis euenerunt, quo inimicorum errores vos veſtris de rebus conſilia capere hoc ſapientiora doceant. Audientes vos, exſules qui tum eratis, nos, qui in vrbe manſeramus, concordes eſſe, habebatis reditus in patriam ſpem perexiguam; rati, noſtram, vrbanorum puta, concordiam veſtro in patriam reditui officere, crucemque eſſe exſilii veſtri duriſſimam. Vt autem allatum ad vos ex vrbe fuit, ter mille virorum cohortem, quod erat triginta virorum miniſterium atque ſatellitium, in dominos ſuos inſurrexiſſe, reliquos ciues praeconis voce relegari, ipſos triginta viros inter ſeſe diſſidere, plures denique in vrbe eſſe pro veſtra ſalute ſollicitos atque trepidantes, quam vobis infeſtos; tum demum incipiebatis bene de coeptorum veſtrorum ſucceſſu ſperare. tum demum credibile vobis fiebat, breui fore, vt in patriam rediretis, atque ab inimicis poenas repeteretis; videntes coram oculis ea euenire, quae deos ſupplices orabatis vt euenire iuberent. Cenſebatis nempe, et recte id quidem, vos reditum veſtrum in patriam minus potentiae veſtrae, quam furori tyrannorum eſſe debituros. Oportet itaque ſuperiorum

riorum temporum euentibus pro futurorum exemplis in capeſſendis conſiliis vti, eosque libertatis popularis ſtudioſiſſimos ducere, qui auctores vobis ſunt concordiae tuendae pactis ſeruandis iureiurando confirmatis; exiſtimantes firmiſſimum hoc eſſe ſalutis publicae praeſidium, flagellumque hoſtium acerrimum. Non enim facile quicquam ipſis contingat ad cruciatum acerbius, quam vt audiant, nos, vrbanos, a vobis, Piraeenſibus, ad reip. gubernationem admitti, ecque ciues inter ſe ſentiant eſſe mutua voluntate, quaſi nullae vnquam ipſos interceſſiſſent ſimultates. Oportet hoc quoque vos noſſe, iudices, velle exſules [h. e. triginta tyrannos et eorum aſſeclas] reliquorum ciuium quam plurimos et in inuidiam adduci, et infamia notari, ſperantes ſic futurum, vt a vobis iniuria laeſi veſtris a partibus ad partes ipſorum tranſeant; eosque quantiuis eſſe facturos, gratia opibusque apud vos ſycophantas plurimum valere. Horum enim improbitatem ſaluti ſibi fore arbitrantur. Cuius rei documento vobis erunt, quae poſt quadringentorum dominationem euenerunt, ſi voletis ea ad veſtram mentem recordatione reuocare. Sic enim intelligetis, quorum hi ſycophantae, diſcordiarum faces atque tubae, vobis auctores facti ſint, ea nunquam vobis expediſſe; quae autem ego ſuadeo, ea eſſe eiusmodi, vt formae reip. gerendae vtrique, tam populari, quam ariſtocraticae, nullo non tempore expediant. Epigenem noſtis, atque Diophanem et Cliſthenem, qui et priuatam ſuam rem e ruinis ciuium auxerunt, et publicam noxiis quam plurimis atque diriſſimis dilacerarunt. Alios enim vt indicta inauditaque cauſa morti daretis, vos impellebant; aliorum multorum bona vt publicaretis, alios vt vrbe expelleretis infamia notatos, hortabantur. Mens enim ipſis erat tam laeua, tam flagitioſa, tam improba, vt criminoſos quidem, largitionibus corrupti,

rupti, sine nota transmitterent, insontes autem in iudicium vestrum inducerent, atque a se condemnatos pessumdarent. Studia haec exercere prius non desinebant, quam ciuitatem in discordias calamitatesque quam maximas coniecissent, ipsi autem e pauperrimis ditissimi essent facti. Vos autem quo contra fuistis animo? In exsilium actos inde reuocastis sinuque vestro recepistis; infamia notatos in statum pristinum ciuilis dignitatis restituistis; reliquis fidem vestram de seruanda pace atque concordia iureiureiurando dicto obligastis. Denique, si qui, obtinente adhuc priore libertate, ciuium animos delationibus falsisque criminibus in odia infectationesque mutuas inflammassent, eos, si vobis licuisset, libentius puniuissetis, quam illos ipsos, qui in tyrannide rerum potiti fuerunt. Recte enim vero, iudices, sapienterque. Constat enim nunc inter omnes, per eorum errorem, qui in oligarchia nefarie remp. tractarunt, factum esse, vt democratia reuiuisceret; per delatorum autem malignas et nefandas fraudes, vt libertas populi paucorum iugo bis subiiceretur. Conuenit ergo his turbarum concitoribus non saepe consiliorum auctoribus vti, quibus paruisse ne semel quidem profuit. Considerate hoc quoque, Piraeensium qui maxima inclaruerunt gloria, et periculis defuncti sunt plurimis atque grauissimis, et ornamenta in vos contulerunt plurimaque atque amplissima, quam saepe hi vestram plebem hortati sint, vt velit pacta iureiurando sancita sanctissime tueri; quippe qui hanc arcem esse vestrae salutis arbitrarentur. Pactorum enim per religiosam obseruationem futurum, vt et vrbani securi sint, nihilque de iniuriarum superiorum poenis dandis metuant, et rursus Piraeenses confidant, formam reip. a se restitutam quamdiutissime esse perennaturam. Quibus fidem vos habere, multo est aequius, quam his discordiarum satoribus; qui

cum exſilium agerent, ad recuperandam libertatem nihil operae, nil animorum contulerunt, ſed alienae virtuti, non ſuae, reditum in patriam debent, priſtinarumque fortunarum recuperationem; cuius hanc reddunt patriae gratiam, vt ementitis criminationibus denuo remp. conturbent atque ſecum collidant. Mecum eadem quibus eſt voluntas ex iis, qui in vrbe manſerunt, eos equidem autumo, iudices, documentis ſat perſpicuis teſtatum feciſſe, cuiates ſint ciues, et quali mente praediti. Hi autem calumniatores, vehementer dubito, quidnam fuiſſent auſuri, et quales ſe geſturi, ſi quis eos in numerum triginta virorum allegiſſet, qui nunc poſt reſtitutam libertatem in hac iuris ciuilis aequitate cum tyrannis eadem deſignant, repente diuites e pauperibus fiunt, multosque cum gerant honores, nullius rationem reddunt, pro concordia, quam fouere debebant, diſcordiarum ſemina ſpargunt, ſuſpiciones, quibus animi aliorum ab aliis diſtrahuntur, et pro pace bellum denunciant. Propter hos fiducia Graecorum caremus. Tanta hi nobis mala crearunt, aliaque a me nunc non commemorata, numero non pauciora; trigintaque tyrannis cum nil differant, praeterquam hoc vno, quod tyranni obtinente ipſorum dominatu iisdem malis artibus ſtudebant, atque hi nunc ſtudent, hi autem in ipſius populi oculis libertate reſtituta gaudentis eadem agitant atque exercent, quae illi olim; autumant tamen nihilominus ſe decere, vt, quemcunque velint, ſine haeſitatione arreptum vexent atque concerpant; quaſi alii quidem, eadem, atque ipſi, agentes, iniuſte agant, ipſi autem frugi ſint homines honeſtique ciues. Quamquam his quidem eam mentem eosque mores eſſe, vitaeque hoc inſtitutum, nil mirandum eſt, vos autem vtique mirandum eſt ita in horum hominum eſſe poteſtate, vt, quaecunque velint, vos exſequamini, qui tutores atque vindi-

vindices iuris aequi vos feratis; quo fit, vt non, qui plebis maiestatem laedunt, sed optimi ciues plectantur, bona sua in largitiones, quibus horum cupiditas satietur, absumere recusantes. Malint hi remp. per se minutam atque contemtam esse, quam per alios potentem atque formidabilem liberamque, existimantes, iam quidem per exsules e Piraeeo reduces sibi licere, quicquid modo designent; sin autem postmodum contingat, vt vos per alium quempiam ab hoc iugo liberemini, futurum esse, vt hos sospitatores patriae ipsi claritate atque terrore sui nominis obruant atque obscurent, multoque plus, quam hi, in rep. valeant. Denique in idem consentientes, ad idemque contendentes omnes, obstant, si quis beneficio quodam vos ornare velit. Hos quidem igitur accusare, si quis velit, haud sit arduum; nam ne ipsi quidem in occulto manere volunt, sed pudet eos in numero malorum non haberi; et ipsi vos eorum scelera partim coram cernitis oculis, partim fama accipitis ad vos perlatanos autem, tametsi aequum censemus esse, nullius in ciuis causa, quicunque est, pacta conuenta iurisque iurandi religionem a vobis violari, tamen ignoscemus vobis illa pacta violantibus, cum videbimus vos poenas debitas ab auctoribus illorum malorum repetentes, quorum a nobis tum toleratorum et adhuc sumus memores, et nunquam non erimus. Sin autem testatum ad omnes facietis, easdem poenas insontibus pariter atque sontibus a vobis irrogari; qua sententia me damnabitis, eadem alios quoque ad desperandum de rep. adigetis.

ORATIO XXVI.

negans Euandrum idoneum esse honori regis sacrorum capessendo.

* * * Existimans eos [magistratus puta censurae morum praefectos] non admodum diligentem neque seueram esse censuram habituros, ob longinquita-

quitatem temporis, quod a perpetratione tuorum criminum ad hoc diei effluxit; quorum criminum, quae et multa sunt, et atrocia, quamquam tu bene tibi conscius es, speras tamen eorum nonnullos esse oblitos. Quapropter animo vehementer angor, metuoque et indignor idem, Euandrum hac spe fretum ad vos nunc procedere, senatores, quasi non vos, sed nescio quos alios, iniuriis laesisset, et quasi alii de se dicturi sint sententiam, non vos, qui rei causam cognoscetis eius, a quo multas magnasque noxias accepistis. Sed vestra haec est ipsorum culpa, non recordantium Euandrum de grege illo esse, qui facilitatem vestram et clementiam pro tarditate interpretantur. Republica a vi atque dominatione Lacedaemoniorum oppressa, ne seruitutem quidem hi suam vos secum participare sinebant, sed vrbe vos expellebant. Vos autem non modo libertatem virtute operaque vestra reparatam cum ipsis communicauistis, sed etiam ius in iudiciis sedendi, atque cum populo in concione agendi. Recte itaque fit atque prout consentaneum est fieri, vos hi cum sperant tam fore segnes atque tam vecordes, vt illa sua tam enormia crimina dissimulatione, veniaque et obliuione transmittatis. Huic gregi adscriptus Euander non acquiescit in participatione iurium illorum, sed etiam, poenis superiorum scelerum nondum persolutis, honores ambit. In defensione nostrae accusationis, vt fama ad nos pertulit, accusationis summa capita leuiter atque defunctorie perstringet, praeterlabens res dictu necessarias, et accusationem defensione suffurans [h. e. criminum memoriam iudicibus rapiditate transcursus eripiens] in hoc autem sese iactabit, vt dicat, seque maioresque gloriae studiosos multa in rempublicam erogasse, muneraque magnifice edidisse superiori adhuc tenente libertate populari, multasque et insignes victorias e ludis reportasse; item,

proprias

proprias ipsius laudes si requiratis, pudentem se atque temperantem esse, neque conspici ea patrantem, quae alii hac in vrbe audeant, sed rerum suarum satagere. Ego vero facile factu arbitror esse, vt ad huiusmodi cauillationes occurratur; de muneribus quidem, sic ferme: multo fuisse satius, si pater eius munerum prorsus nihil edidisset, quam vt ederet tam magnifice. Fraudi enim fuit reipublicae illa eius profusa liberalitas; qua cum illectae plebi imposuisset, atque persuasisset, vt fidei suae se committeret; abusus est illa fide pater eius ad eripiendam plebi libertatem. Quo factum est, vt hoc eius vnum scelus ad sempiternam memoriam multo sit futurum durabilius, quam donaria omnia, ab eoque et a maioribus atque necessariis eius dedicata. Ad ipsius autem Euandri pudorem atque modestiam quod attinet, sic ferme occurrere possitis eam iactanti, non nunc quaeri, frugine sit atque temperans, in hac seueritate reipublicae legibus seruientis insolentiam compescentibus; sed istud, cur, quo tempore licebat, vtram mallet, vitae sectam sequi, vitam licentiosam et legibus repugnantem in luce reipublicae agere maluerit. Nam, quod nunc se continet, id non ipsi debetur, sed his, qui eum exorbitare non sinunt; tum autem quae commisit flagitia, ea ipsi imputanda sunt, iisque, qui aequum censebant, ei a se conniueri. Haec vos meminisse atque recogitare oportet, cum, illam suam maiorumque magnificentiam iactans, post illa sua dedecora, tamen in censura morum a vobis probari postulabit, ne tardi atque vecordes ei videamini. Sin autem ad hanc latebram Euander cum aduocatis confugerit, temporis angustias non sinere regem sacrorum alium sortiri, sed necesse esse, se si repudiaueritis, sacra patria infecta manere, recordamini tempus sortitionis iam dudum praeterisse. Anni enim huius, quem adhuc agimus, nil supereſt praeter vnicum crastinum diem, quo sacra Ioui Seruatori

tori fieri debent. Nequit ergo in tantis temporum angustiis iudicium cogi [sortiendi regis sacrorum ergo.] Quae vt ita euenirent si Euander hic calliditate atque nequitia perfecit, quid oportet exspectare eum, vbi probatus fuerit, ausurum, qui magistratum mox functione decessurum permouerit ad facinus committendum a legibus tam abhorrens. Illene vobis pauca huiusmodi videtur commissurus toto illo anno, quo sacerdotio fungetur, si ad id admittatur? Verum non hoc solum vobis est spectandum, sed istud quoque, vtrum vestrae erga deos pietati sit conuenientius, vos iubere idem etiam nunc fieri, quod superioribus iam temporibus haud semel vsu venit, vt superioris anni rex sacrorum cum collegis sacra faceret, loco eius, qui facturus esset anno proximo post, si rite fuisset nuncupatus; an hunc facere, cui ne puras quidem manus esse, qui norunt, hi testati sunt; et num iureiurando receperitis vos aliquem haud probatum sacerdotio esse admoturos, an ei coronam delaturos, quem in censura morum probassetis. Haec nempe vos spectare decet, sed et illud praeterea vobis ad animum reuocare; qui legem de spectandis probandisque candidatorum moribus tulit, eum illam legem inprimis propter eos tulisse, qui honores sub tyrannis gesserunt. Videbatur enim ei graue atque indignum, qui popularem libertatem euertissent, hos ipsos rursus in restaurata rep. ad honores admitti, eoque facultate rursus armari leges et remp. illam conturbandi, quam saluam sibi traditam nacti tam foedis tam saeuisque modis contruncassent. Quare non conuenit in censura morum agenda tam remisse atque supine versari, neque rem paruam ducere, sed summa diligentia prouidere, vt et candidati rite atque legitime creentur, et creati caste sancteque honores gerant; quoniam in harum rerum tutela salus libertatis plebisque vestrae sita est. Euander si nunc, non sacerdotium, sed ordinem senatorium

rium ſolummodo ambiret, et priusquam ad illum admitteretur, mores eius oporteret a vobis ſpectari atque probari, ſine dubio vos tum ſitis eum, vel absque accuſatore, repudiaturi, ſi nomini eius in tabulis adſcriptam cerneretis currus notam; qua e nota vobis conſtaret, eum ſub triginta tyrannis equeſtri militia functum fuiſſe. Iam vero cum publice conſtet, eum illa tempeſtate non equitem ſolummodo, ſed etiam ſenatorem egiſſe, neque ſenatorem ſolummodo egiſſe, verum etiam in illa vtraque functione plebem veſtram multis modis vexaſſe atque exagitaſſe, non rem facturi ſitis abborrentem, ſi publice teſtatum faciatis, mentem vobis aliam eſſe? Et ſenatorio quidem ordine receptus, honorem illum gereret non vltra annum, neque ſolus, ſed in collegio; quo a collegio, ipſe numero quingenteſimus, facile compeſceretur, ſi quid exorbitare auderet, praeſertim intra tam breuem temporis ambitum, cuius ipſa breuitas auſa vix inchoata reſcindit. Hoc autem ſacerdotium, quod ambit, adeptus, geret ſolus, ſine arbitro, ex animi ſui ſententia. Et eſt quidem honos iſte item annuus; verum eo defunctum neceſſe eſt in ſenatum Areopagiticum cooptari in perpetuum. quo poteſtatem nanciſcetur per omnem reliquam vitam continuandam, de ſummis rebus veſtris pro arbitrio ſuo conſtituendi. Quare conuenit huius honoris ſcrutinium vos facere multo, quam aliorum omnium honorum, ſeuerius. Quod ſi minus facietis, quem putatis animum plebi reliquae fore, videnti, veſtro iudicio delatum hunc honorem ei, quem oportuerat non praemia meritorum, quae ei nulla ſunt, ferre, ſed criminum, quae multa commiſit, poenas dare; videnti, cauſas de homicidio capitales ad diſceptandum ei commiſſas, quem oportuerat ipſum ab Areopagitico ſenatu iudicari; videnti denique coronatum eum et arbitrum factum cauſarum ad virgines

nubiles

nubiles in hereditatibus patrimoniorum relictas, nec non alios ad orbos pertinentium, quorum in numero sunt, quibus ipse iniquitate sententiae a se dictae orbitatem contraxit? Non existimatis eos aegre laturos, omnemque culpam illarum tantarum indignitatum atque acerbitatum vobis esse imputaturos, si per huius Euandri in potestate a vobis constituti scelus fiat, vt rursus in illa miserrima tempora relabantur, quibus ipsorum multi in carcerem abducebantur, aut exsulare cogebantur? praesertim si hoc quoque vna recogitent, hunc ipsum Thrasybulum in causa fuisse cur Laodamas, hunc sacerdotii honorem petens, repudiaretur, et hoc nunc agere, vt Euander probetur. Vt enim Laodamantem accusauit, ita nunc paratus est Euandrum defendere; quamquam vos omnes nostis, quo erga vos animo sit Euander praeditus, et quanta vobis mala conscinerit. Ecquid aitis? quantam ipsi vobis inuidiam conflabitis, si Thrasybulo morem hac in re geratis! Laodamantem cum reprobaretis, opinabantur omnes, eum a vobis iratis fuisse reprobatum. Sin autem Euandrum probetis, certi erunt omnes Laodamantem iniquitate repulsae vestrae laesum fuisse. Euandro quidem et Thrasybulo caeterisque aduocatis hoc vobiscum certamen est, vtrum vos iustam causam obtenturi, h. e. Euandrum a sacerdotin excluſuri sitis; an ipsi vobis iniustam extorturi [et in sacerdotium per nefas irrupturi] sint; vobis autem cum vniuersa ciuitate certamen est, vtrum penes eam sitis vestram dignitatem sanctimoniaeque existimationem tuituri, an amissuri; quae ciuitas exspectatione suspensa nunc obseruat, quem vos erga se sitis animum habituri. Nemo vestrum autumet, velim, me Laodamantis studio, hominis amici, Euandrum accusare. Nequaquam. Vestri magis et reip. studio hoc fit, cuius commodis prospicio et inseruio. Id quod facile est perspectu ex ipsa

ipsa re. Nam Laodamanti quidem expedit Euandrum a vobis probari. Euandrum enim si praeferetis, ipsi vosmet famam vestram infamabitis, vt pro studiosis plebis, cuiusmodi Laodamas est, hominibus Euandro similibus, hoc est principatui paucorum deditis, deferre vestros honores videamini. At vobis expedit Euandrum reprobare. Id enim facientes, videbimini Laodamantem quoque non sine causa reprobasse. Sin autem ne hunc quidem Euandrum reprobabitis, etsi tam turpem et maculosum, videbimini pari iniquitate et hunc allegisse, et istum reiecisse. Verum Euander, (vt auctores mihi sunt, qui facturum aiant) non sui censuram magis, quam vestram agi nunc causam, quotquot, reliquis exsulantibus, in vrbe mansistis, aiet, pactaque iure iurando sancita vobis in memoriam reuocabit. Quasi sic omnes, quotquot in vrbe manserunt, nacturus sit morum suorum approbatores. Ego vero ei de plebe haec pauca respondebo; de iis, qui in vrbe manserunt, plebem non idem sentire, sed eorum flagitiosos quidem, qui paria atque similia cum Euandro deliquerunt, censere honoribus esse excludendos, prout ego aio fieri oportere; contrariam vero in partem de reliquis scisscere, qui sunt Euandro dissimiles. Argumentum dabo. Ciuitas ex his vrbanis non pauciores ad honores admisit, quam ex illis, qui Phylam primum, tum Piraeeum occuparunt. Recte vero. Hos enim libertatis reparatae auctores norant quidem, quales erga se in democratia fuissent, minus autem, quales erga se futuri fuissent, si fors eos sua in vrbe sub dominatu paucorum retimisset. Locus enim ipsis defuerat animi sui documentum in ista conditione edendi. Istorum autem erga se animum ex idoneis documentis in vtraque reip. fortuna editis perspexerant. Quapropter recte faciunt [exsules in patriam reuersi] illis [vrbanis] fidentes, atque existimantes, per istos quidem, Euan-

dro similes, tum esse factum, vt, si qui ciuium essent comprehensi, hi morte afficerentur; hos autem, Euandro dissimiles, operam dedisse, vt, etiamsi qui iam comprehensi essent, tamen neci fuga subtraherentur. Omnibus enim si iidem animi, iidemque mores fuissent, neque exsilio, neque reditui locus fuisset, neque aliud quidquam eorum malorum, quae remp. oppressérunt, euenisset. Sunt qui mente se consequi posse negent, qui factum, vt ab exigua manu Piraeensium tot numero vrbani vincerentur. Atqui non aliunde id, quam ab horum fide atque prouidentia, qui sub tyrannis in vrbe manserunt causae plebis addicti. Hi enim cum exsulibus domum reuersis salua vti rep. et aequo iure ciuili perfrui maluere, quam vna cum triginta viris seruire Lacedaemoniis. Quibus pro meritis populus iis amplissimos decreuit honores. Tribunatus enim equestres et imperia defert militaria, legationesque pro se obeundas. Cuius eum nunquam poenituit. Et propter impuros quidem illos, multorum scelerum reos, legem de agenda morum censura sanxit; propter hos autem nulla noxia cognitos pacta illa pepigit. Haec ego quae pro plebe dicerem, habebam. Vestrum autem iam est, senatores, dispicere, vtrius auctoritati vos concedentes hac in censurae causa rectiora sitis consilia secuturi, meaene, an Thrasybuli, pro Euandro mox dicturi. Nam mihi quidem patriue maioribusue quod obtrectet, suspicionem malignioris erga plebem vestram voluntatis ciens, profecto nil habebit. Neque enim ipsum me poterit rerum cum tyrannis communicatarum arguere, qui multo post tyrannorum tempestatem examen aetatis virilis obierim, quo examine mores ita meos iudicibus approbaui, vt idoneus haberer tutelae meae reique publicae capessendae atque gerendae. Neque patrem poterit [Thrasybulus] nouarum rerum insimulare cupiditatis, quippe qui multo ante istas

turbas

turbas in Sicilia ſupremum diem obierit in functione magiſtratus. Neque maiores poterit docere tyrannorum fuiſſe ſtudioſos, quibus illi nunquam non aduerſati fuerunt. Neque rurſus aiet nos fortunarum in belli ciuilis aeſtu collectarum nil in remp. erogaſſe. Multo enim ſecus eſt. Quae in pace nobis erat ampliſſimo ſubſtantia ad octoginta talentorum valorem, ea in bello tota eſt in patriae ſalutem inſumta. In hunc autem Euandrum quae dicam, habeo tria, quorum vnum quodque tam eſt atrox atque nefandum, vt vel ſolum mortis poena dignum ſit. Primum largitionibus Boeotorum reip. formam mutauit, et his nos ſociis fraudauit. Tum, prodenda claſſe, remp. tantum coniecit in periculum, vt neceſſe haberet de ſalute ſua tuenda deliberationes agitare. Poſtremo, a captiuis noſtris, quos ipſe in perniciem praecipitauerat, concuſſionibus triginta minas expreſſit, negans ſe effecturum, aut conceſſurum, vt aere publico redimerentur, niſi de ſuo peculio tantum reſtituerent. Vitam vtriusque noſtrum iam tenentes, deliberate, ſenatores, vtri plus fidei deferre de Euandri cenſura vos deceat. Et hoc in ſpeculum intuentes, nullum eſt periculum ne erretis.

ORATIO XXVII.

qua Epicrates, cum collegis legationis, accuſatur perfidiae in obeunda legatione.

Satis quidem iam in Epicratem eiusque collegas legationis dictum eſt, o viri Athenienſes, ab accuſatoribus. Verum tamen vos hoc quoque praeterea oportet recordari, ſaepe numero vos ex his audiſſe, cum dicerent, niſi vos condemnetis eos, quorum condemnandorum ipſi vobis auctores fiant, exhauſto aerario militari, militem mercenarium mercede eſſe carituram. Atqui, tametſi vos morem iis geratis, nihilominus ta-

men tantum abeſt vt ſumtui in militem mercenarium faciendo pecuniae ſatis ſuppetat, vt potius e publicatis inſontium ciuium bonis ad vos, praeter odium et dedecus, nihil redeat. Fructus enim illinc omnis ad hos inſtigatores redibit. Vſu enim didicerunt, vbi ſemel hanc de ſe opinionem vulgi animis infixerint, vt vulgus credat, vos in iſtorum auctoritate eſſe, atque calumniis eorum ita ſeruire, vt quamcunque in partem iubeant, vos non poſſitis non decernere, facillimo ſe negotio a criminoſis pecunias poſſe colligere. Atqui quam oportet vos habere ſpem ſalutis, ſi diſcrimen aut ſalutis aut interitus veſtri ſolis certetur in pecuniis, [vnde miles mercenarius alatur,] easque pecunias eorum fidei atque cuſtodiae ſi crediderit, qui cupiditatem furum obſeruare atque poenis coercere a vobis iuſſi, furantur ipſi, maieſtatemque veſtram, poenarumque ſeueritatem largitionibus nundinantur. Neque nunc primum hoc in genere furti deprehenſi ſunt, ſed iam dudum ante ſaepe numero cauſas acceptorum munerum pro ſe dicendas habuerunt. Et eſt profecto de vobis quod querar, qui, quamuis iureiurando fidem atque religionem veſtram iuri aequo omnibus dicendo obſtrinxeritis, tamen, in cauſae eiusdem reatusque paritate, quidem condemnaueritis, hunc Epicratem vero abſolueritis, quamquam eum non ſolummodo homines omnes accuſarent, ſed etiam teſtes idonei in eum conſurgerent, qui non, quae ſando inaudiſſent, ea referrent, ſed quae ipſi geſſiſſent atque adminiſtraſſent, teſtimonio ſuo confirmarent, quippe qui a corruptoribus pro interpretibus et conciliatoribus ad Epicratem allegati fuiſſent, cum hoc de largitione deciſſent, pecunias ei numeraſſent. Atqui noſtis omnes, quae ſint exempla veſtrae ſeueritatis, quibus reliqui abſterriti diſcunt a cupiditate atque peculatu ſibi temperare. Non tum ſtatuitis eiusmodi exempla, cum indiſer-

indiſertos cauſarumque forenſium imperitos punitis; ſed cum a facinoroſis oris impudentia et linguae volubilitate armatis meritas poenas exigitis, tum ſpes ſupereſt, fore aliquando vt hi facinoroſi conatus ſuos veſtram remp. carpendi reprimant. Iam vero vos compilare, periculo ipſis caret. Occulti enim ſi manent, furtis ſuis ſecuri perfruuntur. Sin autem deprehendantur, aut parte quadam furtorum periculum redimunt, aut, accuſatoribus corrumpi recuſantibus, in iudicium perducti, potentia ſua legum carceres perfringunt, et ſic liberi atque abſoluti diſcedunt. Agite ergo, iudices, nunc repetendo poenas ab his, documentum edite publicum, vnde reliqui diſcant iuſtitiae atque continentiae ſtudere. Quicunque in gerenda verſantur rep., huc conuenerunt omnes, non, quo noſtras audiant orationes, ſed quo intelligant, qui vobis ſit erga flagitioſos animus. Quod ſi ergo hos [Epicratem cum collegis] abſoluatis, nil dubitabunt illi, vobis imponendo, rem ſuam facere ampliorem. Sin autem hoſce reos nunc factos morte damnabitis, vna ſententia geminum conſequemini bonum. Qua enim ſententia meritas illis poenas irrogabitis, eadem reddetis reliquos in poſterum, quam nunc ſunt, continentiores. Etiamſi iudicium his ſortiri recuſetis, aut conantes capitis cauſam dicere explodatis, audientiam denegantes, ſed ſtatim condemnetis, ſuppliciaque ipſis extrema quaeque atque diriſſima irrogetis, nego tamen eos, de quo querantur, habituros, aut quod aiant indicta cauſa ſe periſſe, ſed confitendum ipſis erit, poenas ſe meritas luiſſe. Non enim indicta cauſa pereunt illi, qui a vobis condemnati pereunt, apertorum ſcelerum rei, quae ſcelera vos ita certo comperta et liquido perſpecta habetis, vt nil ſit cur a quoquam doceamini; ſed hi, ſi qui, calumniis inimicorum obruti, a vobis cauſae nihil tenentibus audientiam impetrare haud potuiſſent.

Hos autem facinora sua accusant, quibus facinoribus aliud nihil nos, praeterquam testimonii auctoritatem, accommodamus. Neque hoc vereor, ne vos eos auditos absoluatis, sed illud censeo, poenas eos esse non sat magnas daturos, si moriantur a vobis auditi. Indigni sunt honore vestrae audientiae, manifesti qui sint inimici vestri atque reip. Quid enim? Inimici vestri non sint, quorum studia, spes, commoda atque detrimenta toto coelo a vestris dissident? Num contendere audebunt, fines bonorum sibi eosdem atque vobis fuisse propositos? Videte modo. Hi in bellis ciuilibus e pauperibus repente diuites e bonis vestris exstiterunt, vos autem horum culpa extremam ad egestatem decidistis. Atqui bonos plebis consiliarios haud decet vos calamitatibus oppressos expilare, sed bona sua vobis condonare. Videte enim quo loci res nostrae deuenerint. Qui antehac in pace ne sequidem suosque alere poterant, hi nunc contributiones conferunt, at choregiis defunguntur, et in re familiari sunt amphissima atque lautissima; quae eadem agentibus quibusdam vestrum, tametsi e patrimoniis perquam splendidis, vsus docuit quam saepe inuideritis, eosque acerbitate poenarum infectati sitis. Iam vero ciuitati ea mens est, vt non amplius ob praedas, quas hi publici latrones e publico vestro patrimonio agunt, succenseatis, sed minutarum bucellarum, quas hi vobis de rapinis suis obiiciunt, gratiam ipsis habeatis, quasi vos ipsorum sitis mercenarii, non ipsi vestra furentur. Omnium quod est immanissimum atque indignissimum; in re sua priuata cum fraude quapiam circumuenti sunt, plorant et quiritantur miserabiliter; publicam autem rem depeculantes conditionem assimulant miserabilem, quo vestram cieant commiserationem, et vos, qui eorum fraude circumuenti atque emuncti estis, commiseratione moti, impostoribus et furibus vestris ignoscitis.

Viden-

Videntur idem, quod antea saepe fecerunt, nunc quoque facturi municipales atque amici eorum, vt cum lacrymis eos a vobis exorent. Quibuscum ego sic agi censeo oportere. Furtum si negabunt ab his commissum, docento primum, has nostras criminationes falsas atque ementitas esse, eoque facto demum vobis persuadere conantor, vt absoluatis. Sin autem ipsi existimantes, hos culpa teneri, tamen exoratum vos eant, constat eos furibns vestris magis studere, quam vobis, qui estis compilati. Quapropter non gratia, sed poena digni sunt, quam exsequi vos in his, quam primum poteritis, decet. Verum, non vos modo, sed nos quoque, horum qui sumus accusatores, et nos vel magis etiam, orabunt, existimantes, a nobis, pauci numero qui simus, multo facilius impetratu esse, vt accusationem omittamus, quam a vestra multitudine, vt absoluatis. Facilius enim alii iura et praemia vestra condonant, quam vos ipsi. Nos autem ab his rogati, cum noluerimus iura vestra prodere, rogamus vos rem aequam, vt ne ipsi quidem prodatis, recordantes, quam sitis in nos animaduersuri, id quod par est voa facere in omnes aerarii vestri depeculatores vestraeque maiestatis laesores, vbi deprehenderitis nos praeuaricatos, et horum largitionibus victos, aut alio quocunque modo reconciliatos. Atqui si in praeuaricatores seuere animaduertitis, non ea, qua par est, fide atque constantia lites occoeptas prosequentes, quanto est aequius vos neque precibus neque commiseratione victos poenas vobis debitas a violatoribus patrimonii vestri repetere? Condemnate itaque, iudices, hos, extremaque in eos decernite supplicia, neque, quod adhuc facere consueuistis, idem nunc quoque facite, vt reos criminum insimulatorum peractos cum condemnaueritis, tum in aestimatione litis sine mulcta dimittatis; quo magis cum reis simultates suscepturi,

quam poenas ab iis sumturi videmini. Quasi hi homines dedecore magis, quam mulcta moueantur! Bene enim norunt, in sententia quidem ferenda vos nihil aliud quam obiurgare eos, quos condemnatis, in aestimatione poenae vero, virgas quasi vos expedire securesque in tergora ceruicesque eorum, qui vectigalia vestra carpunt, et iura minuunt.

ORATIO XXVIII.

qua Ergocles perduellionis accusatur.

Ergocles hic quorum est criminum insimulatus, ea sunt, iudices, et numero tot, et tam atrocia, vt ne vnius quidem cuiusque facinoris poenas daturus sat magnas mortibus vel decies iteratis mihi videatur. Nam, vt nunc liquet, vrbesque prodidit, et proxenos ciuesque vestros depraedationibus aliisque contumeliis violauit, et e peculio vestro diues e paupere factus est. Ecqui tandem his ignoscere poteriris, quorum culpa factum est, vt elassis quidem vestra, cui praeerant, ob numorum penuriam dissolueretur, numerusque nauium ingens ad paucitatem redigeretur; ipsi autem, qui hinc e portu nostro pauperes rerumque egentes omnium euecti fuissent, tam repente tam ingentes corraderent opes, vt ciuium omnium nemo sit, cui sint ampliores? Vestrum itaque est, Athenienses, in talia facinora animaduertere. Foret enim vtique grauе atque indignum, si hoc tempore, in istis pecuniae publicaeque priuataeque angustiis, et in ista contributionum, quibus exinanimini, multitudine, furibus vestris ignoscereti, caeterisque praeuaricatoribus, qui largitonibus se venales praebent, et iuris aequi dispensationem numis nundinantur; postquam, id quod superioribus aetatibus saepe factum esse constat, cum adhuc et priuatis quisque suis floreret rebus, et publica vectigalia ampla

pla lautaque essent, peculatores vestros morte mulctassetis. Thrasybulus in altum cum classe exiturus, si huiusmodi conditiones vobis proposuisset, vt, quas illi vos adderetis nouas triremes, has ipse vobis redderet obsoletas atque cassas, et pericula vt vos ipsi adiretis, corporibusque vestris toleraretis, fructus eorum vero amici sui perciperent; idemque Thrasybulus si praedixisset, ita se rem gesturum, vt vos quidem magnitudine atque assiduitate contributionum exhauriremini, Ergocles autem caeterique sui adulatores e pauperrimis ciuium omnium fierent locupletissimi; neminem vestrum omnium autumo tum non esse confessurum, vos nequaquam fuisse commissuros, vt Thrasybulo hac lege classem vestram committeretis, sed exitu potius eum prohibituros; praesertim, quum statim ab illo decreto promulgato, quo sanxistis, vt pecuniae e sociis redigendae publicas in tabulas referrentur, et qui magistratus cum Thrasybulo maritimam hanc expeditionem obiissent, vt hi domum reuersi rationes gesti muneris redderent, Ergocles auditus sit huiusmodi voculas iactans, vos iam nunc statim, in ipso expeditionis ingressu, calumnias incipere ferere, vetustasque leges e situ, quo dudum sepultae iaceant, rursum extractum atque restauratum ire; auctorque factus idem sit Thrasybulo, vt Byzantium occuparet, classem, quae vestra est, secum pro sua retineret, vobisque reposcentibus denegaret, Seuthaeque filia in matrimonium ducenda portum atque perfugium sibi compararet; quo tu, (ipsa refero hominis verba) quo tu eorum exstirpes calumnias. Sic enim facies, inquit, vt illis negatum sit, domi desidentibus, per otium, capiti tuo, amicorumque tuorum, laqueos tendere, sed vt ipsi necesse habeant te reformidare. Tam hi se a rep. vestra, Athenienses, statim incipiebant alienos ducere, suamque rem a vestra seiungere, atque primum bonis ve-

ſtris exſaturati atque ſuffarcinati erant. Quam primum enim diteſcunt, ſtatim quoque vos odiſſe incipiunt, ſeſeque ita comparant, vt appareat, eos iam nolle vobis parere, ſed velle imperare; metuque ne vos ſibi rurſus ſpolia eripiatis, quae vobis detraxerunt, parati ſunt loca munita occupare, et dominationes paucorum meditari, et nihil non agere, quo vos periculis grauiſſimis, iisque indies nouis, circumagamini. Sic enim ſperant ſe hoc conſecuturos, vt ad ſcelera ſua attendendi vobis ne ſit otium, ſed vt quietos ſe ſinatis eſſe, dum ipſi de vobis veſtraque ciuitate metuatis. Praeclare profecto Thraſybulus in eo fecit, Athenienſes, (nolo enim plura de eo, tametſi poteram, expromere) quod iſtoc vitae exitu metum ſui vobis detraxit. Neque enim expediebat eum in viuis amplius ſupereſſe, qui eiusmodi facinora machinatus eſſet, neque rurſus eum decebat iudicio veſtro perculſum in carcere exſpirare, qui viſus aliquando fuiſſet bene de vobis eſſe promeritus. Proſpere itaque euenit reip. vt hoc ab hoſte hoc modo liberaretur. Ergoclem autem cum conſortibus video, ſecundum illud decretum, quod in ſuperiori concione in eos ſcitum fuit, nullis iam parcere ſumtibus, ſed ſpiritus ſuos largitionibus redemtum ire et ab oratoribus veſtris, et ab inimicis atque accuſatoribus ſuis, et a prytanibus, multosque Athenienſium corrumpere. Cuius flagitii ignominia vobis depellenda atque abluenda eſt. Abluetis autem, ſi meritas ab hoc Ergocle poenas ſumetis. Veſtrum eſt, vos ad vniuerſum genus humanum purgare, teſtatumque ad omnes facere, nullam eſſe tantam vim pecuniarum, a qua ad peruertendum ius et ad omittendam ſontium vltionem flectamini. Non Ergocles nunc ſolus, ſed vna tota ciuitas, id quod vos probe tenere atque meminiſſe velim, iudicatur, et fama eius ad omne poſterum tempus certatur. Facietis enim hoc iudicio

veſtris

veſtris magiſtratibus planum teſtatumque, vtrum velitis ab iis honores demandatos, ſalui ſi eſſe velint, caſte ſancteque geri, an ipſis permiſſuri ſitis, poſteaquam furtis bonorum veſtrorum quam plurimis ſaginati fuerint, eundem ad portum ſalutis perfugere, atque hi conantur. Atqui noſſe vos oportet, iudices, atque certos eſſe, qui in iſtis tantis rerum noſtrarum anguſtiis nil dubitet illa minora ſcelera committere, vt ciuitates prodat, vt aerarium veſtrum depeculetur, vt ius aequum, et vectigalia veſtra praerogatiuasque largitionibus vendat, eum a maioribus quoque haud fore alienum, nihilque dubitaturum, quominus et arces veſtras, et claſſem hoſtibus prodat, atque ſtatum hunc popularis libertatis cum paucorum dominatu permutet. Non itaque conuenit vos horum apparatu terreri, eique concedere; non, reformidare multitudinem atque potentiam eorum, quos hi gratia, precibusque et largitionibus victos impulerunt, vt aduocationem atque deprecationem in iudicio reciperent. Exemplum potius ſtatuite, cuius fama terrorque ad omnes permanet, et neque lucrum, neque commiſerationem, neque aliud quicquam praehabete ſeueritati punitionis in his exercendae. Ergoclem ſuſpicor equidem, Athenienſes, praeuideoque, de crudelitate quidem atque rapacitate ſua in Halicarnaſſenſibus demonſtrata, et de imperio claſſis veſtrae a ſe geſto, ceterisque de rebus a ſe geſtis ne auſurum quidem eſſe ſe purgare; verum tamen voluntatem erga vos ſuam ſtudiumque veſtri excuſaturum, moleſtiasque iactaturum et veluti vobis exprobraturum, a ſe apud Phylam toleratas, cum exercitui veſtrorum exſulum illinc in patriam redire conantium intereſſet. Ego vero, Athenienſes, hanc rem non eo pacto, atque illi, puto, ſed cenſeo, quicunque pericula veſtra vobiscum participarunt, nou alia quapiam turpi re, ſed hoc ſolo moti, quod cupe-

rent

rent libertate ciuili et aequi iuris exercitatione beari, legesque quod vellent eas habere, quibus omnes seruirent, et quod grassatores odissent, hos ego ciues esse malos nego, nego item nefas esse, in horum causis capitalibus exsilii ab ipsis tolerati rationem haberi. Sin autem in iis, qui ab exsilio vobiscum in patriam redierunt, sint, qui nunc, obtinente pace atque libertate ciuili, ciues torqueant iniuriisque exagitent, vestrisque de spoliis res suas priuatas exaggerent; in hos multo etiam seuerius, quam in triginta viros, conuenit vos animaduertere. Hi enim in id deligebantur, vt quocunque possent genere noxiae vos carperent. istis autem ipsi vos vestris manibus in fidem quasi tutelamque tradidistis, quo remp. in libertatem vindicarent, ad splendoremque atque amplitudinem attollerent. Quorum nihil euenit, sed potius, quoad eius per ipsos fieri potuit, in discrimina dirissima coniecti estis. Quapropter multo sit aequius vos commiseratione vestri liberorumque atque vxorum moueri, quam horum, a quibus tam impuris tam crudeliter laceramini. Quo enim tempore anchoram quasi salutis vix tandem aliquando apprehendisse confidebamus, hi, qui nostri magistratus sunt, faciunt, vt multo nunc diriora toleremus, quam vnquam ab ipsis hostibus tolerauimus. Atqui nostis, in fide atque sanctitate vestrorum magistratuum vnicam vobis superesse spem salutis, eaque in parte si minus prospera fortuna vtamini, vos funditus, et citra spem perisse. Quapropter aequum dignumque vobis est, iudices, vt ipsi vos mutuis adhortationibus accendatis ad poenas ab his sumendum, quae sumi possunt, saeuissimas, et ad confirmandum reliqnis graecis, vos datas noxias in nocentibus exsequi, et velle huiusmodi exemplis magistratus vestros ad continentiam et honestatis studium reuocare. Id quod hoc pacto certissime fiet.

Et ad

Et ad haec ego vos equidem adhortor, vos autem certos oportet esse, meae quidem si concedatis auctoritati, vos optime vobismet ipsis esse consulturos; sin autem minus, peioribus ciuibus vsuros. Praeterea, Athenienses, nullam vobis habebunt, absoluti, gratiam, sed omnem numis vestris, quos ex aerario vestro cum essent furati, nunc partem eorum in largitiones insumserunt, quibus sperant iudices huius iudicii corruptum iri. Relinquetis itaque vobis quidem penes eos simultates, cum minaces vestros vultus, tabellasque ad sui condemnationem iam expeditas recordabuntur; illi autem largitionibus suis salutem suam in acceptis referent. Denique poenas ab his cum repetetis acerbissimas, tum facietis, vt Halicarnassenses quoque, et si qui alii male ab his mulcati sunt, existiment, per hos quidem se periisse, per vos autem seruatos esse. Sin autem hos seruabitis, nulli dubitabunt socii vestri, cum proditoribus suis vos collusisse. Quare conuenit, vos, Athenienses, horum omnium memores, vna et amicis vestris debitam referre gratiam, et a facinorosis meritam poenam exigere.

ORATIO XXIX.

qua Philocrates fraudis aerario factae insimulatur, maximaque de parte bonorum Ergoclis interuersa accusatur.

Certamen hoc, iudices, est id quidem mihi, quam futurum speraueram, ab amicis desertius. Omnium enim, qui multi fuerant, nemo verbis suis fidem re nunc fecit. Accusatores Philocratis se fore cum mihi condixissent, copiam sui nunc nullam faciunt. Id quod penes me quidem argumentum est nullo alio infirmius, in conficiendo indice bonorum ab Ergocle relictorum, et a vobis proscriptorum, qui index aerarii vestri

veſtri quaeſtoribus exhibitus eſt, ſummam fidem eſſe verſatam, eumque veritati rei eſſe conſentaneum. Ergoclis enim bonorum niſi grandis portio penes Philocratem fuiſſet, tam facile profecto huic non fuiſſet, accuſatores profligare. Ego vero vos omnes noſſe autumo, iudices, Ergoclem ideo a vobis morte multatum eſſe, quod peculatu ſubſtantiam triginta talentis ampliorem corrotundaſſet; cuius in vrbe nec vola, nec veſtigium ſupereſt conſpicuum. Quo autem alio conuerti, aut vbi opes interuerſas quaerere oportet? Nam ſi Ergocli bona fuerunt, quae fuiſſe conſtat, eorumque bonorum nihil vſquam in propatulo proſtat, neceſſe eſt alicubi latitare. Et ſi latitant, multo eſt conuenientius apud amicos, affines atque familiares latitare, quam apud inimicos. Quemnam vero hominum omnium vnum maioris fecit Ergocles, quam Philocratem? quemnam habuit cariorem? quem magis familiarem? Non, quem ciuium omnium egentiſſimum vrbe ſecum eduxerat, hunc eundem reduxit locupletiſſimum? non eum quaeſtorem opibus ſuis praefecit? non poſtremo trierarchum creauit? quamquam res profecto ſit miranda, quo tempore alii, patrimoniis ampliſſimis praediti, per trierarchatuum impendia ad egeſtatem deciderunt, de qua amare queruntur, eo tempore hunc, qui antea plane nihil in fortunis habuiſſet, trierarchi ſumtuoſum numus expetiſſe. Nam vtique trierarchum Ergocles hunc Philocratem eo creauit, non quo res ipſius familiaris minueretur, ſed quo queaſtum ex eo munere Philocrates faceret pinguiſſimum, eoque fidelius ſua, Ergoclis, bona cuſtodiret atque adminiſtraret; cum nemo Ergocli eſſet, quo magis fideret, atque hoc Philocrate. Cui non patent, vt equidem mihi perſuaſi, iudices, niſi duae viae ſui purgandi. Aut enim alius quispiam ei demonſtrandus eſt, penes quem abdita haereant Ergoclis bona, aut planum faciendum,

Ergo-

Ergoclem aerarii vestri praedonem non fuisse, largitionibusque intactum atque inaccessum fuisse, ideoque per nefas a vobis sublatum esse. Sin autem id fiet, quod necesse est fieri, vt Philocrates horum neutrum doceat, placet hunc a vobis condemnari. Succensetis iis, atque punitis, si qui alios aut astu emungant, aut vi depraedentur. Qui ergo conueniat vos iis conniuere atque ignoscere, si qni vestra ipsorummet bona furati penes se occulta retineant? Athenienſium ecquis est, quem fugiat, tria talenta fuisse pro Ergocle alicubi per modum fideicommissi deposita, oratoribus desponsa, si possent eum periculo capitis eripere, aut saltim necessitatem deuitare ipsum accusandi. Oratores autem, quamquam pecuniam non fastidiebant, verumtamen videntes iracundiam vestram ad puniendum ardentem, quietos sese continebant, neque audebant, importunitate studii aut Ergoclem seruandi, aut saltim accusationem eius auertendi, sese ipsos prodere. Philocrates itaque primum quidem, cum illa tria talenta reposcens ab illis recuperare non posset, minabatur rem se proditurum, eosque ad populum acceptorum munerum crimine delaturum; deinde vero, postquam illa tria talenta recuperauit, et vna cum iis reliquorum quoque bonorum Ergoclis potitus est, eo processit audaciae, vt emtos aere testes sibi compararet, qui mox confirmabunt, omnium hominum Philocratem Ergocli fuisse infestissimum. Atqui, si Philocrates Ergoclem tanto prosequebatur odio, existimatisne, iudices, Philocratem eo vnquam fuisse dementiae processurum, vt trierarchatus functionem sponte sua capesseret, imperatore Thrasybulo, cui Ergocles esset acceptissimus atque carissimus? Qui poterat aliter citius pessum ire? qui magis patere vexationibus atque contumeliis? Sed ad hoc quidem caput sat multa a me esse autumo disputata. Vos autem rogo, vt vobismet ipsi deesse noli-

tis,

tis, sed potius cupidos atque facinorosos vlciscamini, omnemque gratiam praedonibus aerarii vestri denegetis, qui commiseratione vestra prorsus indigni sunt. Philocrates enim, etiamsi mulctam dependerit, quam vos ei dicetis, tamen de suo nil dependet, sed vestra vobis solummodo reddet; quod cum fecerit, multo tamen ei adhuc supererunt plura, quam vobis dependerit. Et profecto indignum sit, atque abhorrens, iis quidem vos irasci, si qui de suo ad publicas necessitates conferre minus valeant, eorumque bona, velut iniurias vobis offerentium, publicare; horum autem, qui vos ipsi expilarint, punitioni animum non adiicere, sed committere, vt, cum bona vestra vestris a furibus haud recuperetis, tum eos postmodum habeatis hoc saeuiores inimicos. Donec enim ipsi sibi conscii erunt, vestra bona secum esse, maleuolum erga vos animum non exuent, existimantes, praeter publicas calamitates, aliud nihil esse, quod metu se liberet rationis rerum a se gestarum vobis tandem aliquando necessario reddendae. Quid? quod autumo, iudices, ius aequum et verum hac in causa si obtineat, non satis esse vt Philocrates peculatus postuletur, sed etiam oportere, vt necessitas pro capite dicendi ipsi imponatur. Et profecto graue sit atque non ferendum, si, cum priuatis et minutis in causis furtorum conscii poenis teneantur iisdem, quibus fures ipsi, tum Philocrates, qui Ergocli conscius sit et peculatus, et cauponatus iurium vestrorum, non modo non eadem poena, qua ille, afficiatur, sed insuper quoque mercedem nequitiae ab ipso in celandis Ergoclis furtis demonstratae ferat habeatque relictam ab illo substantiam. Sed est alia adhuc quoque causa, iudices, ob quam vos par est hunc Philocratem eiusque consortes punire, quos nil puduit vestram castitatem contumeliosissimis sermonibus infamare, ac si cupidi venalesque sitis. Superiori enim iudicio

dicio populi, cum causa Ergoclis in concione agitaretur, dictitabant quingentos e Piraeeo esse largitionibus a se corruptos, et in vrbe alios, mille et sexcentos numero, magisque se suis opibus fidere, quam peccata sua reformidare, prae se ferebant. Feciſtis vos quidem iam tum, cum Ergoclem condemnaretis, his planum atque testatum, verum ad omnes homines etiam declarandum vobis est, nullam esse pecuniarum tantam vim, quae vos ab eorum castigatione auocet, si quos in maleficio deprehensos vestrarum tabellarum potestati obnoxios nacti sitis. His negate facultatem vestra bona furandi atque diripiendi. Haec ego vobis suadeo, ad haec vos cohortor. Nostis enim vos omnes Ergoclem cum classe hinc discedentem hoc sibi habuisse propositum, vt rem faceret quam amplissimam, non vt largitate atque magnificientia suae erga remp. liberalitati gloriam quaereret. Nostis item bona Ergoclis penes alium nullum esse, quam penes hunc Philocratem. Quod si ergo sapitis, operam dabitis vt ab eo bona vestra recuperetis.

ORATIO XXX.

quae est accusatio Nicomachi scribae de maleficio in codice legum exarando commisso.

Haud raro euenit, iudices, vt in iudicium adducti, cum visi essent peccasse, veniam tamen a vobis impetrarent, alii, quod maiorum fortia facta proferrent, alii, quod sua ipsorum de vobis merita. Quando igitur defendentium excusationes haud aspernamini, a quibus ornamentorum aliquid in remp. esse collatum constiterit, aequum censeo, accusatores quoque aequis auribus a vobis audiri, cum reos improbitatis arguunt iamdudum inolitae atque inueteratae. Patrem itaque huius Nicomachi seruum publicum fuisse, et hic

ipse Nicomachus quibus in studiis adolescentiam contriuerit, et quotum demum aetatis annum agens in album phratorum illatus [h. e. ciuitate donatus] sit, ea vero omnia enarrare longum sit. Ex quo autem mandatum ei tandem negotium fuit codicem legum condendi, ecquis est, quem fugiat, quantas ex eo tempore noxias reip. attulerit. Imperatum enim ei cum esset, intra quartum mensem leges Solonis in mundo, vnoque codice exarare, non solum non Solonis leges, sed suas conscripsit, et pro Solone ipse sese suis auspiciis legislatorem creauit, sed etiam honorem in quatuor menses datum in sextum annum extraxit. cuius sexennii diem non est passus abire, quo non quaestum fecisset aliis legibus expungendis, aliis inferendis. Denique ius nostrum eo contemptus atque dedecoris deuenit, vt necesse haberemus vti legibus iis, quas impertire postulantibus nobis, velut promo condo, placuisset Nicomacho, quamuis parce vellet, quamuis adulteratas et vitiatas, quamuis immani emtas. Ita factum est, vt litigantes contrarias atque repugnantes inter se leges allegarent, alias idem imperantes, alias vetantes, quas ambae partes affirmarent a Nicomacho accepisse. Item si magistratus alicui mulctam arbitratu suo irrogassent, eumque postmodum in iudicium induxissent, Nicomachus proferre leges, [secundum quas causa quaeque disceptaretur,] recusauit; sed prius resp. maximas in calamitates incidit, quam ille hoc honore decederet, actorumque rationem redderet. Quoniam igitur poenas tum nullas dedit, age nunc tandem videamus, qualem in illo magistratu se gesserit. Primum totum quadriennium insumsit legibus exscribendis, quod negotium intra mensem poterat peragi. Deinde, cum assignata in manusque data ipsi fuissent exemplaria, vnde suum codicem exscribere iussus esset, [vel, si mauis sic reddere, cum certae Archontum aetates,

velut

velut metae quaedam, ipsi fuissent fixae, quibus ab aetatibus inde initium exscribendi faceret, vt citeriores quidem, non autem vlteriores, seu antiquiores leges conscriberet] vniuersum iuris nostri ambitum sibi fecit prouinciam. Tertio, tot et tanta cum tractasset, quanta nemo alius, tamen ad hoc diei nondum rationem reddidit, solus. Reliquis enim omnibus exeunte prytania quaque reddenda est honorum suorum ratio. tu autem, Nicomache, ne quadriennii quidem rationem actorum dignatus es literis consignatam censoribus exhibere, sed ciuium omnium tibi soli censes licere honorem per longa temporum spatia extrahere, ita vt neque rationem reddas, neque plebiscitis pareas, neque leges pensi facias, quarum alias tuum in codicem infers, alias expungis, eoque procedis dementiae, vt tua ducas esse, quae sunt reipublicae, quamquam seruus es publicus. Vos itaque decet, iudices, recordantes, et quibus ortus sit maioribus Nicomachus, et ea iniuria vobis inferenda, quam intulit, quam se immemorem vestri beneficii ingratumque praestiterit, eum punire, et quoniam vnius cuiusque criminis poenas ab eo non repetiistis, nunc ob cuncta simul vlcisci. Sed fortasse, iudices, cum pro se afferre, quo purgetur, nihil poterit, tum in inuidiam me adducere conabitur. Quod cum faciet, oro vos, iudices, vt ei me criminanti fidem prius habere nolitis, quam si ego, copiam mei defendendi nactus, mendacia eius purgare minus potuero. Quodsi ergo conabitur eadem de me ad vos quoque criminari, quae coram senatu ausus est, me fuisse in numero quadringentorum virorum, recogitate probrum hoc esse illis ita familiare atque protritum, atque in neminem non ab iis iactari solitum, vt si omnes illi, quos hi aiunt in isto collegio fuisse, reapse fuissent, non iam quadringentorum, sed plus mille virorum illud collegium fuisse necesse esset.

Referunt enim hunc in numerum alios, qui tempeſtate quadringentorum adhuc pueri erant, alios peregre, procul ab vrbe agentes. Verum, quo homines inſontes vobis ſuſpectos inuiſosque reddant, calumnias iſtiusmodi a ſe nefandum in modum confictas iis adſpergunt. Ego vero tantum abſum, vt in collegio quadringentorum fuerim, vt ne inter [aut quinquies] mille quidem collegium vnquam fuerim cooptatus. At enim videte quaeſo loci mei iniquitatem, et quam iniquo cum aduerſario commiſſus ſim. Priuata ſi quapiam in re cum eo contracta certarem, eaque in re maleficii eum admiſſi arguerem ita perſpicue, atque nunc hac publica in cauſa arguo, tam non videtur eſſe ferreus et impudens, vt per excuſationum tam frigidarum ineptias abſolui ſit poſtulaturus. Iam vero in iudicio verſans de ſe habendo ſuper re ad rempublicam pertinente, videtur opinari, nullas ſe poenas dare oportere, dummodo me accuſauerit. Res enim vero miranda Nicomachum, qui cenſeat vos debere aliis minora delinquentibus ſuccenſere, in eosque animaduertere, eundem poſtulare, vt vos ſibi ignoſcatis, a quo rempublicam grauiſſimis laeſam iniuriis, peſſimisque fraudibus innexam eſſe, confido me planum facturum. Audite ergo nulla formidine, iudices. Accuſatores enim hoc genere accuſationis vtentes, admitti atque probari par eſt, cum reos inſectantur huic reo ſimiles. Hi nempe, cum libertatem plebis ipſi ſuis manibus laceraſſent, nunc ſe ſtudioſos ferunt huius a ſe labefactatae libertatis. Quorum e numero Nicomachum hunc eſſe, vel vno vobis hoc documento conſtabit. Amiſſa claſſe, cum de mutanda reipublicae forma deliberaretur, obiurgabat Cleopho ſenatum, aiens eum conſpiraſſe atque coiſſe ad machinandam reip. perniciem, et conſilia reip. dare haud ſaluberrima. Ibi Satyrus Cephiſienſis, quippe tum ſenator, ſenatui fiebat auctor, vt Cleophon-

phontem in carcerem abduci iuberet, postmodum iudicio tradendum. Senatores reliqui, sublatum cupientes Cleophontem, metu, ne iudicium, non mortis ei poenam, sed aliam quampiam mitiorem irrogaret, persuadent huic Nicomacho, vt legem proferret in hanc formulam, oportere senatum quoque iudicio interesse, vnaque cum reliquis legitimis iudicibus sententiam pronunciare. Ibi homo hic hominum omnium pessimus perspicuum atque controuersiae expers edidit documentum animi sui a libertate populari alieni atque factioni dediti, nouis tum rebus atque dominationi paucorum studenti. Eodem enim die demum, quo iudicium in Cleophontem est habitum, legem illam protulit. Sunto, iudices, per me licet, alia in Cleophonte haud probanda; hoc tamen in confesso est, turbatores illos, qui remp. labefactare tum contendebant, omnium ciuium hunc vnum Cleophontem maxime de medio tollere studuisse, Satyrumque atque Chremonem, qui triginta tyrannorum teterrimi erant, non eo accusasse, quod maiestatem vestram a Cleophonte laesam existimarent, sed quod sperarent, vbi eum sustulissent, neminem fore, qui ipsos prohiberet mala vobis iniungere. Quod vt consequerentur, malis artibus per hanc legem a Nicomacho tum prolatam perfecerunt. Videtur vtique Cleopho, iudices, vestrum nonnullis ciuis malus fuisse. At hoc tamen rursus vos cogitare par est, quamquam a triginta tyrannis haud pauci mali ciues peremti sint, vos tamen tyrannis ob hos ipsos malos ciues, non minus quam ob bonos, interemtos succensere, quia tyranni eos, non in maleficiorum poenam, sed ad vltioni priuatae satisfaciendum, ob priuatas eorum cum ipsis simultates, qui secum non sacerent, sed cum diuersa factione, sustulerunt. Ad hoc igitur caput accusationis refutandum cum aecesserit Nicomachus, hoc vnum modo vos meminisse velim, legem illam, de

qua queror, ab eo fuiſſe iſto prolatam temporis articulo, quo reipublicae forma fuit mutata, in eorumque gratiam, qui libertatem euerſum ibant, in cauſaque fuiſſe, proferenda illa lege ab ipſo conficta, vt vna cum legitimis iudicibus ad iudicandum de Cleophonte praeter morem ſederet is ſenatus, in quo Satyrus et Chremon plurimum valebant, Srrombichides autem et Calliades aliique multi viri fortes atque boni perierunt. Mentionem huius loci feciſſem nullam, niſi intelligerem, Nicomachum hac excuſatione, iniuſta quidem illa atque ementita, conari ſeueritatem veſtri iudicii ſubterfugere, quod plebis ſit ſtudioſus. Cuius ſuae erga vos voluntatis argumento vtetur hoc, quod exſilium vobiscum participarit. Ego vero haud paucos demonſtrare atque nominatim edere poſſim, qui, quamuis operam tyrannis ad euertendam remp. nauaſſent, nihilominus tamen ab ipſis, alii morte affecti, alii in exſilium acti fuerunt, a dominationis certe conſortio excluſi. Quapropter haud conuenit exſilii tolerationem ei prodeſſe, ſed vos potius decet nullam eius habere rationem, neque eius reſpectu peccatis Nicomachi ignoſcere. Nam ipſe quoque in partem culpae venit, et per ipſum pro parte ipſius virili factum eſt, vt vobis eſſet in exſilium migrandum. vt autem ipſi domum redire liceret, hoc plebis veſtrae contentioni debet. Praeterea ſtultum et turpe ſit, vos quidem gratiam ei habere rei, quae ipſo inuito et nolente euenit, [reditus in patriam] ipſum vero poenas dare nullas criminum ab ipſo volente in vos commiſſorum. Audio praeterea Nicomachum haec crepare, me impium eſſe, qui religiones ſacrorum tollam. Ego vero hac de re ſic ſtatuo. Leges ſuper deſcriptione ſi tuliſſem, liceret quodammodo Nicomacho iſta iactare. Iam vero poſtulo eum legibus communibus et dudum fixis morem gerere. Miror enimuero ei, aienti me

ti me impium esse, qui tamen censeam sacra a Kyrbibus atque Stelis imperata fieri secundum pacta literarum monumentis consignata, in mentem non venisse, totam hoc pacto ciuitatem a se accusari. Vos enim haec eadem decretis vestris sanxistis, quae ego restaurari suasi. Porro si res, quarum ego factus sum auctor, tibi graues atque indignae videntur, quanto grauius atque sceleſtius illorum videbitur facinus, qui sacra fecerunt solummodo e praescripto Kyrbium. Atqui de pietate, iudices, non a Nicomacho vos discere, quae conueniant, decet, sed e factis iudicare. Maiores nempe vestri, tametsi sacra nulla faciebant alia, quam a Kyrbibus praescripta, ciuitatem tamen hanc vobis tradiderunt graecarum omnium amplissimam atque fortunatissimam. Quare conuenit, vos eadem sacra, easdem coerimonias, tueri, si nullam aliam ob causam, saltim ob felicitatem fortunae, quae illorum sacrorum exercitationem consecuta est. Ecqui alius esse quis possit religiosior atque pietatis erga deos obseruantior, quam ego sum, qui censeam sacra esse facienda, primum e ritu patrio, deinde ea, quae ciuitati prosunt omnium maxime, tum quae populus scisuit, denique in quae faciendis sumtibus vectigalia publica sufficiunt. Tu autem contra feciſti, Nicomache. Nam in descriptione sacrorum a te condita atque exhibita cum sacra indixeris multo plura, quam vetustis a legibus imperata sunt, factum ex eo est, vt vectigalia, in haec noua sacra, te auctore inchoata, cum insumantur, ad illa vetusta et patria minus sufficiant. Ne longe abeam, anno superiori ob defectum pecuniae, facta non sunt sacra eorum e numero, quae a Kyrbibus imperata sunt, et in quae sumtus trium talentorum fuisset faciendus. Occurri nequit, reditus publicos haud suffeciſſe. Suffeciſſent vtique in sacra antiquo patrio ritu sancita, nisi Nicomachus hic noua sacra

descripsisset, in quae plus quam sex talenta impendi debent, et non modo suffecissent reditus, sed etiam superfuisset adhuc aerario. Quae aio, testibus ea confirmata dabo. *Testes.* Reputate vobiscum, iudices, sacra si faciamus secundum pacta conuenta tum literis consignata atque iureiurando confirmata, cum populus ab exsilio domum rediret, omnia sacra fieri posse vetusto ritu patrio tradita. Sin autem secundum edictum harum stelarum, quas hic Nicomachus fixit, multa intercidere atque omitti debere. Et nihilominus tameu ambit hic sacrilegus domos, circumcursitat per stationes, vbique iactans, se leges conscripsisse de sacris faciendis, non parsimoniae quidem, at pietati tamen vestrae conuenientes. Quae si vobis leges minus arrideant, iubet eas rursus expungi. Et eiusmodi offuciis sperat se vobis persuasurum, vt credatis neganti quicquam in vos peccasse, tametsi ciuitatem, vt sumtum duodecim talentis maiorem, quam oportebat, hoc biennio faceret, induxit, et, qua est audacia, quotannis senis talentis aerarium quasi mulctare sustinuit. Quid enim aliud fecisse dicendus erit is, qui leges de sacris tulit eas, quae leges si obtinebunt, aerario sena quotannis talenta erunt impendenda plus quam oportebat? idque tam importuna et dura tempestate, qua res pecuniaria tam arcta est, videns, aerarium exhaustum et exinanitum, Lacedaemonios minantes ni debita ipsis tot talenta dependamus, Boeotos autem corporaque cum serua, tum libera, et iumenta armentaque nostra, et plaustra et instrumentum omne rusticum ex agris nostris agentes, ferentes, secum retinentes pro arrha quasi luitionis duorum talentorum, quae ipsis debemus, neque reluere valemus; videns denique naualia et moenia nostra ob penuriam aerarii in ruinas dilabentia; qui porro probe nosset, senatum rebus identidem praelidentem, si satis sit vnde sumtus in

res

res exſecutu et prouiſu neceſſarias faciat, nulla in re delinquere, ſin autem eneruatus atque ſubſidiis deſtitutus ſit, facere non poſſe quominus cauſas iniquas et turpes, titulo denunciationis ad ſe delatas, recipiat, ciuiumque innocentium bona coufiſcet, et in poteſtate ſit oratorum peſſima quaeque ſuadentium. Quapropter oportet vos, iudices, non ſenatoribus ſuccenſere identidem remp. adminiſtrantibus, ſed his, qui ad eiusmodi incitas et penurias rei pecuniariae remp. deprimunt. Attendunt nunc, exitumque huius iudicii praeſtolantur fures peculio veſtro inſidiantes, quibus effuſam licentiam impunitatemque dabitis vos compilandi, niſi Nicomachum puniueritis. Sin autem condemnato extremas quasque poenas irrogabitis, quo calculo Nicomachum condemnabitis, eodem reliquos quoque corrigetis, melioremque ad frugem reuocabitis, edetisque documentum, vnde alii diſcant, neque expedire ſibi, neque licere in vos delinquere, non infacundos caſtigantes, ſed diſertos et linguae potentes. Ecquis iam vnus omnium ciuium ad poenas vobis dandum meritas, hoc Nicomacho eſt accommodatior? quis de patria minus eſt bene meritus? quis eam ſaepius atque grauius laeſit? quis, creatus a vobis iuris veſtri ciuilisque et ſacri digeſtor atque conſcriptor, vtrumque illud ius ita corrupit, atque Nicomachus? Recordamini, quam multi, veſtri qui ciues nati eſſent, nb peculatum morte ſint mulctati. Laeſerunt hi quidem vos proculdubio, ſed hactenus ſolummodo, quod detrimento vos affecerunt quaſi momentaneo, ad id ſolummodo breue tempus, quo rem veſtram minuerunt. Hi autem, Nicomachus cum conſortibus, qui leges atque coerimonias veſtras deſcribere iuſſi, eas temerant, ad id faciendum largitionibus emti, remp. in omne futurum tempus carpunt et labefactant. Ecqua tandem vos de cauſa, eccuius memores virtutis ab eo

demonſtratae, Nicomachum abſoluatis? Num quod vir fortis atque ſtrenuus ſit, multisque proeliis terraque marique interfuerit? Atqui, quo tempore vos, cum diſcrimine capitum veſtrorum, in nauibus hinc fugientes in exſilium ibatis, hic, manens in vrbe, Solonis leges vitiabat atque confodiebat. An, quod de ſuo largiter atque magnifice in vos impenderit, multasque contributiones contulerit? Atqui non modo nil contulit, ſed contra peculium veſtrum expilauit. Verumtamen ob maiorum famam et virtutem? Profecto iam ſaepe quibusdam hoc nomine ignouiſtis. Hunc autem, ſui quidem cauſa morte mulctari, maiorum vero ſub corona vaenire oportebat. Attamen, ſi nunc ei veniam dederitis atque peperceritis, gratiam vobis impoſterum rebus ipſis reddet, animumque memorem declarabit? Is ne? qui ne priorum quidem ornamentorum a vobis in ſe collatorum meminit, quamquam e ſeruo ciuis beneficio veſtro factus, et e mendico diues, et e commentarienſi ſecundi ordinis legislator. Id quod etiam iure merito vobis vitio vertatur, qui ab exemplo maiorum veſtrorum hac in re deſciueritis. Maiores veſtri delectu ſuo ſibi legislatores conſtituebant Solonem et Themiſtoclem et Periclem, exiſtimantes, latoribus legum leges ipſas ſimiles eſſe futuras. Vos autem Tiſamenum Mechanionis filium, et Nicomachum aliosque iis ſimiles homines neſcio quos, ſubſcribas, huic legum conſcribendarum negotio praefeciſtis; et magiſtratus quidem veſtros ab illis contaminari atque corrumpi ſuſpicamini, ipſi vos autem illis fiditis. Quod turpiſſimum; eidem magiſtratui eundem pro commentarienſi bis famulari haud licet; ſummas autem res quam diutiſſime hos agere atque verſare arbitraria cum poteſtate finitis! Denique ei Nicomacho deſcribendas leges atque coerimonias veſtras mandaſtis, cui ne cum ciuitate quidem quicquam commune

mune est ob patris ignobilitatem. De quo totum populum iudicium capitale agere oportebat, is iura vestra libertatemque iugulauit; de quo vt inter vos constaret, factis ipse suis operam dedit. Horum coeptorum vos nunc tandem aliquando poeniteto. Incipite tandem aliquando iniurias nolle animo aequo perferre eorum, qui identidem sunt in ciuitate turpissimi; neque committite, vt quos priuatis in circulis obiurgatis atque traducitis, eos publice, punire cum possitis, tamen absoluatis. Haec hactenus. Iuuat nunc adhuc paucis quoque vos admonere de iis, qui Nicomachum exorando liberare studebunt. Parati nempe quidam sunt e numero amicorum eius, nec non eorum, qui in rep. versantur, pro eo deprecari. Quorum ego nonnullos decere magis arbitror, vt facinora ipsi sua purgent, quam vt pro aliis maleficis deprecationem apud vos interponant. Graue mihi, iudices, hoc quoque videtur, neque ferendum, hos a Nicomacho quidem, qui vnus esset, nullaque vestra laesus iniuria, contendere, vt noxias suas a rep. remoueret, nil curasse; vobis autem, tot numero qui sitis, et ab eo grauissime laesi, laborare vt persuadeant, haud decere poenas a reo repeti. Oportet itaque, quod ab huius amicis conferri videtis studium ad amicum seruandum, id idem a vobis conferri ad inimicos vestros puniendum, bene gnaris, si fures aerarii vestri, maiestatisque vestrae latrones pro meritis castigaueritis, hos ipsos eorum patronos primos fore, qui vos fateantur viros fortes atque strenuos esse. Cogitate, neque Nicomachum, neque deprecatorum eius quemquam, tot ornamenta in remp. contulisse, atque hic vnus Nicomachus ei vulnera imposuit. Quapropter multo magis vobis conuenit hunc punire, quam illis huic subuenire. Ignorare vos quoque nolim, iudices, qua cum spe deprecatores Nicomachi hoc ingressi sint tribunal. Sperant vos minus

constantes in dignitate vestrae personae tuenda fore, quam nos in nostrae fuimus. Nullam non nobis admouerunt persuadendi machinam, tametsi frustra, vt accusationem hanc omitteremus. Iam vestrum in conspectum prodierunt periculum facturi, possintne auctoritate, gratia, precibus iudicium flectere, sperantesque fore, vt imponendo vobis, licentiam adipiscantur imposterum, quicquid volent, impune agendi. Nos quidem flectere non poterant. Estote itaque vos quoque constantes. Non ante iudicium solummodo declarandus vobis est, id quod facitis, animus maleficis infestus, sed in ipso quoque iudicio, atque id multo potius, castigandi sunt audaces, legislaturam vestram funditus tollentes. Quod cum fiet, tum demum nulla non pars reip. recte et ad praescriptum legum gubernabitur.

ORATIO XXXI.

qua Philo honorem petens accusatur, vt eo indignus, quod in bello ciuili neutra cum parte fecisset.

Haud ego equidem, senatores, sperabam vnquam futurum, vt Philon hic eo excederet audaciae, vt probationis ergo copiam sui vobis faceret. Verum, quia non vna in re sola se iactauit eius audacia, sed in permultis, egoque hoc in tribunal ingressus sum iureiurando dicto, me vobis auctorem futurum optimorum quorumque consiliorum; quo in iureiurando haec quoque inest clausula, vt, qui ius illud iurandum dicit, is spondeat a se denunciandum, si quem norit inter senatus candidatos forte designatos eo ordine indignum; feram me nunc huius Philonis accusatorem, nullam meam cum eo priuatam exsequens simultatem, neque ad leuitatem et fidentiam sublatus a nescio qua conscientia facultatis et vsus in dicendo, praesertim in foro coram vobis, sed multitudine delictorum eius fidens

dens, dignumque me cenſens, religioni iurisiurandi a me dicti me inhaereſcere. Intelligetis quidem, copias, quibus ad illum accuſandum ego vtar, multum concedere copiis his, quibus iſte fretus flagitioſum ſe ferre auſus eſt. Verumtamen etſi in accuſatione a facundia memoriaque deſtituar, non id ei ideo debet prodeſſe, ſed potius, quae ego, quamuis pauca, perſpicue et quoad ſatis erit, docuero, ex iis eum reprobari conuenit. Dicam enim ſic, vt cum facinorum ab eo commiſſorum ignoratio mea factura ſit, vt multitudinem grauitatemque rerum dicendarum minus videar aſſecutus fuiſſe, tum rurſus tamen ſatis dixiſſe videar ad declarandam huius improbitatem, quae tanta eſt et tam abnormis, vt quamuis pauca ſpecimina ſatis vniuerſam prodant. Sed et veſtrum ſi qui ſunt eloquentia valentiores, quam ego ſum, eos rogo, vt delicta Philonis oratione exaggerare velint, et a me praeteritis ea, quae ipſi norint, crimina eius addere. Neque enim e ſolis a me dicendis ſpectari mores eius conuenit. Nego itaque fas eſſe, ſenatui de rebus fortunisque veſtris deliberaturo quenquam intereſſe, qui non, praeterquam quod ciuis natus ſit, etiam ciuis eſſe bona fide ſtudeat atque contendat. Eiusmodi enim animo qui praediti ſunt, eorum permagnum intereſt, rectene an ſecus habeant reip. fortunae; propterea quod exiſtimant oportere ſe perinde damna eius, atque emolumenta, participare. Nam qui, nati cum ſint ciues, eo tamen ſunt animo, vt vbicunque bene ſibi ſit, copiarumque ad vitam commode degendam ſatis et ſuper ſit, ibi patriam eſſe autument, hos conſtat, transmiſſa boni communis cura, in priuata ſua commoda eſſe incubiruros; quippe quibus non in ciuitate, ſed in fortunis ſuis ſita ſit patria. Planum itaque faciam hunc Philonem ſecuritati ſuae diligentius, quam patriae periclitanti proſpexiſſe, ſatiusque duxiſſe, ſaluas habere fortunas

tunas ſuas, in tutoque aetatem degere, quam periculis pari cum aliis ciuibus contentione obeundis remp. ſaluam praeſtare. Cui cum ſaeua illa clades contingeret, cuius ego cladis mentionem hactenus faciam, quatenus rerum narrandarum ordo et natura neceſſitatem mihi imponet eam perſtringendi, Philon hic, vna cum reliquis ciuibus a triginta tyrannis e ciuitate proscriptus, aliquantisper rure conſedit. Cum autem illi a Phyla in Piraeeum redirent, ciuesque noſtri non attico ſolummodo ex agro, verum etiam ex omni circa regione finitima coirent, omnes et ſinguli quam poſſent operam ad ſuccurrendum laboranti patriae conferentes; quid ibi Philon hic? contra quam alii omnes, conuaſatis, quae ei hic erant, alienam in ditionem ſe transtulit, Oropum habitatum conceſſit, ibi vectigal inquilinatus dependit, ſub tutela patroni vixit. Malebat nempe apud illos inquilinum agere, quam apud vos ciuem pari vobiscum iure vtentem. Neque, quod conſtat ciuium nonnullos feciſſe, animum partesque cum fortuna mutauit. Nonnulli nempe videntes Phylaeis illis conatus proſpere ſuccedere, a tyrannorum partibus ad horum tranſibant. Philon autem ne harum quidem ſecundarum rerum communionem appetiit. Rei bene proſpereque iam peractae ſuperuenire, quam ei, cum ageretur, intereſſe maluit; participare fructus laborum maluit, quam ſuo conſilio ſuaue opera patriam ornare atque releuare. Non rediit in Piraeeum, neque locus vllus eſt, in quo collocandi ſui copiam vobis feciſſet. Iam qui vos prodidit, quos videret proſperis rerum ſucceſſibus florentes, quid ille fuiſſet auſurus, ſi vos ſecius, atque vellem, res gerentes vidiſſet? Priuatis quidem ſi qui conſtricti cladibus intereſſe periculis iis haud potuerunt, quibus resp. tum defuncta eſt, venia hi digni vtique ſint. ecquis enim vltro, dedita opera infelix ſit? Conſulto autem

qui

qui commiserunt, vt a laboribus vestris abessent, hi venia sunt arcendi. Non enim a calamitatibus intercepti abfuerunt, sed mala fraude sua, temporibus vestris insidiati. Ratus quidam est vsuque vniuersi generis humani constabilitus mos, inprimis aequus et humanus, vt, duobus eiusdem criminis reis factis, offendamur atque succenseamus ei maxime, qui, quo minus committeretur, cauere potuisset. Pauperibus autem, aut corpore inualidis parata est penes omnes venia, censentes, quicquid labantur, invitos eos labi. Philon ergo venia prorsus est indignus. Nam neque corpus ei ad laborum patientiam molle et flaccidum est, id quod ipsi cernitis, neque copiis rei familiaris destituitur, vt muneribus edendis parum sit idoneus; id quod ego mox planum atque testatum faciam. Qui ergo, ignauia torpens, et malignitate quadam animi dolosus, ibi loci, et in tantum prodesse patriae cessauit, quatenus prodesse poterat, quo quaeso pacto poterit is facere, quominus omnium vestrum odio et exsecratione obruatur? Verendum porro vobis non est, ne Philone reprobando ciuium reliquorum quenquam offendatis. Non enim alteros, sed ambos, [tam Piraeenses, quam vrbanos] ab eo proditos esse, palam est. Quapropter neque ab iis, qui in vrbe manserunt, eum amari consentaneum est, quibus laborantibus vt subueniret, in mentem ei non venit; neque rursus a Piraeensibus, quibuscum reditum in patriam armis quaerere nil curauit. Ipse testatur haec vera esse, tum Oropi versatus. Sin tamen adhuc supereſt tertium aliquod ciuium genus, si fiat aliquando, quod dii vetent, vt genus hoc rerum potiatur, cum illo tum genere ciuium rempublicam gerere atque senatui interesse postulato, hoc suum de ipsis meritum allegans, quod causam ipsorum amplexus esset. Quo itaque certi sitis, Philonem apud Oropum sub tutela patroni incoluisse

luisse, fortunasque ei satis amplas lautasque esse, et neque vrbanis eum, neque Piraeensibus praesto fuisse, audite hos, qui testimonio suo fidem a me dictis adstruent. *Testes.* Relinquitur ergo vt causetur, per interuentum valetudinis negatum quidem sibi fuisse, Piraeensibus succurrere, verumtamen de suo sponte sua contulisse, vnde paupertas plebis vestrae subleuaretur; aut municipalium quosdam instruxisse, quemadmodum ciuium vestrorum alii quoque haud pauci fecerunt, si qui per corporum infirmitatem ipsi militia fungi nequirent. Ego vero ei hoc quoque mendacium eripiam, quo vos eo circumuenire ne possit; quoniam mihi postmodum non licebit, eius arguendi causa huc ad vos progredi. Cita tu mihi Diotimum Acharnensem vna cum reliquis, qui delecti cum Diotimo fuerunt, vt municipales armis instruerent aere collato comparatis. *Testimonia Diotimi et colligarum.* Nihil itaque Philo reip. profuit. Verum non modo in mentem ei non venit, vt prodesse reipublicae vellet, in istiusmodi tempore, atque in ista rerum perturbatione, sed etiam commisit, vt e malis vestris rem augeret. Euectus enim Oropo, alias solus ipse, alias cum globo, quem ducebat, hominum improborum, qui clades vestras lautam sibi atque quaestuosam ducerent prouinciam, persultans agros vestros, si quos in ciues vestros incurreret, annis graues, in municipiis relictos, in re familiari perquam curta, qua carere ad vitam sustentandam nullo modo possent, per aetatem haud valentes vobis opitulari, cum animis vestri essent studiosissimi; hos igitur Philo fortunis spoliabat, maioris faciens mediocritatem fructus, quem ex eorum spoliis percipiebat, quam laudem innocentiae atque continentiae erga eos, qui nunc, quo minus in eo suas cuncti exsequantur iniurias, eadem ab ipsa causa impediuntur, ob quam tum quoque vobis succurrere, cum vellent,

vellent, non poterant. Verum cauendum vobis est, vt eorum infirmitas eadem ne bis Philoni prouincia fiat. Iam semel fortunis eos omnibus denudauit. Nunc iterum ex eorum damnis lucrum aufferat, si fiat, quod vos minime committetis, vt vos Philonem ideo probetis, quod illi cuncti, a senio et valetudine constricti, hic adesse, et de hoste suo queri, eumque suo premere testimonio non possunt. Verum, etiamsi vel vnus modo illorum tum ab hoc Philone vexatorum in iudicio adsit, satis hoc magnum iudicate argumentum veritatis, et hunc Philonem odio, quam fieri poterit, maximo insectamini, qui expilare sustinerit eos, quibus alii, miserti paupertatis, de suo largiri soliti sint. Cita tu mihi testes. *Testes.* Porro causam video nullam, cur vos oporteat hoc de Philone secius statuere, atque ipsi eius necessarii, quos consentaneum est eum optime nosse, statuerunt; erga quos ita se gessit immanem atque belluinum, vt, etiamsi aliud nihil deliquisset, vel sola haec eius immanitas vos eum reprobare sit coactura. Omittam, quae mater adhuc superstes de eo questa est. At in exitu vitae quae egit, ea sunt eiusmodi, vt facile vobis sit illinc colligere, qualis erga matrem fuerit. Dubitans enim illa cadauer suum filio credere, tres minas in funus suum erogandas Antiphani moribunda tradidit, cum quo nulla ipsi necessitudo erat. Norat ergo filium, cupiditate captum, contemta sanguinis arctissima necessitudine, ipsos extremos honores sibi esse denegaturum. Atqui, si mater adeo, quamquam matres ita natura factae sunt, vt a liberis quas accipiunt iniurias, eas plerumque tolerent, et rursus beneficiis cultae nil admodum magnum atque praeclarum se ferre putent, quia, quicquid sit, beneuolentia id magis atque caritate, quam veritate rei censetur; quod si ergo mater hunc vel e cadauere suo compendium facturum suspicata est, quid

vos oportet de eo arbitrari? quem ei erga vos animum esse? Nam erga necessarios qui tam immanis, tam sordidus, tam turpis lucri auidus est, ecqui is erga alios erit? Vera autem vt vobis constet haec quoque esse, audite ex ipso Antiphane, eo, qui tres illas minas a moriente tulit, mortuaeque funus curauit. *Testis.* Ecquid igitur vos tandem spectantes hunc probabitis? vtrum, quod nil deliquerit? atqui patriam grauissime laesit. an, quod spes est fore vt olim aliquando resipiscat? Frugi homo prius esse studeto, praeclareque de patria meretor. tum demum candidatum se ordinis senatorii ferto, quum rebus testatum fecerit, tantum a se decorum esse in patriam collatum, quantum constat ei vulnerum ab isto inflictum esse. Consultius enim apud omnes habetur gratiam demereri potius, quam promereri. Graue mihi quidem indignumque videtur, si peccatorum iam commissorum poenas nullas det, beneficiorum autem, quae in vos olim aliquando se collaturum ait, iam nunc praesentia ei praemia tribuatis. Sed fortassean ideo Philonem probabitis, quo ciues vobis meliores virtutisque studentiores imposterum fiant, videntes, perinde omnes honoribus affici? Imo vero periculum est, ne boni, videntes in petitione honorum pari se loco cum malis haberi, desinant honestati operam dare, quod existiment, qui malis honores conferre nil dubitent, eosdem bonorum quoque esse solere immemores. Est hoc quoque meditatione vestra dignum, iudices. Castellum si quod nauemue prodidisset quis, aut castra, cum parte ciuium; extremis eum poenis afficeretis. Hic autem vniuersae ciuitatis proditor factus, ea tamen fiducia eaque cum spe vestrum in conspectum prodiit, vt constet eum immunitatis a poenis certum esse. Quid? quod proditionis adeo praemium sperat se ablaturum, honorem ordinis senatorii! Atqui, libertatem

tem qui tam palam prodiderit, atque hic fecit, ei non de honore petendo, sed de seruitute certandum apud vos erit, et de proscriptione bonorum omnium, vnde extremam ad paupertatem delabatur. Verum haec eum iactare audio: Nefas si esset, eiusmodi in tempore patriae deesse, legislatorem haud videri fuisse commissurum, vt ea de re legem nullam ferret, qui, quas alias res vetitas voluisset, de iis diserte cauisset legibus singularibus. Sperat nempe vos tam tardos fore, vt hoc, quod obuium est, minus intelligatis, ob sceleris magnitudiuem a legislatore praeteritum id fuisse. Eccui enim aut oratori, aut iudici, venisset in mentem, vt suspicaretur, fore ciuium quemquam audaciae tam proiectae, vt tantum in se facinus admitteret? Huiusmodi enim si quid iis suboluisset suspicari, tam stulti et tam segnes profecto non fuissent, vt hoc de scelere cauere obliuiscerentur. Ordinis militaris de desertore, velut de magni sceleris reo, et eiusmodi quidem in bellis, vbi non salus patriae in periculo versatur, sed ipsa patria alios in periculum coniicit, leges cum ferrent, quibus ei seuerae poenae constituuntur; ferre de eo, qui patriam ipsam periclitantem deseruerit, insuper habituri fuisse videntur? Nequaquam. Tulissent enimuero, si vnquam futurum suspicati fuissent, vt exsisteret, qui tale quid auderet. Ecquis non vos, et meritos quidem, reprehendat, si, postquam inquilinorum eos, qui plebi subueniissent, tametsi nulla lege tenerentur id facere, honorassetis, et modis quidem hac ciuitate dignis, iam nolletis hunc Philonem punire, qui, quam debuerat tueri ciuitatem, eam, ciuis officii immemor, prodidit? punire, inquam, si non alia quapiam grauiore poena, saltim infamia, in qua iam haeret. Existimate vobiscum, qua tandem de causa bene de republica meritos honoretis, malos autem contemnatis atque abiiciatis; quod vtrumque a

maioribus ita est institutum, eorumque exemplis confirmatum, atque pro lege tuenda vobis traditum, non praeteritorum magis gratia, quam posthuenturorum, vt ciuium iniiceretur animis ardor eas artes discendi, easque copias rerum sibi comparandi, ea denique studia exercendi, quorum assidua meditatione tandem consequerentur hoc, vt boni fortesque viri, non fortuito nati, sed opera dedita facti haberentur; mali autem turpesque non modo non consulto, sed ne fortuito quidem essent, et a flagitiis sese quoquo modo abstinerent. Philonem porro cogitate non ea de se prodidisse, quae spem faciant, fore vt boni atque idonei senatoris partes impleat. Senatores honorem capessentes iureiurando obstringuntur. Ecquod autem iusiurandum videatur ille sibi religioni ducturus violare, qui deos patrios prodidit? Id enim egit, et futurum fuisset, si omnes eundem, atque ille, animum habuissent, idemque essent exemplum secuti. Ecquod ille sit bonum atque reip. salutare capturus consilium, qui patriam ne seruare quidem atque a seruitute vindicare sustinuerit? quaenam ille reip. arcana silentii fide tecta et clausa seruet, qui ne publice quidem a legibus atque magistratibus indicta atque denunciata exsequenda sibi duxerit? Qui ne postremus quidem ad communionem laborum atque discriminum vestrorum accesserit, qui conueniat, eum in honoribus, iisque tantis, conferendis praehaberi iis ipsis, quorum laboribus a vestris ceruicibus depulsa est seruitus, et res tam praeclarae gestae? Dirum vtique sit atque detestabile, qui tanti vos omnes non fecerit, eum a vobis tanti fieri, vt eum ordine vestro amplissimo dignum in censura morum declaretis. Sed video quosdam, quorum satis mirari non possum dementiam. Hi parati Philoni, cuius studiosi et aduocati sunt, succurrere, huc prodierunt eo cum proposito, vt amicum a vobis deprecentur

centur, quem extorquere mihi precibus non potuerunt, neque me flectere vt ab accusatione desisterem. Hi vos rogabunt, vt amicum sibi condonetis; tum temporis autem, cum discrimina vobis impenderent atrocissima, et resp. ipsa sui praemium in medio iaceret raptori cuique obnoxia, neque iam de honorum petitione, sed ipsa de libertate ageretur, tum hi Philonem non rogarunt, vt vellet vobisque et vniuersae reip. succurrere, patriamque vt nollet eo cum senatu prodere, in quo sedendi ius et facultatem nunc ambit, quamquam titulus ei nullus est hunc honorem petendi, neque ius fructum aliis praeripiendi, quorum sudore partus est. Solus omnium non habebit quod aegre ferat, repulsam a vobis, senatores, aufferens. Non enim vos eum nunc aspernabimini, sed ipse suis semet manibus hoc honore tum spoliauit, cum sese dignum non iudicauit, pro eo senatu, cuius ad sortitionem nunc tam studiose venit, in acie vobiscum stans, dimicare. Satis haec mihi dicta arbitror esse, quamquam multa praeterii, confidens, vos, etiamsi haec praetermiserim, tamen sponte vestra sententiam aequam reique publicae salutarem esse laturos. Nam ad dignoscendum, quinam ad ordinem amplissimum admittendi sint, non aliunde vobis sunt, quam e conscientia vestra, documenta repetenda. Recordamini, quales vos erga remp. cum essetis, eum in ordinem cooptari meruistis. Huius quidem Philonis studia exempla sunt inciuilia, et ab omni popularis gubernationis forma abhorrentia.

ORATIO XXXII.

quae est accusatio Diogitonis de male gesta tutela nepotum.

Summa nisi res ageretur, iudices, et eiusmodi, vt in eius discrimine pupillorum horum, quorum causam dicendam recepi, siue salus, siue exitium libretur,

nunquam fuiſſem hos in conſpectum veſtrum prodire, contentionem cum neceſſariis rem eſſe ducens inprimis turpem atque abominabilem, praetereaque certus, ita vos rixoſitatem exoſos eſſe, vt non cupidos ſolummodo rapacesque contemnatis, et in numero ſceleratorum habeatis, ſed illos adeo ipſos quoque vilipendatis et in hominibus nauci numeretis, ſi qui, a neceſſariis bonorum parte quadam fraudati, fraudem hanc intolerantius ferant. Verum hi pupilli magnis, o iudices, permagnis facultatibus, et cunctis adeo fortunis exuti ſunt atque detrimentis irreparabilibus affecti, ab iis ipſis, a quibus par erat, non ſolummodo non proficiſci, neque exſpectari eiusmodi iniuriam, ſed etiam aliunde oblatam propulſari, id ſi feciſſent, quod eorum perſonas decebat. Ad me receptum itaque cum habuiſſent hi, quorum ſoror penes me domi eſt, facere non potui quominus agendam eorum cauſam ſuſciperem. Vxor enim mea, quae, vt modo dixi, horum ſoror eſt, Diogitonis huius, quem accuſo e fratre neptis eſt. Conatus ego contentionem amica compoſitione dirimere, vtraque cum parte multis cum egiſſem, et, vt ex aequo et bono inter ſe decideret, hortatus eſſem, maioremque in modum contendiſſem, effeci tandem, vt ambae partes priuato amicorum arbitrio rem permittere haud recuſarent. Magni enim referre autumabam, a me caueri, vt res vltra neceſſariorum atque familiarium conſcientiam ne emanaret. Verumenimuero, quae Diogitonis fraude pupillis erepta eſſe, atque intercepta penes eum retineri, tam perſpicuis conuincebatur documentis, vt ipſe nequiret infitiari, neque a ſe impetrare, neque noſtris obteſtationibus adduci potuit Diogiton, vt ſuper iis in amicorum auctoritate eſſe vellet, ſed conditionum aequitati viam iuris in foro petendi praetulit maluitque nullum non genus actionum forenſium experiri modo reus fieri, modo accuſatoris perſo-

perſonam gerere, ſed cauſas inanes et commentitias in forum deferentis, extrema quaeque adeo diſcrimina adire famaeque bonorumque amittendorum, quam vt, ius et fas praeſtando, huius accuſationis moleſtia litiumque cum nepotibus exercendarum nexibus expediretur. Quod ſi ergo planum vobis fecero, iudices, auum horum puerorum, Diogitonem, eorum tutelam flagitioſius atque crudelius geſſiſſe, patrimoniumque ipſorum furioſiore cum cupiditate concerpſiſſe, quam vllus alius unquam tutor pupilli cuiusquam hac in ciuitate fecit, tametſi cum pupillo nulla ſanguinis neceſſitudine copulatus: rogo vos, iudices, vt tum, quatenus ius et fas ſinet, his pueris ſubueniatis. Sin autem, quod recepi demonſtraturum, id minus demonſtrauero, nil intercedo. quominus vos illique credatis temere, quicquid volet, iactanti, et nos poſthac in numero improborum habeatis. Sed, quo rem teneatis, a principio inde repetenda videtur. Vos mihi docere conanti aures praebete, iudices, propitias. Fratres erant Diodotus et Diogiton, iisdem lati parentibus, concordes inter ſe. nam hereditatem ita cernebant, vt numis praeſentibus vna cum ſupellectile et mundo ex aequo diuiſis, fundos et reliqua bona immobilia communia poſſiderent. Tum Diodotus negotiationi animum adiecit, vnde facto ſplendido quaeſtu, cum creuiſſet opibus, a Diogitone perſuaſus, filiam eius domum ducit, quae Diogitoni tum erat vnica; ex eaque ſuſcepit par liberorum, et filiam, quae mea eſt vxor. Aliquanto tempore poſt accidit, vt copiae nauales cum Thraſyllo, grauis armaturae magiſtro, neſcio quo eſſent ablegandae. Illa in militia ſcriptus inter alios Diodotus, ſtans in procinctu, vxorem, quae eadem ipſi e fratre neptis erat, arceſſit, vnaque vxoris patrem, qui idem et ſocer Diodoti et frater germanus erat auusque liberorum a Diodoto ex hac vxore ſuſceptorum; exiſtimans propter tam arctas

tam multiplicesque necessitudines haud decere tutorem liberis alium, praeterquam Diogitonem, a se constitui. Diogitoni itaque vna cum tabulis testimenti a se conscripti, in manus dedit Diodotus eiusque fidei commisit argenti quinque talenta. Obligationes quoque, seu syngraphas, ad valorem septem talentorum cum quadraginta minis, foenore nautico creditorum, ei monstrauit, nec non aliam syngraphan de mille drachmis in Cherrhoneso elocatis. Quo facto, ei praecepta reliquit haec, si quid humani sibi contingeret, vt hoc ex itinere domum redire haud liceret, vt tum Diogiton vxorem, cui visum esset, nuptui collocaret, addito in dotem talento, his de numis demendo. contributo insuper omni mundo muliebri et supellectile domestica, quam teneret ea diaeta, in qua plerumque vna esse cum vxore atque cubare consueuisset. Filia vbi nubilis facta nuptui daretur, vt ei tum in dotem talentum adderetur. Praeterea, quo vxor vna cum liberis, absente se haberent, vnde alerentur, donec aut rediret ab illa expeditione, aut excessus sui fama haud dubia ad eos perferretur, in manus dedit vxori viginti minas in argento, et praeterea triginta stateras aureos Cyzicenos. Quibus ad hunc modum constitutis, domique relictis exemplis [seu copiis] illarum rerum a se sic constitutarum, exiit cum Thrasyllo in castra, vnde non rediit, Ephesi fato defunctus. Cuius rei certior factus Diogiton, excessum illum fratris filiam celauit, et syngraphas, quas Diodotus discedens penes vxorem sigillo suo reliquerat obsignatas, ab ea auffert, caussatus, illis opus sibi esse ad summas aeris redigendas foenore nautico crediti, quod aes a debitoribus redigere non posset, nisi syngraphas iis suas redderet. Tandem aliquando, diu post mortem Diodoti vxori liberisque aperit, et sic facta ei sunt iusta. Primo inde anno vxor et liberi Diodoti in Piraeeo commora-

morabantur [in domo, quae Diodoti fuerat propria] Ibi enim ille copias rerum reliquerat omnium ad victum cultumque neceſſariarum. His autem deficientibus auus nepotes in vrbem remittebat [conductis in aedibus habitatum] eorumque matrem nuptui collocabat, in dotem addens quinquaginta minas, hoc eſt decem minis minus, quam prior maritus ipſi delegauerat. Octauo anno poſt liberorum natu maximus, puber factus, examine tolerato, ad vſum iuris ciuilis tutelamque ſui admiſſus eſt. quo facto Diogiton eum, cum altero fratre, ad ſe arceſſitum huiusmodi oratione compellauit. Pater veſter, ait, hinc proficiſcens, viginti minas cum triginta ſtateribus penes me reliquit. Ego ergo vos adhuc quidem de meo magnis impendiis alui, donec mihi fuit vnde erogarem, penſi haud faciens, cuio de peculio inſumeretur; nunc autem ipſemet ego egeo. tu ergo, quandoquidem, examine peracto, vir factus es, quaere tute tibimet vnde neceſſaria impoſterum habeas. His auditis illi perculſi atque flentes ad matrem pergebant ire, inde cum ipſa ad me, miſerabilem in modum conſternati, lamentantesque, quod nunc demum intelligerent ſe patrimonio prorſus euerſos, atque me obteſtantes, ne ſe paterer inulto fortunis a patre relictis omnibus denudatos ad extremam paupertatem decidiſſe. indignamque paſſos contumeliam ab iis, quos omnium minime deceret tam deteſtabilia fraudis crudelitatisque in ſe exempla ſtatuere; ſed ipſis ſubuenirem, tam ſororis ſuae cauſa, quae mea vxor eſt, quam ipſorummet. Finem haud inueniam, ſi luctus et lamentorum enarrare velim acerbitatem, quibus tum domus mea reſonabat. Denique mater puerorum me rogare ſupplex, vt patrem ipſius cum amicis domi meae colloquio committerem; quo poſſet, (ipſius verba refero) quamquam haud ſueta inter viros verba facere, a magnitu-

dine cladium suarum victa, quaestus suos omnes nostrum in sinum effundere. Adibam ego tum ad Hegemonem, qui Diogitonis huius filiam [e secunda vxore susceptam] in matrimonio habet; nec non cum aliis amicis communibus agebam, poscens, vt Diogitonem adducerent, vt ad congressum descenderet, in quo status rerum discuteretur. Quod recusans initio Diogiton, tandem tamen ab amicis coactus est facere. Congressis itaque nobis, interrogabat Diogitonem filia, quonam animo auderet liberos suos his tractare modis; quorum tu patruus, inquit, idemque auus es, cum frater sis eius viri, e quo ego, filia tua, pater, hos peperi. Quod si hominum neminis te neque reuerentia, neque pudor tenebat, deorum certe te numen absterrere debebat. Ille [Diodotus] hinc cum classe discedens, quinque talenta tuae fidei commissa relinquebat; id quod ego iureiurando confirmare parata sum, quocunque postulabis in fano, iurans per caput horumque liberorum meorum, quos vtrinque adstare mihi iuranti iubebo, et si quos adhuc alios hic vterus effundet; quamquam ego tam pudoris atque religionis omnis oblita mulier non sum, neque tam pecuniarum amans et cupida, vt te, qui pater mihi es, denudare bonis tuis velim periurio, cuius et reatus hisce meis liberis omnem vitam necessario sit amaram atque calamitosam redditurus, et cuius conscientia me ipsam cruciatura sit ex hac vita discedentem. Praeter illa quinque talenta fidei eius commissa, arguebat eum adhuc alia septem cum quadraginta minis a debitoribus redegisse, vna cum foenore eorum nautico. et harum syngrapharum producebat autographa. Nam in permutatione habitationis cum e Colytto in domicilium Phaedri transmigraret habitatum, liberos suos (aiebat mea socrus) incidisse in pugillares *[eine Brieftasche]* temere abiectos, vel amissos, eosque ad se, matrem, retulisse.

tuliſſe. Praeterea demonſtrabat eum centum minas a debitoribus redegiſſe creditas in hypothecam terreſtrem, foenore ſolito, nec non viginti minas alias eadem conditione creditas, item ſuppellectilem magni pretii ex aedibus Diodoti abſtuliſſe. Conſueuiſſe quoque, Diodoto adhuc ſuperſtite, magnam vim frumenti quotannis e Cherrhoneſo ad ſe aduehi, cuius neque rem, neque valorem, illo exſtincto, tuliſſent. Tantam tu tecum habens vim pecuniarum a marito meo relictarum, auſus tamen es affirmare, liberorum horumce meorum patrem ipſis non reliquiſſe, niſi viginti minas cum triginta ſtateribus; quam ſummam aeris cum maritus penes me reliquiſſet, ego, certior de ipſius exceſſu facta, tibi commiſi? tunc hoſce, qui e filia tua tibi nati nepotes ſunt, auſus es domo eiicere, quam ipſis pater reliquerat, pannuciis obſitos, ſordidatos, diſcalceatos, ſine pediſſequo, ſine ſtragulis, ſine veſte, ſine ſupellectile; quorum omnium pater ipſis lectiſſimam atque lautiſſimam copiam reliquerat? Iam liberos tuos e nouerca mea natos nutris et educas in affluentia rerum omnium, beatos. neque inuideo. recte facis ita faciens. laudo factum et congratulor. at meos defraudas laedisque, quos inhonoros e domo ſua eieciſti, et quantum in te eſt, pauperrimos reddere laboras e locupletibus, qui ſunt natura et iure. Et talium tam turpium tibi facinorum conſcius, tamen neque deos reformidas, neque tacitam oculorum meorum reprehenſionem metuis? tam es impudens! quae, cum filia tua ſim, te noui tot et tam foedis criminibus obnoxium; neque fratris meminiſti, ſed nobis omnibus praefers bonorum per nefas partorum poſſeſſionem! Huiusmodi conuitio aliisque multis ſimilibus probris, quae tacita praetereo, mulier in patrem invehebatur, quibus nos, qui aderamus, omnes mirifico et incredibili ſenſu cum indignationis, tum commiſerationis atque

que aegritudinis metusque commouebamur. Modo enim in pueros intuentes nos subibat recordatio, quam splendidis e fortunis superioribus, quam miserabilem ad egestatem decidissent, et cuius scelere. modo occurrebat, quam indignum tutorem pater liberis reliquisset, indignum spe ipsius, et nomine fratris, ipsoque tutoris nomine. modo metus de sorte nostra liberorumque nostrorum atque miseratio subibat, quorumnam in dentes vngulasque luporum rapacium fortunae nostrae et liberorum patrimonia essent aliquando fataliter deuentura, nobis e rebus humanis exemtis, hoe tam aperto et memorabili documento certiores nos reddente, spectatae fidei amicum, cui te tuaque tuto committas, repertu esse perquam difficilem Denique, iudices, tanta nostros animos, quotquot congressui intereramus, obruebat procella consternationis, vt hiscere non possemus, sed taciti discederemus, lacrymis ora manantes, haud minus, quam illi ipsi, qui hac calamitate icti conciderant. — Quare sobria mente, iudices, rogo vos, vt rem, quam agitis, ponderetis, quid his pupillis, quid toti ciuitati, quid huius denique personae vestrae dignitati debeatis. Iniurias hi adolescentes acceperunt vestra commiseratione dignas. Et interest salutis publicae, vestramque personam decet, qui iudices estis, vt seueritate vestrae sententiae ad omnes declaretis, Diogitonem vobis odio et exsecratione bonorum omnium dignum videri. Nam eiusmodi homines pacem publicam turbant, omnia suspicionibus et terroribus implentes. Totum genus humanum hic Diogiton suspicionibus expauefecit, et inter se alios ab aliis abalienauit, vt neque adhuc vegeti, neque animam extremam agitantes, sciant cui confidant, neque maiorem fiduciam in proximis consanguineis ponere possint, quam in inimicis infestissimis. Videte modo quibus modis sese torserit vt laqueqs

conui-

conuictionis effugeret. Initio prorsus infitiabatur illas summas aeris tulisse. tum, obrutus vi veritatis, cum infitiari diutius nequiret, tandem, o immanitatem cupiditatis et impudentiae ad rapiendum atque mentiendum proiectae, aiebat, intra octennium in alimenta duorum marium vniusque puellae impendisse octo talenta cum decem minis. et quia nullo modo tam enormis summae rationem conficere poterat vtcunque probabilem atque tolerabilem, eo excedebat furoris, vt in alimenta quotidiana horum trium liberorum quinos obolos imputaret. In calceos, et in fullonem atque tonsorem, non edidit impendia, neque menstruatim, neque annatim, sed vniuersum octennii ambitum vno vocabulo complexus, in istiusmodi minutias illo toto tempore ait insumsisse plusquam talentum argenti. In monumentum horum patri conditum ne quinque quidem atque viginti minas impendit. Vt tamen gloriam magnificentiae atque liberalitatis auffcrret sine sumtu suo, quinquaginta minas ait in illud monumentum erogasse. quarum partem alteram dimidiam pupillis imputauit, alteram se contulisse iactat, sordidus idemque vanus. Licetne, iudices, ad minutias descendere? Quidni liceat? et loco huic conuenit, quo odium hominis, sordesque atque cupiditas, quanta sit, hoc liquidius perspiciatis. Agnum in Dionysia pro pupillis emtum, sedecim drachmis aestimauit in ratione exhibita, quarum item partem dimidiam pueris imputauit, alteram sibi- Rem enimuero indignam, de qua nos inprimis ira exarsimus. Credite mihi, iudices, enormibus circumuenti fraudibus solent leuiculis illis et paene ridendis furticulis non minus commoueri, quam furtis illis grandioribus. Nimis enim aperiunt atque denudant hae minutae fraudes cupidorum flagitiositatem. Reliquos in dies festos et sacra vniuerse

compu-

computabat in hos impensas quadraginta minas et plus etiam. Breuis vt sim, alias quamplurimas eiusmodi nugas rationi suae assuerat, quo enormem illam summam aeris consarcinaret, quod in hos ait insumsisse, reapse autem furatus est: quasi a patre liberorum tutor esset constitutus, quo pupillis pro nummis et fundis literas in charta exaratas, ipsosque ex opulentis mendicos redderet. et quo puberes facti, litium satis et super haberet, super patrimonio cum tutore, qui idem auus quoque patruusque esset, exercendarum, quibus per omnem vitam districti obluctarentur, inimicorum, si quos pater ipsis inimicos velut hereditate reliquisset, simultates in iure persequi. Atqui iustus erga pupillos esse si voluisset, poterat alterutro modo et sibi multarum molestiarum otium facere, et pupillorum augere patrimonium. Geminum enim modum gerendae tutelae praescribunt leges tutoribus, siue valent opibus tutores, siue minus. Poterat vniuersam substantiam pupillorum alicui redemtori mercede annua elocare, aut praedium emere, illisque e vectigalibus, siue praedii, siue locationis, pupillos alere, excessuque numorum sortem augere. Sic sine vlla ipsius molestia, facti essent pupilli tam diuites, vt de diuitiis cum ditissimis quibusque Athenienſium contendere potuissent. Iam vero ita se gessit Diogiton, vt necesse sit suspicari, nunquam ei in mentem venisse de tempore olim aliquando venturo, quo rationem gestae tutelae reddere, pupillisque de substantia satisfacere deberet, sed potius eum speraſſe, fore vt saluam ipse teneret hanc praedam, interuenturo nemine, qui dentibus ipsius eam rursus eriperet. Existimabat nempe, non pupillos hos, fratris filiaeque liberos, ab ipsorum patre heredes patrimonii scriptos fuisse, sed suam cupiditatem atque insatiabilem sceleroſitatem. Nondum omnia dixi,

dixi, iudices. Supereſt adhuc cumulus improbitatis. Arrigite aures. Vna cum Alexide, Ariſtodici fratre, triremem ducebat cum poteſtate trierarchi. Functionis huius vt emolumenta perciperet, ſumtuum exſors, videte quam callide rem inſtruxerit. Alexidi, trierarchatus collegae, minas ait duodequinquaginta mutuo credidiſſe. Huius aeris partem dimidiam pupillis, ceu ex eorum patrimonio inſumtam, in ratione tutelae geſtae retulit, quaſi eorum loco atque nomine trierarchatum geſſiſſet, cum ius noſtrum ciuile non modo pupillos ab omni contributione eximat, ſed etiam adoleſcenti primi anni ab ineunte virili aetate contributiones remittat. Hic Diogiton autem, quos ſumtus totos ipſe ſolus de ſuo debebat in trierarchatum inſumere, quem ſuo, non pupillorum nomine gerebat, tametſi auus eſſet, tametſi leges vetarent, tamen a filiae liberis illorum ſumtuum partem dimidiam exigit. O immanitatem cupiditatis! quamquam paulo poſt audietis eum ne intra cupiditatem quidem ſubſtitiſſe, ſed ei mendacium quoque atque vanitatem adiunxiſſe. Verum de hoc ſtatim pluribus dicam. Nunc aliud quoddam ſimile eius facinus interiiciam. Mittebat aliquando nauem onerariam in mare Adriaticum, mercibus oneratam ad valorem duûm talentûm. Hac naue e portu ſoluente denuntiabat pupillorum matri, nauigationis diſcrimen eſſe pupillorum, non ſuum; merces ipſorum periculo fortuitis maris committi. Nauis haec illinc reuertebatur ſalua, lucri alterum tantum referens. Quae tum Diogiton? Nauem aiebat ſuo periculo iſſe. ſic lucrum totum ſuum eſſe. Atqui ſi damna quidem accepta pupillis ſolis imputabis, quaeſtus autem ſoli tibi arrogabis, et in ratione geſtae tutelae ſine haeſitatione ſcribes impendia, ceu facta, quae nulla facta ſunt, citiſſime, facillimo negotio diteſces

ex

ex alieno. Sed longum sit, iudices, taediique plenum iniustitiae fraudisque genera omnia persequi, quibus Diogiton vsus pupillos funditus expilauit. Quare haec hactenus dicta putate sufficere pro specimine rationis eius, quam Diogiton gestae a se tutelae, quamquam multum et rogatus, et cunctatus, vix et aegre tandem exhibuit. Ego itaque rationem hanc nactus invito et reluctanti extortam, assumtis testibus, vado ad Aristodicum, nam Alexis ipse, frater eius, interea fato concesserat. Hunc Aristodicum vt in foro conueni, percontor, haberetne in potestate sua rationem trierarchatus eius, quem frater ipsius, Alexis, olim cum Diogitone communem gessisset. Aiebat Aristodicus habere. Imus itaque domum eius, inspicimus syngrapham, inuenimus ibi sic scriptum; Diogitonem Alexidi in sumtum trierarchatus credidisse mutuo viginti quatuor minas. Atqui Diogiton in ratione gestae tutelae in trierarchatum a se insumtas scripsit esse quadraginta et octo minas, quarum partem dimidiam pupillis imputauit, quasi hi conferre debuissent, partem alteram ait de suo contulisse. In quo mentitus est, id quod ex hac syngrapha constitit. Ne teruncium quidem in istum trierarchatum de suo impendit, quem suo nomine gessit, et in quem de suo impendere debebat, sed totum illum sumtum quatuor et viginti minarum, qui in partem ipsius veniebat, de peculio pupillorum furatus est. Quodsi in re, in qua vt testimonium contra se sua manu exaratum supereresset, commiserat, vnde fraus et furor eius facillime detegi et argui poterat; nam aut furoris aut impudentiae excessus est, mala fraude iis in rebus vti, vbi aliorum conscientia interuenit; quae eum et quanta iis in rebus ausum existimatis, quae solus sine arbitro tractauit! Ascendite, qui horum mihi testes eritis. *Testes.* Audistis, iudices,

ces, hos teſtes. Procedam nunc vlterius. Tandem itaque poſt multas tergiuerſationes, eo redegi Diogitonem, vt fateretur de horum pupillorum patrimonio penes ſe ſeptem talenta cum quadraginta minis eſſe. Ex his calculum ducam, excludens omne genus redituum, quos conſentaneum eſt ex iſta ſumma intra octennium rediſſe; ſed, quaecunque in pupillos impenſa ſunt, ipſa de ſorte deducens. Imputabo duobus maribus atque puellae, cum paedagogo atque ancilla, ſumtus annui tantum, quantum a nullo vnquam neque patre in liberos, neque tutore in pupillos, Athenis impenſum eſſe certus ſum, denas minas. Sic in dies ſingulos paulo minus quam ternae drachmae veniunt. Hae denae minae conficiunt octennio octies mille drachmas, ſeu talentum vnum et viginti minas. Quod ſi ergo de ſeptem talentis et quadraginta minis, quas Diogiton fatetur a ſe adminiſtratas eſſe, talentum vnum et viginti minae deducantur, paret relinqui talenta ſex cum viginti minis. Neque enim docere poterit Diogiton, illa, quae remanſerunt, ſex talenta cum viginti minis, vllo modo ſibi periſſe. nam neque latrones eripuerunt, neque multa pecuniaria ipſi irrogata abſumſit, neque creditoribus reddidit. —

Paginae interiori margini appoſitae paginas et verſus texti graeci ex editione noſtra indicant.

FINIS

interpretationis Reiskianae orationum Lyſiacarum.

LIBELLVS VARIANTIVM IN LYSIA LECTIONVM.

PRAEFATIO.

Libelli huius fundus est aridum illud et sterile genus annotationum Taylori ad Lysiam, quod praeter varietatem lectionum e codicibus mss., praesertim Coisliniano, congestam, nihil tenet, vnde aut orationis Lysiacae obscuriores sententiae illuminentur, aut mendae locorum vitiosorum corrigantur. Quas lectiones tametsi tam contemno, vt mentione indignas habuissem, si mei res fuisset arbitrii, veritus tamen sycophantarum malignitatem, qui, videntes editionem meam non omnia tenere, quae Londinensem, statim erant defectum nescio quam foedum et detestabilem criminaturi, eoque meam editionem in inuidiam et contemtum adducturi; conieci totam hanc farraginem in hunc libellum variantium in Lysia lectionum; in quo exhibeo, praeter lectiones a Tayloro suppeditatas, alias a me collectas, ex Augustano, solam tenente funebrem orationem, e Parisino, in quo sola legitur oratio in Philonem, excerptas e Veneto, quem etiam Bessarioneum appello, e schedis Brulartianis, et denique e Vindobonensi; e quo tametsi vix quartam partem retulerim lectionum, a Storrio meo ad me missarum, vereor tamen ne vel sic quoque sint futuri, qui sedulitatem hanc meam reprehendant, existimantes, illinc nimis etiam multa, et premenda silentio, relata esse. Immiscui varietati huic lectionum aut nouas quasdam meas coniecturas, aut olim scriptorum retractatio-

dationes. Quae vt lectores probent, maiorem in modum eos rogo. Scripsi Lipsiae d. 7. Sept. 1772.

1. 1. titulus orationis primae in V. C. sic concipitur κατὰ Ἐρατοσθένες μοιχείας. *Brulart.*

4. 1. εἴητε schadae quoque dant Brul.

5. 3. τὰ deest Vindob.

4. ἡγοῖσθε in optatiuo Vindob. quoque dat.

8. 6. ἅπαντα deest Vindob. ἅπαντα δυνηθῶ dat Coislin. transpositis vocabulis.

7. ὦ ἄνδρες] ὦ ἀθηναῖοι Vindob.

9. 1. θέλη Coisl. Vindob.

11. 3. γὰρ quod Taylor primus addidit e Coisl. nam ante vulgatae non habent, est etiam in Vindob.

13. 3. κινδυνεύη Coislin. Vindob.

6. καθεύδεσα iidem.

vlt. ἠλίθιον Coisl.

14. 10. δὴ deest Vindob.

13. εἶλκες in secunda persona, videtur etiam in Vindob. esse, quia Storrius meus h. l. nihil inde annotauit, qui codicem illum ad editionem Marpurgensem exegit, in qua sic legitur.

15. 3. ἐναύψασθαι Coisl. Vindob.

vlt. ἐψιμιθιῶσθαι Vindob. et sic idem p. 21. 1. quoque.

16. 4. χρόνου μεταξὺ] interponit Vindob. δὲ, quod si cum τε mutetur, ferri queat.

6. ὑποπεμφθεῖσα Vindob.

17. 1. Εὐφίλητε] V. C. ὦ φίλτατε. Brulart.

2. πρὸς σε] sic emendarunt Stephanus et Scaliger e coniectura, quam confirmat Vindob. libri vulgati dant πρὸς σοῦ.

— ὁ γὰρ] οὐ γὰρ V. C. Brulart.

vlt. τὴν σὴν] haec duo vocabula, quae vulgatis desunt, sunt in Coisl. Vindob. Brulart.

1 . 2. *εἴηθεν*] ſic Aldina et Vindob. *εἴκοθεν* Stephanus.

21. 1. *τε*] *δὲ* Vindob.

22. 5. *ἔξεσι*] *ἐσὶ* ſimplex dat Vindob.

25. 1. *πεύσεται*] ſic Vindob dat, reliqui *πεύσηται*.

26. 2. *σώφρατες*] ſic Coislin. Vindob. et editio Taylori. reliqui dant *σώσατρες*.

27. 8. *ὡς*] ſic Coisl. Vind. Brul. vulgati *εἰς*.

vlt. *ἐκ τῦ ἐγγυτάτυ*] *αὐτὸ δ' ἐγγύτατα* Vind.

28. 3. *πρῶτοι*] Sic dedi e Coisl. vulgati *πρῶτον*.

4. *ἴδομεν* Ald.

11. *ἐκ ἀπεκτενῶ ἐγώ σε* Coisl.

29. 2. *ὥσπερ* Coisl.

ibid. *καὶ εἰ νόμοι*] Vindobonenſi deeſt *καὶ*. Verum rurſus in eo et in Brul. eſt articulus *οἱ*, quo carent vulgati.

pen. *γὰρ* deeſt Vindob.

Ibid. *πλησεῖς*] ſic Vindob. *ποδησεῖς* Coisl. *ποδηγὴς* vulgati.

30. 2. *ἐδύνατο* Coisl Vindob.

Ibid. *ὅτε ὁδὸν ἄλλο ἔχων* Vindob.

3. *ὦ*] *ὡς* Coisl.

4. *τὰ* deeſt Vindob. Brul.

31. 11. *μαρτυρίαι*] *μάρτυρες* Coisl. plane deeſt Vindobonenſi. Verum ab hoc codice huiusmodi titulos plerisque in locis abeſſe, ſufficito ſemel hic admoniſſe. nam vbique locorum vbi vſu veniat, id admonere, nae ſtultum ſit, perinde ſupervacaneum, atque moleſtum.

34. vlt. *διπλῆν*] meliorem hanc lectionem, a Tayloro primo reſtitutam, confirmant Vindob. et Brul.

38. 3. *πραττομένες*] ſimplex vitioſe dat Vindob. et mox idem cum Coisl. *βίαν*.

vlt. *ἐπότεον* Vindob.

40. 5.

40. 5. οἶμαι] οἶδα Vindob.

42. 5. ἐμὲ] μὲν Coisl.

9. εἰσελθόντος Vindob.

pen. ὅτι] ὡς Coisl.

43. 2. post ἐξ ἀγρῷ videtur excidisse ἰόντι vel ἐπανιόντι. v. p. 26, 3.

3. ἐπειδὴ] sic primus edidit Taylor pro vitioso vulgatarum ἐπεὶ δὲ. melioris lectionis autores sunt praeter Coisl. Vindob. et Brul.

5. ὅτι vt superuacaneum vncis inclusi.

Ibid. εἰ deest Vindob.

7. μοι addidi e Coisl. quod vulgatis deest. eius loco dat Vindob. με. nescio an ὥς με voluerit dare. quae lectio erit haud contemnenda.

44. pen. καταλήψομαι] sic primus edidit Taylor ex auctoritate Coisl. ad quam accedit Vindob. quoque. vulgati dant καταλείψομαι.

45. 7. ἐποιησάμην Vindob.

11. ἕτω idem.

13. πώποτε γεγένηται] inuertit Vindob.

46. 3. αὐτὸν abest ab eodem.

Ibid. ταῦτα] si caedem peregissem.

4. μὲν] abesse mallem, aut certe cum με mutari. Sperabam me pro patrata illa caede mercedem accepturum. offudit haec praua lectio menti meae nonnihil caliginis, cum annotationes 8. et 9. a. conscriberem, vt verum tum temporis minus perspicerem. quapropter illas ambas annotationes in spongiam incumbere velim.

vlt. τοσοῦτο Coisl. τοσοῦτῳ Bessar.

47. 3. ἐν deest Vindob.

Ibid. τὶ ἂν ἕν] addidi ἄν, quo vulgatae carent, e Coisl. et Vindob.

8. ἕν deest Vindob.

48. 5. ἄδειαν] sic emendauit H. Stephanus Aldi-

nae vitium ἔνδειαν. nam in superioribus quoque sic dixisse Lysiam.

50. 1. haec oratio secunda abest a Vindobonensi. quo fit vt illo e codice varietatis ad hanc orationem proferre possim nihil. Contra est in Augustano illo, quem Demosthenicorum appellare soleo quartum. In hoc Augustano sarta est ingens illa lacuna, quae conspicitur in Aldina, et quam H. Stephanus primus expleuit.

5. τοῖς πᾶσι] deest articulus vtrique Coisl. et Aug. Conturbauerant hic et paulo post ad p. 51. Taylor, aut eius operae.

51. 1. περὶ τέτε Cantabrig.

53. 1. ἐξῶναι dederat Taylor e codicibus, vt ait, vniuersis, hoc est Iohanneo - Cantabrigensi, Muretano et Coislin. primo, ad quos accedit Aug. quoque. vulgati dant ἐξῆν.

54. 1. παντα χῆ Ioann - Cantabr. Coisl. secundus et Aug.

4. μνήμη Scaliger.

55. 1. γνώμαις] sic Ald. Ioann. et Coisl. primus. μνήμαις dederat Taylor, cuius editionem cum Augustano codice conferens, nihil inde varietatis enotaui.

3. τοῖς τῶν τεθνεώτων] sic Muretanus, Ioanneo-Cantabr. et editio Hanouiensis Iodoci Heidenii, reliqui carent articulo τῶν.

Ibid. ἔργοις] Aldina sola dat λόγοις.

vlt. μὲν primum deest Ioanneo, Coisl. primo et Aug.

56. 2. μὲν] sic dant Ioanneo - Cantabr. Coisl. vterque et Muretanus. δὲ dant editi omnes, et videtur id quoque in Aug. fuisse.

vlt. ἀπέλιπον in aoristo secundo, Coisl.' vterque.

57. 1. δὲ vt superuacaneum et amputandum vncis inclusi.

58. 3.

58. 3. τοῖς προτέροις Ioann. Cantabr. et Aug.
59. 5. τῶν deest Coisl. primo.
vlt. δ' deest Anguſtano.
60. 1. μιαινομένων] μὴ γενομένων Ioanneo- Cantabr. Aug. et margo Stephanicae cum γρ.
63. 4. δὲ σφίτιν] interponit Coisl. primus καὶ.
64. 4. ἐπὶ] ἐν Coisl. ſecundus, Ioann., Muret. et Aug.
vlt. τῆς abeſt a Coisl. primo.
65. 2. ἀσεβείας dederat Taylor ex auctoritate codicum Mureti et Coisl. vtriusque. ad quos accedit. Aug. quoque. vulgati dant εὐσεβείας.
66. 2. μὲν deest Aug.
3. ἔφυγον (in aor. 2.) Cantabr. et Aug.
69. 2. ἐπὶ τῶν βωμῶν Ioann. Coisl. vterque et Aug.
70. 2. ἡρακλέως Coisl. 1.
72. vlt. ἔσχον Aug.
73. 2. δ'] ſic Muret. Ioann. Cantabr. Coislin. ſec. editiones τ' exhibent.
6. ὑπὲρ αὐτῆ Cantabr. et Aug.
74. 2. μετ' Εὐρυσθέως] ita codex Barocc. ſed a manu ſecunda. olim fuit π . . . . forte παρὰ Εὐρυσθέως vel περὶ Εὐρυσθέα. deficit enim codex iniuria τῆ δεῖνα. TAYLOR. παρ' Εὐρυσθεως eſt in Aug.
Ibid. ἀκόντων Ioann. Cantabr. et Coislin. ſecundus. ſed inficete. idem reperit quoque Philelphus. TAYLOR.
75. 2. ἡρακλέες, quo carent vulgati, addidi ex Ioann. Cantabr. Barocc. Coisl. ſecundo et Aug.
76. 3. ἀγαθῶν πολλῶν] inuertit Barocc.
6. καὶ primum abeſt ab Aug.
Ibid. ἐχθρὸν] αἰσχρὸν Cantabr. Aug.
8. διὰ deest Aug.
11. χρωμένες Barocc. a manu prima.

76. vlt. καὶ ἑτέρως] interponunt τὸν Ioann. et Barocc.

Ibid. ἐκβαλόντες] geminant λ Coisl. vterque et Aldina.

77. pen. ἐπολιτεύσαντο Barocc. a manu prima et Aug.

78. 3. ὁρίσασθαι dedi ex Ioann. Barocc. Aug. ad quos accedit Cantabr. in quo est ὁρίσασθε, vulgati dant ὁρίσαι.

pen. βασιλευομένες et διδασκομένες (in accus.) dedi ex Aug. Barocc. et Coislin. vtroque, vulgati dant dativos.

82. 3. διαλῶσασθαι (in aor. 1.) Barocc. et Aug.

4. ἡγησάμενοι deest Aug. sic locum continuanti στρατὸν εἰς τήνδε τὴν πόλιν.

pen. ἄλλων deest Barocc. πολλῶν dant Coisl. vterque et Ald.

vlt. νομίζοντες Barocc. et Aug.

83. vlt. In Aldina sic est τοιαύτης δόξης ἐπ' ἄλλην cum lacunula relicta.

Ibid. παρεσκήκει dat editio Taylori, ad quod cum ex Aug. nihil annotarim, videtur, idem ibi quoque fuisse.

84. 1. ἴασιν Coisl. secundus et Aug.

2. post πολεμήσεσι rursus est lacuna in Aldina.

pen. διαθέσθαι Barocc. pro varia lectione.

Ibid. τοιαῦτα codd. Stephani, Barocc. Coisl. sec. et Aug.

vlt. οἱ δ' ἡμέτεροι] ἀλλ' ἡμέτεροι et ἀλλ' οἱ ἡμέτεροι nonnulli codices, inter quos Aldini. TAYLOR.

Ibid. εἰδότες] ἰδόντες Ioann. Barocc. a prima manu, item Aug. Ad h. l. olim a me prodita si cui minus placebunt, poterit is vulgatam ad hunc modum tueri. ἐ λογισμῷ εἰδότες] subaudi μόνον; ἀλλὰ καὶ πείρᾳ τῇ σφῶν αὐτῶν. non e ratiocinatione solummodo tenentes

tes moleſtias et mala bellorum, ſed ipſi ſuis quoque docti periculis.

86. 2. ἐνέμειναν Coislin. vterque, Cantabr. et Aldin.

4. χάριν εἰδέναι] inuertit Barocc. necnon verſu proximo πάντες γνόντες.

87. 4. μετὰ συμμάχων] interponit Coislin. ſec. τῶν.

5. ἄλλων] ἄκρων Ioann.

6. νικήσαντας (in accuſ.) Coisl. ſec.

vlt. ἐ addidit Taylor quod reliquis vulgatis deeſt.

90. 1. δὲ abeſt a Ioann. ἔτω δὴ ταχέως dat Mur.

3. τε addidi e Cantabr. et Barocc. quod vulgatis deeſt. ἐνθάδε omittit Ioann.

4. καὶ τὴν νίκην τῶν προγόνων Coisl. ſec.

5. ὑπὲρ] περὶ Cantabr. pro varia lectione.

pen. παλαιῶν τῶν ἔργων codices vniuerſi Taylori, item Aug. vnde effeci πάλαι τῶν ἔργων pro vulgari παλαιῶν ἔργων.

91. 2. μετὰ ταῦτα δὲ Coisl. ſec.

vlt. διακοσίαις μὲν καὶ χιλίαις ναυσὶν ἀφίκετο idem.

92. 3. ἔργον εἴη] transponit idem.

4. τὸ] ὃ idem, quod Tayloro magis atticum videtur.

94. 3. ἄθον Aug.

Ibid. ὑφισαμένης ἐδενὸς] interponunt δὲ Barocc. Coisl. ſec. Aug.

Ibid. ἀλλὰ deeſt Aug.

6. ἐφθαρμένοι ſimplex Coisl. primus cum Ald.

7. αὐτοῖς Cantabr. Barocc. Aug.

95. 2. ἐδὲ] ſic vulgati. ἐ Barocc. Coisl. vterque et Aug.

4. κινδυνεύειν (in praeſente) Aug.

96. 1. πυθόμενοι] παθόμενοι Coisl. 1. πεισθόμενοι μὲν τῇ γεγενημένῃ τῶν λακεδαιμονίων συμφορᾷ Coislin. sec.

3. γῆς Ald. et vterque Coisl.

vlt. ἀλώσονται est in aliis omnibus vulgatis, praeterquam in Taylori, qui ἀλώσεται (in singul.) edidit.

Ibid. ἀμύνεσθαι (in praes.) Coisl. sec.
